


Periculi mutatio propositi solet tollere Unitate

Intentio. Actus agentium non extenduntur ultra intentionem eorum

Habetur in Compendio Indulgentiarum Ordinis Eremitarum D. Augustini a Joanne 22. Indulgentia 40 dierum concessa, qui crucem Domini Ubicunque ea inveniatur osculabitur.

S. Philippus Nereus inquit: Servo Dei maximam esse crucem carere omni cruce.

[illegible] Omnia [illegible] [illegible]

ORATORIUM RELIGIOSORUM,

AUCTORE

R.^mo D. ANTONIO DE GUEVARA, ORD. S. FRANCISCI, Episcopo Mondoniensi, D. Caroli V. Imperat. Historico, Consiliario, Concionatore &c.

INTERPRETE,

EX VARIIS VERSIONIBUS, ET apographo Hispanico, D. IOANNE, DU BOIS, Bellomontano, apud Auesnenses Canonico.



COLONIÆ,

Apud Ioannem Crithium, sub signo Galli. Anno M. D. CXIV.

ADMODVM
REVERENDO
ET AMPLISSIMO PATRI, SVMMA TAM PIETATE quàm eruditione conspicuo Domino, PETRO POILLEVACHE, Monasteriorum de Wualsor & Hastier Abbati longè dignissimo,

IOANNES DV BOIS COGNATO suo colendissimo, S. D.



T hanc huius Oratorij Religiosorum ex idiomate extraneo in Latinum versionē V. R. inscriberem Præsul Amplissime, consanguinitas, patria, ordinisque status impulere. Consanguinitas inquam: cui enim conuenientius potiorię; cum ratione hāc tantilli laboris mei operam, hanc vtpotè versionem ex primis ingenioli mei fœtibus decerptā cōsecrassem, quam ei cum quo eadem deductus sum origine, germanæque consanguinitatis constrictus vinculis? Patria quoq;, vrbs

illa Bellomontana, ex qua etiamnum cum V.R. sum oriũdus, & in qua quandoque familiari colloquio, variaque subinde conuersatione, licet immeritus, sum vsus. Cui vrbi profectò gratulor, tum quod illustrissimorum & nobilissimorum istorũ Groyorum æterna memoria immortaliq; nomine cõmemorandorum dignum fuerit domicilium, tum quod non solum omni scientiæ genere, verũ etiã (absit verbo iactantia) omni religionis pietate præcellẽtes, (vt in quibuscũq; totius Belgij monasterijs videre est) genuerit & aluerit homines. Denique ordinis status, qui secundum huius operis Authorem vnus ex antiquissimis est, cui sese V.R. à teneris annis vltro deuinxit, deuouit, dedicauit, & in quo vsqueadeo se religiosè gessit, vt ad duorum monasteriorum regimen ante ætatis annum trigesimũ dignis sit euecta suffragijs. Hisce ergò & nonnullis alijs rationibus motus, animi mei gratitudo lætabunda prorupit & gestiens compulit, vt
hac

hac tandem patente via V. R. hoc qualicunque munuſculo fidelem amoris mei teſſeram præberem. Reſtanti Antiſtitis meritis & virtutibus impar eſt concedo, ſed quid? vicit amor ſupradictæque rationes. Eia agedum digniſſime præſul, hoc qualecunque tenuitatis meę obſequiũ ſereno ſuſcipe vultu, & eodem quo hactenus Germanum tuum candore proſequi ſolitus es, proſequere. Vale. Aueſnis, 1614. die 3. Ianuarij.

BENEVOLO LECTORI Interpres.

MIraberis ni fallor, Beneuole Lector, ad primũ huius operis aspectum, quod iam post tot insignes, adeoq; eruditos celeberrimi æternaq; laude condecorandi Authoris D. Antonij de Gueuarâ diuersorum operum Interpretes, quorum primus est Ioannes VVanckelius, qui supradicti Authoris Horologium Principum doctißimè & latinißimè ex Hispanico idiomate in latinum transtulit, & post quempiam alium Interpretem, cuius nomen est occultum, qui Caluariæ Montem similiter latinè vertit, ausim ego Oratorium Religiosorum in eandem trãsferre linguam, cum infimæ fortunæ litterariæ exiguæq; eruditionis vir sim. Obijcies forsan me non tali studio natum, multosq; esse qui huic operi latinius multo, perfectiusq; insudassent. Addes me non eadem quæ ab Authore citati Authores retulere retulisse verba marginibusq; loca & capita non annotasse hisquè similia? Quibus respondeo me ingenuè quidem fateri multos esse, qui hoc me multo latinius feliciusquè pertractassent negotium, sed quid? opus suscepi me ad illud impellente & instigan-

gan-

gante R. P. Philippo Bosquerio Lectore, qui hoc oneris non detractasset, imò lubens suscepisset illud ad felicem directurus exitum, si alijs sicuti quotidie occupatur occupatus nō fuisset. Porrò negotiū suscepi, vel quod is vrgeret, cui in re tam pia adeoq; frugifera nihil putaui denegandum. vel quod rem Flandris Germanisq́;, cæteris deniq; vt rebar Religiosis ingratam futurā non existimarem. Quod autem verba Authorum ab Authore citatorum non retulerim, marginibusq́ue loca & capita semper nō apposuerim, ratio fuit quod meæ professionis non fuerit: secus enim opinione maior, imò ipsius Authoris labore grauior obeundus erat labor. quæ enim refert, Hispanicè refert, præsertim Authorum citatorum verba. Mihi satis fuit eodem transferre modo, quo Gallici Interpretes, admodū Reuerendus Dominus S. Crispini Abbas, & Dominus Paulus du Mont, verterunt. Cæterum non dubito quin maleuoli aliquot futuri, qui hos nostros labores conuitijs probrisq́; insectaturi sint: sed quia veritatis simplex est oratio, tu piè Lector, non hic latinitatem sed veritatem & pietatem specta: ego enim sic rem tractaui, vt ad simpliciorum captum totam orationem accommodarim. Laudem nihil moror: vtinam hinc tantum vtilitatis

& fructus hauriant Christianæ militiæ Religiosi, quantum pro sua insigni & inenarrabili pietate doctissimus & Religiosissimus Author Dominus Antonius de Gueuara desiderauit. Vale & fruere.

PRAE-

PRÆFATIO
DOM. ANTONII DE GVEVARRA, EPISCOPI MONDONIENSIS, IN LIBRVM

qui dicitur Oratorium Religiosorum & exercitium Proborum. In quâ sublimi stilo disserit Auctor quæ debeat esse intentio illius qui vitæ monasticæ studere vult, & quis finis illius qui Monasterium ingredi.

POne me vt signaculum supra cor tuum, inquit Cant. 8. sponsa sponso: quasi diceret. Tu qui mundo egressus in Monasteriũ mihi obsequuturus venisti, debes me super cor tuũ vt signaculum collocare, in quod tuarum cogitationum iacula mittere & dirigere debes. Præcipua intentio tam eorum qui in equis ad annulum, quàm qui sese arcu exercent, est recta lancearum & iaculorum ad signaculum & annulum in qua collimant directio. Si secus enim agerét illi, honoris quem consequi conantur iacturam facerent, & nunquam optata potirentur intentione. Ille cor suum scopum facit, Deum super cor suum, vt signa-

ſignaculum collocans, qui omnia ſua ad eius obſequium, non autem ad quopiam aliud cōmodum vel incommodum dirigit: ſic vt mortem ſubire malit, quam in Deum vel vnum committere peccatum. S. Auguſt. in S. Ioãnem: Scitote fratres, inquit, ſalutem aut damnationem noſtram, nō tam in operibus quæ facimus conſiſtere, quam in eo propter ꝙ ea exercemus opera. Quod ſi proinde illud propter quod ea exercemus ſit bonũ, omnia quæ faciemus erunt ſimiliter bona. Sed ne temerè loqui videar, ſacræ quodam ſcripturæ exemplo probabo dicta. Omnibus cōſtat magnum illum Ducem Ioab duos populi Iſrael principes, Abner ſcilicet & Amaſam interfeciſſe; (*2. Reg. 3. & 20.*) & S. Petrum Ananiam & Saphiram eius vxorem occidiſſe. (*Act. 5.*) Ideoque accidiſſe quod Ioab vt homicida mortem paſſus ſit; S. Petrus autem ob facinus collaudatus: eò quod inimicos vlciſci intenderet vnus, alter verò ab Eccleſia auaritiam penitus exſtirpare. Dum Abrahamo pollicitus eſt Deus, quod in ſenectute ei filium daret, qui vſqueadeo

nobilis & illustris futurus esset, vt ex eo mundi redemptor oriũdus esset, miro afficiebatur risu probus ille senex, sicuti & vxor eius Sara. Sed à Deo approbatus est Abrahami risus, quod promissis eius fidem adhibuisset; Saræ autem reprobatus, quod tale rideret promissum. (*Gen.* 17. 18. *&* 21.)

Omnibus quoque clarum est regem Saulem magnum fuisse peccatorem; (*1.Reg.*15. *&* 24. *&* 26.) ipsoq; maiorem Regem Manassen: (2.*Paral.*33) vterque non solùm ob peccata cõmissa doluit, sed & publica cõfessione suam culpam confessus est: exaudiuit Deus regis Manassis cõfessionem eò quod vera esset, & Saulis reprobauit eò quod ficta. Infelix Iudas & S. Petrus fuere Iesu Christi discipuli & collegæ, fuit vterq; peccator & proditor, eò quòd vnus eum vẽdiderit, alter verò negarit: sed quod S. Pet. peccatorum pœnitentiam egerit, & coram diuina maiestate suas iniquitates defleuerit, remissa est ei culpa. Iudas verò condemnatus est, eò quod de diuina desperarit misericordia. (*Matt.* 26. *&* 27.) Hisce notabilibus exemplis

concludere possumus, quod opera nostra merito careant, nî à bona & sancta ducantur intentione: bona enim intentio nihil aliud est, quam instrumentum quo Dominus fructum quem ei offerimus accipit, & quoddam condimentũ sapore plenũ, cuius gustu ea quæ ei offerimus comedit. Super verba hęc Psalmistæ, *Anima mea in manibus meis semper.* (*Psal.* 118.) dicit S. Hieronymus: Quod dicat Psalmista, Deus animam meam posuit in manibus meis, hoc est, Deum non aliam ob causam homini liberum contulisse arbitrium, quam vt ei vltro inseruiret: Dominus Deus siquidē ita tyrannidis est inimicus, & vsqueadeò à vi cuipiã inferenda abhorret, vt malit sibi nullum, quam inuitum præstari obsequium: *Verè hæc vidua pauper plus quam omnes in gazophylacium misit*, dicit Christus (*Luc.* 21.) quasi diceret: Amen dico vobis, quod illa sola viduæ pauperis duo æra minuta, Deo fuerint gratiora omnibus ducatis & muneribus à præcipuis Synagogæ datis & oblatis. S. Hieronimus super hęc verba commentãs, consideratione dignum ait, quod Dominus

minus non diuites, qui in templo magnas erogabant eleemosynas; sed inter omnes duntaxat hanc miserã lauda rit viduam: ratio est, quod diuites offerrent id quod ex nimia abundãtia super erat, hæc verò paupercula vidua dabat totũ quod possidebat: sic vt apud ipsam maiori in pretio forẽt æra minuta duo, quam apud alios duo ducati. Apertè nobis, S. Hilario teste, Dominus Deus in hac viduæ oblatione bonam vel malam intentionem apud se pluris valere indicat, quã omnia nostra opera: quandoquidem frigidã diuitum ob intẽtionẽ, non tanti apud ipsum habiti sint ducati eorũ, quã illa pauperculæ duo æra minuta. Dicit S. Chrys. Dũ Deo animã tuã & corpus & vitã bonaq́; tua offers, quid aliud offers quam minutas pecunias & inualidas? Quandoquidem ergo quod Deo offeramus, nihil nobis sit præter nummos fractos & inualidos, decet eos prompto offerre animo, vt diuinæ misericordię accepti sint & grati: nihil enim ad cõmodum nostrum acceptat Deus, nî prius sanctam habeamus intentionem. Dum Abrahami

 (Gen.

(*Genes.* 22.) brachium tenuit Angelus, ne filium immolaret, sed eius loco arietem, æquè grata Deo fuit gladij euaginatio, atque capitis detruncatio, non propter rem actam, sed propter voluntatem quam habebat ad rem exequendam. Christus adolescentem sequi se cupientem non salutaris doctrinæ gratia, sed bonorum dierum & fruitionis eleemosynarum, quæ Christo dabantur, non solum in suum non ascripsit consortium, sed & duro repulit responso.

Primam ergo repetentes materiam, dicimus Dei famulo videndum finem, propter quem primò mundo egressus sit, & intentionem ob quam se religioni vouerit: Si enim Monasterium ingressus sit, non vt melior euaderet Christianus, Deoqúe liberius obsequeretur, fausto non est illud ingressus omine. D. Bernardus cuidam religioso, Guilielmo nomine, scribens, Si mundo inquit egressus sis, & Monasterium non aliam ob causam, quã vt S. Benedicti labores cõsumeres, vel vt liberius, & sine tanta sollicitudine viueres ingressus es, equi-

equidem te non S. Benedicti Monachū dicam, sed Epicuri discipulum, quia suscepta abusus es religione, & professionem tuam soluisti. Sic & S. Bonauentura, intentio nostra similis est aquę benedictæ, quâ nos signamus & sanctificamus, & est quoddam signaculum quo nostra opera signamus, & nomen eis damus. O Nouitie frater, si finis quo Monasterium ingressus es, sit vt Deo magis & melius seruias, nos te Dei filiū dicemus; si verò ob quempiam alium finem, diaboli. Ille diaboli filius est, qui in Monasterium non cum intentione Deo inseruiendi venit: Diabolo enim sufficit, nudum præstitum obsequium, licet sine intentione: Deus autem Dominus noster nostram voluntatem potius quam opera nostra in eius gratiam facta acceptat. Dum dicit Dominus, *Pone me vt signaculum supra cor tuum*, vult finem & intentionem nostram, quam in ingressu Monasterij habere debem⁹, primo ad mandata Dei obseruanda dirigi, deinde ad euãgelica consilia, quod in religione nullus perfectus possit esse Religiosus, nî prius perfectus conetur

esse.

esse Christianus. Ad supradicta quæq; confirmanda exemplum est apud Lucam. Rogante quodam adolescentulo Dominum, quid faciendo vitam æternam possideret, dixit Iesus, *Serua mandata.* cui iuuenis se ab ineunte ætate ea obseruasse dixit, addidit Christ⁹, aliud obserues restat: nempe vt vendas omnia & des pauperibus, & veniens sequaris me, & sic ex mundo diuitum, proborum mundo asscriberis. Narrant tres Euangelistę hanc historiam, simulqúe asserunt Christum voluisse prius sua mandata obseruari quam consilia. Vnde patet quod iuueni euãgelicorum consiliorũ obseruatio non fuisset commendata, nisi se exactè legem Moysis obseruasse dixisset. Suos ergo subditos monere debent Prælati, suosque discipulos magistri prius mandata Dei docere, quam euangelica consilia; licet enim votum vnum ab altero depẽdeat, Christianitatis votum tamen magis obligat, maiorisque est virtutis religionis voto. S Bernardus Abbati Donato scribens inquit, Tibi tamquam amico suadeo Pater Abba, immò vt Prȩlatus præci-

ci-

cipio, ne in Monachos nimia vtaris cæremonia, exigua magni pendens, primoq; obſerues, faciasq; quod iubet Euangelium, deinde quod S. Benedictus: nam fieri Monachum liberæ electionis eſt, neceſſitatis autē Chriſtianum. Dicit *Iob cap.*30. *Mandebant cortices arborum*, quaſi diceret, in talem proruerūt perverſi inſaniam & ſtultitiam, vt fructus maturos non comedentes, arborum cortices ederent. Tunc os rodit religioſus medullamq; reijcit, paleam ſeruat, & farinam abijcit, pateram reſeruat, & vinum effundit, folium comedit, & fructum retinet, dum pluris ſuas cōſtitutiones & ſui capituli regulas facit, quā quod Chriſtus in Euangelio præcepit. Petrus Bleſenſis cuidam Monacho ſcribens inquit, Scire debes frater Ieſum Chriſtum adoleſcentulo prius dixiſſe: *Serua mandata*, quam, *vende quæ poßides*, vt ſciremus nos ante omnia debere in fide confirmari, ſi in Monaſterio velimus fieri religioſi: Sicuti enim Monaſteria pro religioſis perfectis à viris ſanctis erecta & conſtructa ſunt, ita nonniſi ſummi & boni Chriſtiani in his perſeuerare

uerare poterũt Dicit in ſua regul. S.Baſ. Te moneo, imò tibi indico ô Monache, qui è mundo in ſolitudinem ſeceſſiſti, te debere Dei mãdatis obſeruãdis prius ſtudere, quam euãgelicis conſilijs, quia in tremendo iudicij die tui Chriſtianiſmi primo habebitur ratio, poſtmodũ tuæ religionis. *Ibunt de virtute in virtutẽ, & videbitur Deus in Siõ*, inquiebat David, *Pſal.* 83. hoc eſt, ſi Deũ Deorũ videre cupias, & ſi Sanctorũ ſancto frui, i de virtute in virtutẽ, i pedetẽtim per bona opera, donec ad culmẽ pertingas: Religioſi.n.perfectio non in initio cõſiſtit, ſed in beato fine. Ille it de virtute in virtutẽ qui poſt baptiſmũ Monaſterium intrat, vbi reformationi ſtudet, deinde deuotioni: poſtquam deuotus eſt, dignus eſt qui charitatem exerceat, denique qui cõtemplatiuus euadat, vt inde ſummũ perfectionis culmen attingat. Caſſiod. hunc in Pſalmum, non ſine myſterio, inquit, non dicit Propheta: Eant de virtutibus in virtutes, ſed de virtute in virtutem, vt ſciamus eum qui mũdum deſerit, & in Monaſterium venit, cogitare non debere ſe paucis diebus futurum

pro-

probum aut perfectum. plures namque sunt implendi dies, vt nos à vitijs extricemus, quam vt virtuti assuescamus. Differentia virtutis & vitij hæc est: scilicet quod virtus naturaliter summa cũ difficultate addiscatur, sed nullo negotio ex memoria deponatur; è contra verò omnino vitiũ blandè cõmittitur, sed difficulter exuitur: quoniam ita rebellis est caro nostra, & sua natura ita ad malum procliuis, vt nullum ferre velit laborem, neq; à suis voluptatibus auocari. Tunc Dei famulus it de virtute in virtutem, dum à se superbiã pellit, & humilitatem sequitur; dum iræ obliuiscitur, & patientiam amplectitur; dum diuitias cõtemnit, & paupertatem colit; dum gulę abrenunciat, & abstinentiæ studet, sic vt indies resipiscat, & singulis horis in melius progrediatur. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea,* dicebat Propheta, *Psal.* 62. quasi diceret, O summe Israel Deus, te oro & obsecro, vt virtute pinguedinis adhærentis carni meæ, & adipe interiorum meorum, animam meam impinguare & vngere digneris, quæ ad te nullo mo-

do ob ſuam debilitatẽ accedere poteſt⁹ vultq́; tantis circundata malis emori. Notandum, pinguedinẽ dici id cui animalium renes incluſi; adipem verò quo quid vngere ſolemus, & perfundere. Porrò hanc vtramque pinguedinem & adipis & ſeui, ad animam vngendam rogare Dominum, eſt auxilium ad eius mandata obſeruanda, & conſilia adimplenda rogare, quorum auxilio impinguatur anima, & cũ Deo reconciliatur. O quã felix eſt illa anima, quę hoc vtroque vnguento vncta eſt, & hac pinguedine perfuſa! ad vnumquemque enim mandatorũ Dei obſeruatio ſpectat, euãgelicorũ conſiliorũ autẽ tantũ ad perfectos. Chriſtiano, ſolo op⁹ eſt adipe; Religioſo, & pinguedine & adipe. Ita vt ſi in vita monaſtica proficere ſtudeas, & ad culmẽ perfectionis pertingere, nõ ſolũ adipe tibi, ac medulla quæ eſt Dei mandatum, opus eſt, ſed & ſeuo ſiue pinguedine, quæ eſt eiuſdem conſilium. Super hęc verba dicit S. Damaſcen. quod non ſine myſterio neq; medullam ſine pinguedine, neque pinguedinem ſine medulla Deum roget Pſalmiſta, vt intelligamus

gamus amorem Dei nõ posse sine amore proximi esse, neque econtra, eo quod cœlestia palatia hisce duobus fundamẽtis fulti sint. Dicit in Psalmos Aureolus: Quod petat pinguedinẽ cum vnguento Propheta, innuit se sacrorum desideriorum gratiam vna cum operib. petere: eò quod magni admodum pretij non sit sacrorum desideriorum pinguedo, sine bonorum operum adipe. Mandatum Dei & Euãgelicorum consiliorum obseruatio, DEI amor & proximi, bona desideria & bona opera, per duplicẽ spiritũ quẽ rogauit Elisæus Heliã, præsignata sunt: (4 *Reg.* 2.) & per duas tabulas in quibus lex scripta erat (*Exod.* 31.) per duas vaccas quæ arcã vehebant, (1. *Reg.* 6.) per duo tabernaculi Cherubin, (*Exod.* 25.) per duo æra minuta viduæ pauperis, (*Marc.* 12.) per medullam & pinguedinẽ, de qua hic agit Propheta: sicut & psalmo 75. Psalmista, *Reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi.* quasi diceret, O summe Deus Israel, vsqueadeò bonus es, & tantillis rebus tibi satis fit, vt solis bonorum desideriorum reliquijs diem festum tibi agant sancti

tui

tui. Nõ dicit Propheta ſanctos Dei diem feſtum ſanctis duntaxat cogitationibus agere; ſed reliquijs quæ ab eiuſmodi cogitationibus redundant. vt intelligamus in religione non ſufficere bonam intentionem, nî poſtea ſequatur probitas. In Apocalypſi ſiquidem S. Ioan. ca. 14. non dicit cogitationes eorum, ſed *opera eorum ſequuntur illos*. Ita noſtris deſiderijs bonis Deus lætatur, ſicut de die vno ſeptimanæ, ſed de bonorum noſtrorum operum diuitijs gaudet, ſicuti de Paſchali die. Ideoque Ieſus Chriſtus tribus duntaxat annis concionatus eſt, ſed triginta bonorum operum vacauit exercitio. Super Pſalteriũ dicit Caſſiodorus: tunc tuarum cogitationum diuitias Deo offers, cum eas in ſancte facta commutas, & bonorum operum exercitio concludis. Ex bona cogitatione enim oritur bonum opus, & ex bono opere finis bonus. Sic vt quouis die Deo noſtrorum cogitationum reliquias theſaurizare debeamus. Dicit idem Doctor in vitæ ſolitariç libro, religioſum tunc Domino diem feſtum agere, dum inſpirationibus quibus eum

Spiritus

Spiritus sanctus afflat, vtitur, sic vt si abstinentiæ spiritu tãgatur, statim ieiunet: si pœnitentiæ, continuo resipiscat: si silentij, extemplò taceat: si paupertatis, confestim omnes possessiones deserat: si patientiæ, protinus indulgeat: sic vt suum velle totũ ex sancti Spiritus mandatis dependeat. Dicit S. Bernar. scribens fratribus montis Dei, sicuti de malo religioso dicit Apost ad Rom. 2. *quod thesaurizat sibi iram in die iræ*, ita de bono religioso dicit Psalmista, *quod reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi*. Quod exequitur religiosus; dum tam de die quam nocte bonorum & sanctorum operum reliquias thesaurizat, indies magis humilem se præbẽs, & se in charitate exercens, abstinentiam non soluens, patiens semper & omnia in obedientia faciens. Quidam Abbas dictus Sysoy in Patrum collationib. dicit, Monachum tunc Deo suarum cogitationum reliquias offerre, dum intentionis qua Monasterium ingressus est, suęq; professionis in manu Prælati factæ meminit, sic vt semper eiusdem sit feruoris, cuius erat in ingressu suę professionis, memor,

Dicit

Dicit diſcipulis ſuis Ieſus Chriſtus: *Colligite fragmēta ne pereant, & collegerūt reliquias fragmētorum;* quaſi diceret, quod potui feci, piſcibus benedixi, panes multiplicaui, populum ſatiaui, nunc autem veſtrum eſt quod ſupereſt colligere, & micas quæ ceciderunt, quia maioris pretij ſunt quæ ex menſa mea ceciderūt fragmēta, quam omnes mundi poſſeſſiones. Aduertenda hic eſt diligentia Domini, quā haberi voluit in fragmentis, & micis in terram lapſis colligendis, cum tantum panis pereat, & tantū frumenti putreſiat, hoc eſt, cum tanti populi in manu tyrānorum tantaq́ue regna ſub Turcica poteſtate ſint conſtituta, cum tantæ in auarorum manibus diuitiæ, tantæq́ue dignitates in peruerſorum hominum poteſtate ſint poſitæ. Videt apertè Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quod peruerſi ei multa ſurripuerint, quod magnam ſuarum poſſeſſionum occupauerit partem Diabolus, & quod exigua ſit pars quæ ei ſupereſt, ſic vt ex modio vix illi ſuperſit ſextarius, ex ſextario triental vix illi detur, & hinc vix panis, & ex pane vix bolus, & ex illo

bolo

bolo multæ cadunt micæ quas magna diligentia vult colligi, & inter suorum thesaurorum reliquias asseruari. Dicẽte bono Iesu. (*Ioan.* 6.) Ego *sum panis viuus*, quid aliud voluit innuere nisi se fuisse panem viuum, verum & æternum? Porrò huius panis partes, Deo dicatæ fuerunt personæ quæ approbatas erexere religiones, huius autem panis micę omnes fuere religiosi perfecti, qui à mundanis selecti in Monasterium missi sunt, velut in corbes ne peruersorum pedibus contererentur, neue à vitijs superarentur. S. Benedictus, S. Basilius, S. Augustinus, S. Hieronimus, S. Bruno, S. Franciscus, S. Dominicus, S. Bernardus quid aliud fuere præter panis partes quibus suam benedictionem contulit Dominus? Quid omnes cæteri religiosi præterquam istius panis micę fractæ & manu in religionis monasticæ corbes positæ? Sicuti orbem terrarum circuierunt Apostoli hinc inde micas colligentes donec suas paruas corbes repleuissent, sic hinc inde discurrit Dominus, nos ex omni statu alliciens & deligens donec sua implerit Monaste-

ria, vt illic ei melius inseruiamus, & facilius viam salutis inueniamus. *Memor esto vnde excideris* dicit in Apocalypsi Deus (*Cap.* 2.) quasi diceret, Recordare frater religiose quod Deus te mundo eduxerit, & in Monasterium conduxerit, te inquam, qui suæ arboris ramus eras, sui horti fructus, suæ farinæ furfur, te inquam qui suæ mensæ mica eras, quibus micis suæ gloriæ sedes replentur, ad quas nos sua gratia perducere dignetur, Iesus Christus Amen.

LIBER

LIBER DICTVS DOCTRINA RELIGIOSORVM & exercitium proborum, compositus per Dom. Antonium de Gueuarra, Episcopum Mondoniensem, Prædicatorem, Chronistam, & Caroli Quinti Imperatoris Consiliarium.

CAPVT PRIMVM.

Quod Dominus Deus magnum conferat beneficium ei, quem huius mundi tumultibus educit, vt eum ad Religionem perducat, & in Monasterium in quo ei obsequium præstet.



NAM *petij à Domino, & hæc requiram vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*, inquit Propheta Dauid, *Psal.*26. quasi diceret, vnicam rem tantum te petij ô summe Deus Israel, & quidem importunè, vt inhabitem in domo tua omnibus diebus vitæ meæ. Dominus Deus cum Propheta Samuele de hoc insigni Rege

Dauid, adeò in ſuis contemplationibus ſublimi, & iniuriarum patiente loquẽs dicit, (*2. Reg. 15.*) *Inueni virum ſecundum cor meum*, quaſi diceret, Regem Saulem reieci, nolo amplius eum regnare, neq; meæ Reipublicæ dominari, quia inobediens fuit, eius loco Dauidem elegi, qui eſt ſecundum cor meum. Poterat Regi Dauidi multa præſtare Dominus Deus, imò & ipſe Rex Dauid plura quã rem vnam rogare. Credendum eſt rem illã quam rogat magnam eſſe, & per excellentiam bonam, Dominus Deus enim magna conferre ſolet, licet exigua petantur. Deinde quandoquidem Dauidis animus, ita Dei animo vnitus erat & è cõtra, ſi quid petierit vnus viderim⁹ & quid cõceſſerit alter, facile erit videre quid Deũ rogare debeamus, quidve facilè conſequemur. Secundũ hanc rem dicit Dominus Deus Marthæ, (*Luc. 10.*) *Turbaris erga plurima: porrò vnum eſt neceſſarium*, quaſi diceret, ſi intelligere poſſes ô Martha, quid animæ tuæ cõueniat, quidve libentius conferam, rem vnam solùm peteres quâ contenta eſſes. tuæ enim ſolicitudinis & inquietudinis cauſa hæc

ſa hæc

ſa hæc eſt, quod multa petas & deſideres; Dauid ergo rem vnam à Domino petit, ideóq; perſuadet Dominus Marthæ vt rem vnam petat. æquum eſt nos omnes noſtras expoſtulationes ad rem vnam referre, quandoquidem ex re illa omne vitæ noſtræ bonum depēdeat. Res notatu digna, B. Dauidem Deum nō rogare diuitias, qui tamen pauper erat; nō honores, qui admodum demiſſus; nō quietem, qui in perſecutione; nō regnum, quod occupabat Saul, ſed tantum vt in ſancta eius domo habitet, in qua quietus & tranquillus ei inſeruiat. Religioſa expoſtulatio. O felix Regis Dauidis petitio, (*1. Reg. 16.*) quemadmodū à Deo Rex electus, vnctus, per Samuelem conſecratus, à populo acceptatus, omni mundo formidabilis, gaudens tamen imò lætabundus omnibus renunciaturus eſt, dūmodo Dominus Deus ei angulū in domo ſua concedat, in quo ab huius mundi tumultibus ſeparatus ei liberius inſeruiat. Porrò domus quam petebat, & angulus ad quem anhelabat, non erat domus Abinadab, in qua ſacra fœderis

area erat, neque domus Iericho quæ excommunicata erat, sed domus religionis & ordo, vbi suos electos sueuit fouere Dominus, & eos congregare quibuscum delectatur. (1. *Reg.* 7. *&* Ios. 6.) Sicut arca Noe (*Gen.* 6.) mansiones habebat, quæ erãt cubicula ampla, & alias mansiones quæ erãt tuguria: Sic in Ecclesia Dei multę sunt mansiones, in quibus habitat populus, & paruæ in quibus status & religionis monasticæ ordo residet, & illic Dominus Deus summæ perfectionis & sublimis contemplationis viros collocat. In vitis Patrum legitur de quodam Monacho, qui Abbati Pannucio dixit: Quid agã Pater sancte? Mundo qui suis me illecebris allicit resistere nullo modo possum, neq; carni quæ me tentat, neque diabolo qui me decipit, neque huic eremo, quæ me terret. Cui sanctus senex hoc modo respondit, sicuti diues minutas pecunias in ampla crumena conseruat; aurum autem in angustiori; eo modo Deus Dominus noster, fragiles & imperfectos in mundo relinquit, perfectos & probos in eremi asperitatẽ & rigorem

con-

cōducit. Sic vt ex vitę forma, in qua nos collocat Domin. possimus an & q̃. amet nos cognoscere. Dicit in sua regula S. Basil. ꝙ eos qui eius amicitiam quærunt ita diligat Dominus, vt ab initio mundi eos ab isto mūdo educere solitus sit, sicuti in Abrahamo videre est, quē è Chaldęa eduxit, (*Gē*. 12.) in Iacob, quē è Syria (*Gē*. 31.) in Ruth, quem è Moab (*Ruth* 1.) in Moyse ab Aegypto: (*Exo* 12.) in Dauide, quem è Geth terra Philistinorū: in magno illo sancto Elia quem è Samaria, & Ioan. Bapt. quem è Iudęa. Porrò quid est quempiā in religionem aduocare, nisi eum à periculis & tēpestatibus, in quibus Deū offendere poterat, retrahere, & ei gratiā conferre, qua ei obsequium præstet? Dic quæso mihi, quādo vidisti Deū cuipiam notabile beneficiū conferentem priusquam à mūdi huius tumultibus eū separasset, vel in solitudinē deduxisset, vel in religionem? Decem diebus ante solēnitatem Pentecost. voluit Iesus Christus ad instar Religiosorū discipulos suos alto quodam loco congregatos, solitarios, inclusos, orantes & ieiunantes esse, promissum spiritū san-

ctum expectantes: sic vt ante immissionem Spiritus sancti eos in quodam alto cubiculo voluerit esse fratres religiosos. Ab instanti quo Iesus Christus suos Discipulos & Apostolos acceptauit, semper simul ambularũt, sub vno eodemq; tecto coniunctim dormierunt, simul comederunt & manserunt, sic vt si Iesum Christum cum Apostolis & Discipulis videres, videres Abbatem cum Monachis, vel Priorem cum suis Religiosis. Statim post Iesu Christi mortem elegerunt Apostoli locũ ab alijs segregatum in modum Monasterij, ad quem omnes fideles sacramenta suscepturi, & officia diuina celebraturi currebant. Illic secretò baptismum conferebant, & illic fideles omnes possessiones suas Apostolis erogabant. Paulo post mortuis Apostolis cœpit S. Magni Basilij ordo Monasticus vigere, qui sanctus postea fuit Cæsariensis Episcopus, quique in Scythia quoddam erexit Monasterium, quod primum Monasterium Religiosorum fuit, in qua tria Religiosorum millia collocauit, quibus certam viuendi regulam præscripsit.

Magnus ille Origines huius S. Basilij ordinis Religiosus fuit, imò & Cromatius, Pamphilus, Arsenius, & Pannuui⁹. qui vt litteris ita vitæ sanctitate decori fuerunt. Refrigescente S. Basilij ordine viguit S. Benedictus, & alium instituit viuendi monasticum ordinem, quem amplexi sunt S. Gregorius, S. Maurus, multiq; alij præclari viri, quorum consilio longo temporis interuallo gubernata est Dei Ecclesia. Paulo post successit præclarum illud Ecclesiæ lumen S. Augustinus, qui & nouum in Africæ desertis instituit ordinem, in quibus Apostolorum viuēdi normam cum suis secutus est, quæ possidebāt pauperibus distribuentes, reliqua in commune. Illis quasi temporibus in Ægypti desertis surrexit S. Hieronymus, in quibus locis quoddam construxit Monasteriū & aliud vnum ad sanctū sepulchrum, vbi ille cum suis Monachis ita asperam triuit vitam, vt potius angelico quam humano videretur viuere more. Diù post anno Domini 1084. sanctus ille Bruno Theologiæ Doctor Coloniæ natus, caput erexit, qui ordinem Car-

thusianorum instituit, qui solitudine & abstinentia inter præcipuos Ecclesiæ Catholicæ ordines præeminent. Hisce extremis temporibus viguere S. Franciscus & S. Dominicus, qui velut alia duo cœli lumina, & duæ templi bases, Dei Ecclesiam sustinent, & sua doctrina illuminant. In antiqua lege (*Numer.* 6.) quoddam pariter erat religiosorum genus Nazaræi nomine, capillos non abscindentes, neque vinum bibentes, vouebant & particularia offerebant sacrificia: sic vt quos nunc dicimus Religiosos, illi Nazaræos dicerent. De Messia in lege promisso Domino nostro Iesu Christo agens Propheta dicebat, (*Matt.* 2.) *Quoniam Nazaræus vocabitur*: quasi diceret, Religiosus vocabitur. Dum recepit Moyses legem (*Exod.* 19) dũ Rex Dauid vnctus fuit, (1. *Reg.* 16.) quando per angelum Dei refocillatus fuit Helias,, (3. *Reg.* 19.) dum duplicem spiritum recepit Elisæus, (4. *Reg.* 2.) dum digito Dominum nostrum magnus ille S. Ioannes Bapt. monstrauit, (*Ioan.* 1.) nunquid queso in desertis in modum sanctissimorum Religiosorum reclusi, habitabant?

bitabant? Nunquid & illa virtute prædita vidua Iudith in sui cubiculi penetralibus in modum sanctimonialis erat, dum ei suā contulit gratiam Dominus, quæ postmodum tyranni Holoferni caput obtruncauit? (*Iudith 8. & 13.*) Nunquid & sacram virginem & immaculatam in oratorio inclusam reperit Angelus Gabriel, dum Dei mater electa fuit? Nunquid D. Ioannis Baptistæ mater in altum Iudeæ montem secesserat, dum eam inuisura & salutatura venit mater Dei? Nunquid & Anna Prophetissa in tēplo sola orans erat, dum Iesum Christum videre meruit? *Ducam illam in solitudinem, & loquar ad cor eius*, dicebat per prophetā Oseam Deus, cap. 2. quasi diceret, Animam quam ad meam gloriam prædestinaui, cuiq; meam gratiam communicare decreui, huius mundi periculis & præcipitijs educam, & eam in solitarium deducā locum, vbi solus cum sola cordis mei, cordi eius secreta aperiam. Super hæc verba dicit S. Bernardus: Deum plurimis signis & verbis loqui; paucis autem sui cordis intima in cordis interiori, quoniā ego ipse

B pro

pro certo credo, Deum nemini ad cor loqui, nisi ei qui toto corde amat illum. O felix anima quæ à Deo in religionis desertum culmenq; perfectum est vocata! quoniam ibi es ô bone Iesu, vbi tuos electos euocas, vt te cũ omni pietate sequantur, & toto corde inseruiā. Dicit S. Hieronymus in Oseam, Paru nobis prodest fratres, Deum nobis aurem vt audiatur eloqui, nostrosq; dirigere pedes vt eum sequamur, oculos nostros vt eum respiciamus, os nostrũ aperire vt eum laudemus, cordi nostro loqui vt eum amemus, quoniam ille nũquam corde amare poterit, qui eum in corde non gerit. Tunc verò religiosi cordi loquitur Deus, dum eum hujus mundi periculosis tempestatibus educit, dumqúe ei gratiam in Monasterio perseuerandi confert, quia ibi potius quam alibi corpus in omni munditia, animumq; in omni puritate cõseruare potest. Dicit quoque S. Anselmus, Te scire volo frater religiose nobis parum prodesse à Deo in solitudinem vocari, nî primò toto corde huius mũdi rebus abrenunciemus; experientia enim sci-

mus partem dentis putridam in gingiuis relictam, reliqua parte omnino eradicata plus incommodi quam cōmodi adferre. Ille putridam quandam partem in gingiuis relinquit, qui necdum eradicauit, vel à se penitus omnem rerum mundanarum concupiscentiam eiecit, qui quotidie captiuitatem electam defiet, & libertatem perditam suspirat, dicens: intentionem suam non ad tātam vitæ asperitatem dirigi, quam si adeo strictam cognouisset, non Monasterium ingressus fuisset. Equidem incredibile est Deū ei corde loqui qui se Monasterium ingressum dolet. non enim religiosi habitus quo tegitur hanc eremi tristitiam & molestiā gignit, sed frigidum quo in Deum vtitur obsequium. Religioso qui mundum bono animo deseruit, qui perfectæ est religionis, qui superioribus obedit, huic inquam, & nō alteri ex toto corde suo loquitur Dominus. Quod ad alios enim spectat, qui in suis verbis nimium factuosi sunt, quique in actionibus nimium dissoluti eis non corde loquitur Dominus, nec

eos æquis respicit oculis. Primam ergo repetentes materiam, dicente Dauide *Vnam petij à Domino*, domum rogabat quam incolere cupiebat & mercedem quam consequi anhelabat. non enim exiguum est Dei munus numero sanctorum religiosorum ascribi, & cum electis collocari. Summa Dei famulo est consolatio quod idem Deus se tertium futurum pollicitus sit quoties-cunque in nomine eius duo congregati erunt, vel quartum quotiescunque tres (*Matth. 18.*) ideoq; concludere possumus Deum in Monasterijs in quibus vigebit ordo manere quandoquidem in eis multi diuino officio vacent probi & perfecti religiosi. Non sine mysterio Iesus Christus se omnibus congregatis adfuturum non dixit, sed ijs duntaxat qui in nomine eius congregati erunt, dicit enim, ijs qui erunt *congregati in nomine meo* adero. Quibus erudimur Iesum Christum non adesse congregationi in qua corruptus est Prælatus, nec Monasterio in quo nullus est ordo. Sed non propter verba nostra hic debes animo deficere, obijciens te in Monaste

rio

rio corrupto collocatum: nullum etenim in mundo Monasterium ita corruptum est in quo non quispiam sit religiosus probus & perfectus, cuius vestigia imitari posſis: benè viuendi ſiquidem forma à ſolo probo deſumi poteſt. Hortatur Dei famulum vitæ ſolitariæ liber, vt quotiescunque ſurget & ad lectum ibit, dicat, immenſas tibi ô bone Ieſu refero gratias quod me crearis, me redemeris, & me in ſtatum & religionis ordinem deduxeris, multos (ſicuti de more ſoles) in mundo relinquens, qui tibi me melius fortaſſe in Monaſterio inſeruirét. In vita Patrum fit de inſigni Abbate Arſenio mentio qui ſingulis annis celebrabat diem illum quo eum Deus mundo eduxerat, & feſtum illum agebat, communicando, tribus pauperibus eleemoſinas erogando, quædam legumina cocta comedendo & aditum omnibus monachis in cubiculum ſuum concedendo. Si Iſraelitæ diem illum, quo eos Aegypto eduxerat Deus celebrabant, cur tu frater diem illum, quo te mundo eduxit Deus non celebrares? quandoquidem maius ſit beneficium

quod

quod te ad religionem vocarit Deus,
quam quod Iſraelitæ in terram promiſ-
ſionis conducti ſint. Ad rem dicit Sene-
ca: vnum procurare debet vir ſapiens,
locum ſcilicet ab alijs ſegregatum, ſiue
honeſtum conſortium in quo nullus ei
grauis ſit, & in quo quietus viuere poſ-
ſit. ſecundum meam enim opinionem
nihil ipſi quod opret ſupereſt qui hone-
ſto meruit conuiuere conſortio. Dice-
bat in collationibus Patrum Abbas Pā-
nucius, trium ſemper memini quorum
ſingulis diebus commemorationē fa-
cio, baptiſmi ſcilicet quem vt Chriſtia-
nus ſuſcepi, profeſsionis meæ quam vt
religioſus profeſſus ſum, & verborum
Dei in die iudicij dicendorum, nempe,
Diſcedite à me maledicti, vbi exacta à
me expetetur non ſolum ma-
lorum meorum ratio,
ſed & bonorum
omiſſorum.

Per-

Perfectos homines à Deo electos esse: magnumq; esse in Deum peccatum nō agere gratias quod nos ad Religionem vocarit.

CAPVT II.

A*Diuuantes exhortamur, ne in vacuū gratiam Dei recipiatis*, dicebat Apostolus Corint. scribens, (2. *Cor.* 6.) quasi diceret: Videte fratres ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, nam in vnum è totius mundi summis hoc esset incidere peccatum: *Dei* gratia enim nobis collata est omni beneficio maximo tanquam maius beneficium. Tunc in vacuum Dei gratiā recipit homo, dūm pro tanto benificio ei gratias nō refert. Ille quoque in vacuum Dei gratiam recipit, qui eam secundum dantis voluntatem non exercet, ideoque satius foret Dei dona, & gratias nō recipere, quam ijs acceptis abuti. Ille ijs abutitur qui ijs Domino inseruire nescit, neque suis fratribus prodest: pulchro equo planè non absimilis, qui multi est pretij & nullius valoris, vel arbori floribus onustæ, nullos tamen fructus ferenti. S. Ber-

Bernardus montis Dei Monachis dicit religioſum illum gratiam DEI in vanum recipere, qui quod huius mundi periculoſis ærumnis extractus, & in Monaſterium à Deo deductus eſt non meminit, quoniam tantæ excellentiæ tantiqúe meriti eſt illud beneficium, vt ſicuti aqua Baptiſmi baptizamur, ita religionis profeſſione regeneremur. Tunc pariter Dei gratiam in vanum recipit religioſus, dum eodem quo in mundo vult in Monaſterio viuere modo, eademqúe vti libertate qua antea. Tali dicit Dominus (*Ioan.* 2.) noli domum Patris mei & orationis, domum negotiationis facere. Ideoque quid agat ante habitus ſuſceptionem videre debet Dei miniſter, conſiderareqúe num in monaſticum ordinem propria voluntate aut neceſſitate venerit, quoniam ſicuti omnes mundi religiones à perſonis ſanctis erectæ ſunt, ita non niſi ſanctis & pijs deſtinatæ ſunt. Religioſus, qui tantæ temeritatis eſt, vt in religione profano audeat viuere modo, & res mundanas adhuc ſapere, ſe futurum apoſtatam

ſtatam pro certo ſciat, nî ab obedientia clauſtrali ſe regi patiatur. Tolerantur quidem pro tempore ij qui in religionis ordine ab alijs excipi volunt, & qui alijs præferri, ſiue in ciborum materia, ſiue in eo quod conuentum ingredi cum reliquis nolint, ſed tales perſeuerare, nullo modo pati poteſt religio. Si mater enim mortua corpora pati non poſſit, quin ſtatim ea à ſe reijciat, multo minùs religionis ſtatus & ordo homines malè enutritos & corruptos ferre poteſt. Dicitur ordo, Dei ſeruorum viuendi forma, quia illic omnia ordinata eſſe debent, dicunturqúe religioſi, vt in Monaſterio quodammodo ligati ſint, alioquin enim non foret ordo, ſed inordinatio, non religionis Monaſterium, ſed confuſionis domus. Petenti quondã Deo ab Ieremia Propheta (*cap.* 24.) quid eſſet illud quod videret, reſpondit: *Video ficus bonas, bonas valde, ficus malas, malas valde*, quaſi diceret: ô Domine duos ficum video in porta templi calathos, quas vt guſto quaſdã,

ita

ita dulces experior, vt ijs satiari nullo modo possim; alias autem ita amaras, vt eas nullo modo gustare ausim: eiusdem tamen erant coloris, sed non eiusdem saporis. Ex hac sublimi figura colligi potest nihil esse religioso suam religionē obseruante melius & pretiosius; nihilq; in toto mundo peius eo qui suæ abrenunciat professioni, eo quod corruptus Monachus & apostata, sit diaboli discipulus, non autem Iesu Christi. Ille suam religionem abnegat, apostasiamq; committit, qui quodam sancto religionis habitu sumpto, quidpiam nihilominus rerum mundanarum & leuitatum adhuc retinet, sic vt ab vna parte se Monachū credat & existimet, ab alia verò tanquam profanus viuat. Dic quæso mihi, cur sæculares nobis obuiam procedētes se nostris precibus commendant? Cur caput detegunt? cur nostras deosculantur manus? cur tantam nobis exhibent reuerentiam? Nisi quod nos sanctos existiment, & precibus nostris sperent se saluandos? At si mundani vagas nostras cogitationes cernerent, si vagas nostras per Mo-

nasterij angiportus deambulationes viderent, certo scias frater illos non quæ dant daturos, neque nos in tali pretio habituros. Caueat ergo Dei famulus pro calatho ficuũ quas vidit Ieremias propheta inscribi, quæ secundum apparentiam bonę erant, amari tamen erant gustus. Pone enim religiosum admodum solitariũ suo cubiculo bene reclusum, pone probum, præstat eum talem esse, & non videri, quam videri & non esse. Notandũ seriò est, quod ficus illæ quas vidit Ieremias positæ omnes essent in calathis & corbibus, & quidem in porta templi, sed non omnes eiusdem erãt gustus & saporis. Vnde colligere possumus Monachi perfectionem non in eo quod religiosus vocetur consistere, vel quod in Monasterio resideat, vel quod nigrum aut fuscum & obscurum gestet habitũ, sed in bona aut mala vita. Non sine mysterio quoque dicit Ieremias ficus malas fuisse, malas & amaras valde, vt sciamus perfrictæ frontis Manachũ, suæq; propriæ repugnantem consciẽtię in omnia vitia omnesq; mundi iniquitates proruere. O bone Iesu, ô animæ

meæ

meæ amor, placeat immensæ bonitati, & clementiæ tuæ me sanum conseruare, non autẽ putridum racemum quandoquidem me nunc in corbem sub religionis clausura colligare dignatus sis, fac ne amarus sim racemus, sed dulcis, fac ne reijciar, sed in torcular deferar, in quo dignè præparatus in tuam gloriam velut vinum purum admittar. Visus est quidam religiosus ardenti febre vexatus à quodam sene haustum aquæ frigidæ rogare, cui hæc protulit senex. Licet fili mi æger & debilis sis, non ideo tamen eremi rigorem & asperitatem tibi licet prophanare & remittere, opacum quærendo locum vel aquam frigidam expetendo, quoniam vt verè dicam Euangelij doctrina, mundiqúe libertas non se in religione compatiuntur. Cuidam Monacho tristi scribens S. Bernardus, dicit, non miror frater Guilliberte te tristem, sed miror te non desperatum, quandoquidem audiam te nihil nisi mundana suspirare, teqúe nullis nisi ijs qui in mundo sunt inuidere. Quod equidem magnæ leuitati deputo, quia æquiori cum ratione hic

probis

probis inuidere deberemus, quàm in sæculo diuitibus & potentibus. Tu verò cum tuis similibus maximè deciperis, si ob longiorem Monasterij inhabitationē reris te laxius posse viuere. nam religionis perfectio à paucis obtinetur, & multo cum labore comparatur. Non culpa an vitio Domini Dei accidit, si quadam necessitate & afflictione premamur, quandoquidem suis famulis se eos auditurū pollicitus sit, seq́ue illis subuenturum dixerit, & quod pretiosius est maiori nostrę necessitati, suam maiorem reseruet charitatem. Scias Guilliberte non solum rerum mundanarum procurationē esse prohibitam, sed & ipsam cōcupiscentiam quam habes. Magis quandoque in concupiscentia peccat cor, quam manus in tactu. Hebræis prohibita sunt bona eorum qui habitabant Iericho, immo ideò excommunicati sunt supradicti Hebræi, vnde miser Achan filius Charmi ob surreptā quandam bonā togā, & quandam pecuniæ partem, statim morti adiudicatus, & ab omni populo lapidibus obrutus est. (*Iosue 7.*) Caue tibi frater Guille-

Guilleberte à bonis Ie richo, hoc est, caue quandam seruare vestem vel quasdam ad voluptatem pecunias; si enim in vsqueadeo inordinato casu cũ Achã lapidibus non obruaris, cum Iuda tamen condemnaberis. Hæc supradicta à S. Bernardo desumpta sunt. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardẽtes in manibus vestris*, dicebat Dominus, (*Luc.* 12) quasi diceret, si, ô discipuli mei me sequi, mihi inseruire velitis, lumbos vestros ritè præcingere debetis, lucernáque ardentem in vtraque manu tenere, in modum eorum qui vigilant, dominumque ex improuiso venturum expectant. Hoc consilio nixi Elias in deserto, in carcere S. Petrus, Ephesi S. Paulus, in cœna Iesus Christus lumbos debitè præcinxerunt etiamsi malẽ vestiti essent. Vt sciremus veros Dei famulos nunquam animo deficere debere, neq; à benè inceptis desistere pro qualibet infamia & pro quolibet aduerso labore. Quid aliud imperat Dominus dum nos præcinctos deambulare voluit nisi vt nos impigros & diligentes præberemus

mus in eius obſequio? Præcincta toga non vento plena vtilis eſt. His inferre volo Moonachum Domino inſeruire volentē debere ab initio ſe reprimere & recolligere, & tunc illum cinctū dicemus, dum iuſtus euadere conabitur. Præcincta tunica inceſſum non impedit, nec multum occupat loci: ſignificās Dei famulum ita honeſtè ſe in ſuis actionibus & ita ſincere in ſuis verbis gerere debere, vt, qui eum ad Monaſterium ablegarunt, vel qui ei habitum dederunt non habeant quod doleant; ſed è contra quod Deum laudent, nempe quod talis in Monaſterio benè viuat. Non ſine myſterio nos pedes noſtros, vel manus quæ ſunt corporis extremitates præcingere noluit Ieſus Chriſtus, ſed lumbos duntaxat, qui medium corporis locum occupant: vt doceat vitandas eſſe & in cibo, & in veſtitu, & in conuerſatione inordinatas actiones, ſed omnia in pondere & menſura exequenda religioſus enim qui in ſuis actionibus excedit, nullum bonum poteſt ſeruare medium neque ordinem. Super hæc Ioannis verba ſcilicet *Sint lumbi ve-*

bi vestri præcincti dicit S. Gregorius, Quid aliud imperat Dominus dum lũbos nostros præcinctos esse vult, nisi vt puri & casti à planta pedis vsque ad verticem simus? Lumbos præcingebant agnum Paschalem esuri Hebræi; (*Ex. 12*) tu verò frater altare accessurus, cogitationes tuas tantummodo cingere & recingere debes; quia Dei minister tali corporis & animæ sinceritate & castitate viuere debet, vt ne vel vnum ab eius ore emanet infame verbum, vel ab eius corde sola mala cogitatio. Super hac re dicit S. Augustinus, illum lumbos præcinxisse, qui mulierum conuersationem fugit. Quod ad me (inquit) fateor & dico me nullam maiorem ad conseruandam castitatem reperire virtutem, quam dum occasiones fugio, & ab eis recedo. O bone Iesu, ô animæ meæ amor, si fateatur S. Augustinus se castum esse non posse nisi dum occasiones euitat, quid de me miserrimo fiet? Quid ergo mundi medijs concupiscentijs circundatus & obrutus? Videat ergo Dei famulus ne discinctus erret, hoc est, ne vanus, negligens, & sine cura ad castita-

tem

tem seruandam ambulet. Visu enim solummodò peccant oculi, verbis lingua, cogitatione intellectus, consensu cor, delectatione autem & opere caro. Non etiam sine mysterio voluit nos Dominus, præcinctos esse priusquam lucernam ardentem in manibus teneremus; insinuans, debere nos mundi diuitias & vanitates subterfugere, ne illæ nos in religione comitentur, neve vnquam illas in memoriam reuocemus. Quid est in manibus lucernam ardentem tenere, nisi sanctis nostris operibus insudare? Sicuti ille qui præ manibus candelam habet, differt ab eo qui lumē ab ea procedens recipit; ita religiosa persona, & bonum opus differunt: nam hoc non solùm ei qui illud exercet prodest, sed & eum qui illud respicit, ædificat. Ad rem dicit S. Chrysostomus, sicuti ille peccato non caret, qui alteri est occasio peccandi; sic ille sine merito non est, qui alteri est occasio merendi; secundū illud Psalmistæ enim (*Psa.* 118.) *Particeps sum omnium timentium te*, valde participes boni sumus, cuius boni facti sumus occasio. Super hęc verba dicit S.

Fulgentius, quod lumbos præcinctos eſſe velit Ieſus Chriſtus, priuſquam cãdelas accendas, clarè & apertè tibi indicat primo à malo declinandum eſſe, deinde bonis operibus ſtudendum: experientia enim ſcimus nullum agrum fructum ferre, niſi prius malis herbis & vrticis eradicatis, & terra exculta. Dicit S. Auguſtinus, Deum nobis ſua pretioſa nunquam conferre munera niſi noſtris malis & peccatis eradicatis: Deique dona & munera tunc creſcere, dum imperfectiones noſtræ & peccata noſtra decreſcunt, ſic vt eius bonis perfectè non vtamur, niſi conſumptis & delectis peccatis noſtris. Seriò quoque aduertendum eſt Ieſum Chriſtum vnam tantum nolle nos præ manibus geſtare candelam, ſed plures: vt Monachũ & Dei famulum ad magna præſtanda obſequia & multa hortetur, quandoquidem Dei beneficia nobis collata magna ſint & incomprehenſibilia. Nec ſine myſterio vult nos Ieſus Chriſtus candelas ardentes præ manibus noſtris tenere, non autem in candelabro vel per alium: vt intelligamus, præſtitiſſe

nos

nos ad monasterium non venisse, si in eo resipiscere, bonique religiosi opera exercere non velimus. Dicit sacra scriptura (*Ioan. 5. cap.*) S. Ioannem Baptistã fuisse lucernam semper *ardentem & lucentem*: quibus instruimur religiosum ita probum esse debere, vt nunquam ad comburendum cera, neque ad purgandum lixiuio vel cinere careat. Religiosus qui præter scapulare, cucullum, habitum & cordam nihil habet, non est candela viua, sed mortua: nec est quod quis ideo se magni pendat; ante Deum enim parum admodum est nihil nisi Monachum dici; sed multum, bonum dici Monachum. Candelæ exstinctæ & mortuæ conditio hæc est: decrescit ellychnium; locum in quo posita est frustra occupat; nullum eam respicientibus lumen præbet; manus palpantium sordidat. in tantum vt quantis ardens afficit voluptatibus, tantis mortua & extincta molestijs. Religiosus malus qui in diuersa trahitur & diuagatur, easdem cum cereo mortuo & extincto habet conditiones: labores aliorum comedit, probi hominis occupat locum,

toti conuentui importunus est, nihil quod ad bonum religiosum spectat agit, per Monasterium effrenis licentiosus & dissolutus vagatur: postremus & quasi hora vndecima ad opus properat, & vult tamen primo sibi satisfieri. Dicit in quadam Homilia S. Anselmus, quod virgines quæ lampades ardentes non habebant, ad nuptias cum sponso non intrarint: eodem modo homo qui vt Christianus suo officio non satisfacit, quique quæ vt religiosus promisit non adimplet. certo scire debet se vltima hora, non cum alijs nuptias ingressurũ, sed excludendum. O quantum confert Dominus Deus beneficium ei quem è mundo educit vt fiat religiosus? certiorem etenim facit vocationem suam in religionis statu Monachus, tranquilliore est conscientia, minus labitur, sæpius resurgit, promptius de commissis dolet. Concludendo igitur, dicimus istum quem sub religionis habitu superbum, carnalem, peruersum viderimus, esse inter filios Dei dæmonem, inter Israelitas Dathan, inter Prophetas Saulem, inter Apostolos Iudam.

Dei famulum tunc inire viam quam debet; dum quæ ipsius vult non agit: & taliter aberrare, esse scopum attingere.

CAPVT TERTIVM.

C*Vm non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, tunc delectaberis super Domino*, dicebat Domin⁹ Deus per Isaiã Prophetam: (*Cap*. 58.) hoc est: O Israel, dum quæ velles non agis, viam quam desideras non ingrederis, tunc per semitas meas tuto progrederis, & erunt tua opera Deo grata. Tuæ viæ sunt, quę regales viæ sunt & generales, prima via est Deus, quæ recta in cœlum tendit, secunda est diabolus quæ recta in infernum, tertia est homo, quæ in mundum, & ex mundo in peccatum, & ex peccato in infernum: sic, vt magnum sit interitus hominis indicium, dum eum suam sequi voluntatem videmus. Iesu Christi via charitas est, diaboli malignitas, mundi vanitas, carnis turpitudo. Ideo frater quam velis deligere & sequi

viam vide, quam enim ingrederis hac in vita viam, eandem & in morte mansionem & requiem recipies. Seneca in libro de Irâ dicit, quatuor esse admodũ dulcia & amabilia, & quæ difficulter relinquuntur, scilicet terra in qua educati fuimus, diuitiæ acquisitæ, honos & amicus comparatus. Difficulter admodum deserit homo patriam suam, vt terram alienam incolat. Nihilominus Abraham & Iacob nepos patriam deseruere. (*Gene.* 12 *&* 25.) ille propria voluntate, Iacob necessitate. Durum quoque est statum & honorem in quem quis erectus fuit deserere. deseruit Cincinatus Consul, & Diocletianus Imperator, quorum vnus se consulatu abdicauit, alter verò imperio. Molestum quoque homini est diuitias acquisitas & bona quorum legitimus erat hæres deserere: deseruit Socrates & Demosthenes, vnus Athenis, alter in Tinacria, vnus cõmunitati omnia quę possidebat contulit, alter omnia proiecit in mare. Porrò ergo ad rem redeuntes, dicimus verum & essentialem religiosi laborem non in patriæ, neque diuitiarum, neque ami-

amicorum contemptu consistere: hæc enim tandem à memoria recedunt, & temporis successu mitescunt; sed continuus, horribilis & penè intolerabilis religiosi labor est, suijpsius & propriæ voluntatis abnegatio. In Ezech. dicit S. Gregorius, inter lachrimas quas fundimus, & inter sacrificia quę offerimus, nullum Deo gratius est sacrificio proprij nostri cordis, quod quispiam tunc agit, dum sensualitati quæ petit denegat, & rationi subiacet. *Solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est* dicebat Dominus Deus Moysi, quasi diceret, si me audire & conuenire cupias, solue calceamẽtum tuum, & ad me pedibus nudis accede; homo enim calceis suis me conuenire non potest. Dicente Domino Deo hæc verba Moysi, in rubo viuis flammis ardente consistebat, sic vt calceos exuens Moyses adustiõis periculo se exponeret, imò & læsionis inter spinas. Quid sunt quæso calcei ex bestiarum mortuarũ corio confecti, nisi appetitus bestialis noster, & propria nostra voluntas? Porrò calceis suis incedit ille, qui suos sequitur

appetitus, & ille pedibus nudis incedit, qui rationis frēno eos regit, ideoq; nullus se in rubo cum Domino Deo videre potest, nisi calceos exuat, & propriam abneget voluntatem. Quid aliud rubus ille spinis & carduis plenus est, nisi religio & Monasterium pœnis & laboribus onustum? quid denotant omnes animę disciplinæ, quid secessus, quid nostrum silentium? Quid abstinentia & omnes tentationes nostræ, nisi locum rubis plenum & spinis quæ carnem nostram pungunt (Tu frater mi qui suscipiendæ religionis ergo in Monasterium venis, ne delicatam induturus vestem venias, ne mensam politam, nec molle & iucūdum in quo dormias cubile, neque domum voluptuariam reperturus accedas: venias autem vt viuas, immo potius vt moriaris in loco dumoso & spinis referto, in quo delitijs non frueris, & quo egredi non est quod speres. Non sine mysterio bonus ille Moyses in rubo illo valde intricato spisso & molesto Dominum vidit: vt scilicet dæmoni, ad nos torrendos religionem locum esse valde spinosum obiecturo, respondeamus,

mus, Dominum Deum nullibi libẽtius quam inter spinas & rigores commorari. Crede mihi quæso frater, & nullatenus dubites, quod sicuti sub osse medulla, sub nucleo amygdalũ, sub cortice fructus, ita monasticę vitę perfectio sub rubi spinosi asperitate cõsistit: nũquam enim in cubiculo religiosi suis voluptatibus addicti repertus est Iesus Christus. Nullibi nisi inter spinas arietem reperit Abraham, nullibi nisi inter spinas Dominum conspexit Moyses. Iesus Christus similiter inter spinas in cruce mortuus est: & tu frater vis delicatas & molles in religione gerere vestes? vis cibis delicatis vti? Dic quæso mihi, nunquid S. Basilius, S. Benedictus, S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Franciscus, S. Dominicus fuerunt inter dumos spinosos velut rosę pretiosę odore plenæ, & suauiter olentes educati? Dicit in suis meditationibus S. Bernardus; O bonę Iesu, ô animæ meæ amor, quoties te in tugurio, in claustro, in horto, in choro quæsiui, & postquã te diligẽter quæsieram, te in monte retro Thymũ, vel quandã paruam quercũ reperiebã.

Quicunque igitur te reperire, vel tua præsentia frui cupit, te cum Iona sub hedera, te cum Helia sub Iunipero, te cum Moyse inter spinosos dumos, te cũ Abrahamo inter spinas quærat, quia in loco deserto est habitatio tua, & delitiæ tuæ esse cum corde contrito & afflicto. Non sine mysterio ex rubo illo viuis ardente flãmis, in quo Moyses Dominum, & Dominus Moysen vidit, nulla adurebantur folia neq; spinæ: vt doceremur Dei famulum, qui in se quendam pietatis ignem, vel quendam contemplationis ardorem fouet, nũquam corpore vi laboris, neque animo vi afflictionis frangendum. Sicuti neque solitudine deserti, neque ignis rigore, neque loci spinosi asperitate territus fuit Moyses, sed à Deo vocatus sua soluit calceamenta, & recta ad locum tetendit; sic frater mi, neque Monasterij rigore, neque Prælati obedientia, neq; secessus solitudine terreri debes, præterquam enim quod illic sis Iesum Christum reperturus, modò etiam illic quo Aegypto debers egredi, & in desertũ venias, addisces. Aduertere quoq; debes

frater,

quod Dominũ Deũ conuenturus, solus & calceis exutus ad rubum accesserit Moyses, vt scias te solum in religionem venire debere, omni mundanarum rerum affectu procul à te misso, si Iesum Christum illic reperire velis, & nudis pedibus propriaq́ue abnegata voluntate incedere. Hugo Doctor in li. de arrha animæ, inquit, Multo cum labore huius mundi possessiones deseruntur; sed maiori multo, affectus nostri corriguntur, & in Monasterio obeditur: ita enim quæ vult, agere; & experiri quæ potest desiderat homo, vt si hac in parte difficulter claudantur oculi, difficilius longe se continet cor. Tu igitur qui in Monasterium venis, tecum cogites oportet, immo & statuas in illo melius & vigilantius cum omni honestate viuere: quoniam Monasteria in quibus ordo est magnos quidẽ admittunt peccatores, sed non magna patiuntur committi peccata. Porrò ille magnum committit peccatum, qui se in religionem vocatum non meminit, & qui apud Deum promissis stare non poterat; sed in modum mundani hominis per mundi pla-

teas, & fora vagantis; ita remissè & pigrè per Monasterium deambulat. Dic quæso mihi dum in Monasterium venisti, ignorabas quid susciperes: Si quid ageres sciebas, & quid promitteres intelligebas, dic fallax hypocrita, cur ea non adimples & obseruas? Ne succenseas frater religiose, quod te fallacem dicam, quandoquidem non dubitaris iusiurandũ & promissum violare: vnicuique enim secũdum vitam attribuit nomen sacra scriptura. Liber solitariæ vitæ dicit: Quid aliud innuit Deus præcipiens, vt in terra promissionis lapidibus obruatur ille, q die festo ligna colligeret, nisi religiosum dicendum sacrilegũ, qui in Monasterio, quod pro terra sancta habetur, peccat? Si ergo melius acturus Monasterium intres frater, debes imprimis tuam propriam abnegare voluntatem: ille enim in religione perijsse dicitur, qui se proprio iudicio regit. S. Hieronymus expendens hæc verba scilicet: *Si quis vult venire post me,* (*Matth.16.*) inquit: si sanè hæc verba intelligere velimus, equidem videbimus quod ad Iesum Christum sequendum nos

nos ipsos persequi debeamus, & ad eius iter amplectendum à nostra debemus aberrare via, & vt sui dicamur, nostri nõ amplius esse debemus, denique vt Deũ amemus nos ipsos odio prosequi debemus. In suis meditationibus dicit S. Augustinus, O bone Iesu, ô animæ meæ amor, si primo mihi gratiam meipsum abnegandi non contuleris, nunquam te amare potero: si enim à me incipiat amor, nunquam in tuum amorem resoluitur; si verò à te, nunquam in meiipsius amorem resoluitur, sic vt tui amoris fundamentum nihil aliud sit, nisi vt meipsum non amem. Et paulò inferius prosequitur dicens, Tu scis ô bone Iesu quod te nunquam quæram nisi dum à me absum, & quod te nunquam reperiam, nisi dum à meipso recedo, nunquã tui memor sum, nisi dum mei immemor, nunquam tui particeps, nisi dum mei non particeps. *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet*, inquiebat Psal. (*Psal.* 54.) quasi diceret, si Deo inseruire velis, patere te suo regi consilio; hoc si feceris te fouebit & defendet. Tunc curam, cogitatum suum & spem

ponit

ponit in Domino religiosus, dum sui Prælati iudicio patitur se regi: e contra tunc in mundo, dum se sua propria regit voluntate: Aduersarius enim diabolus nos nostra propria gaudet vti voluntate, ne officio nostro fungamur.

II Fuit quidam in vita Patrum Monachus, qui Abbati Simeoni dixit, Dic mihi beate Pater, audebone verba nostræ religioni & professioni non conformia proferre? Cui respondit bonus ille senex. Perfectus Monachus, & Deo deuota persona non debet in Monasterio quid bonum aut malum est examinare: quoniam illud ad Prælatum, non autem ad subditum spectat: sæpe enim magis murmurando peccat Monachus, quam quod iussum exequendo. Si ergo te fili in religione recte gerere velis, & ad perfectionis culmen pertingere aures obtura, linguã custodi, oculos claude, cogitationes retrahe, Prælatis obædi, confratrum tuorum non examina vitam, si enim præceptis eorum acquiescas, nullo modo aberrare potes; si verò agas quod vis, nihil boni facere poteris. Notandum & ponderandum

est

est Prophetam non dicere, Iacta opera tua in Domino, sed iacta curam siue cogitatum tuum in Domino. hoc est, quod Deus neque bona opera, neque pedes, neque oculos, neq; manus sibi dari expetat, sed cogitationes nostras duntaxat: his nos erudiens, Dominum non tãti facere nostrum esse, quam id quod cupimus esse. Non dicit quoque Psalmista, iacta cogitationes tuas, *sed iacta cogitatum tuum in Domino*; insinuans, in Dei famuli animo vnicam esse debere cogitationem, & vnicum ibi regnare debere desiderium, quod Iesu Christi amor esse debet & obsequium, quoniã secundum amoris legem, in amore vnicum esse debet, ad aliud vnum duntaxat amandum. Nunquid quæso vaccę, quæ sancti testamenti arcam vehebant, ad Hebræorum terram non appulêre quamuis velatis incederent oculis? Ex hac figura colligere possumus Dei famulum non posse ad interitum ruere, immo ad optatum portum non posse non peruenire, si arcæ regulæ põdere se premi patiatur, & si se sui ordinis currui iungi, si suorum desideriorũ oculos

oculos occludi, & ſi ſe à Prælatis regi permittat. Dicit S. Chryſoſtomus: Quid aliud imperat ſanctũ Euangeliũ dum te Ieſum amare & proximũ, & inimicum, & te ipſum abnegare vult, niſi quod nobis innuat hominẽ nullum propria ſua voluntate peiorem habere inimicum? Nulli ſuo vitæ tempore minus debet fidere homo, quã ſuo proprio deſiderio & appetitui: credendum enim eſt quod Deus meipsũ abnegare non præciperet, ſi meipsũ vt decet amare poſſem, ſi meipsũ amare decẽter poſſem, certum eſt quod nunquã peccare poſsẽ; ſed ſicuti ego meipſum amo, ideo etiã ſæpius in meipſum pecco. Iacta ergo frater, iacta cogitatum tuum in Domino, reuera enim omnis vita monaſtica in hoc conſiſtit, quod nullus experiatur vel agat quod poteſt; neq; agat quod vult, quoniã ſi Ieſus Chriſtus meipſum amandi licentiam non concedat, multo minus me proprio iudicio regẽdi facultatem concedet. *Ego ſum via, veritas & vita*, dicebat in ſuo Euangelio Ieſus Chriſtus (*Ioa.*14.) Ego ſum via quã incedas oportet, veritas, qua loqui debes, & vita, qua viuere

viuere te decet, si incedere velis sequere me, si veritatem nosse, mecum loquere, si viuere desideras, mecum viue. Dicit super hæc verba S. Cyprianus: Mundi viam nouit mundanus, peruersi viam nouit peruersus, inferni viam nouit diabolus, sed quod ad cœli viam attinet, nullus præter Iesum Christum nouit. Ideoque æquum est nos suis obtemperare mandatis, & per viam quam monstrat incedere. Cassiodorus Psalmos exponens inquit: Nunc verè scitis ô Christiani, cœlorum iter esse ad ambulandum clarum, ad ascendendum sublime, ad prætereundum angustum, ad retinendum difficile, & ad pertingendum parum tritum. Sapienter à perito viæ, illa petetur via, cognita, tenenda est: pauci enim illam norunt, pauciores illam reipsa reperiunt, & paucissimi ad illam fausto omine perueniunt. Quod dicat Iesus Christus, *Ego sum via, veritas & vita*, hoc est, quod verè loqui non possumus, nî cum illo loquamur, neque nisi in ipso viuere, neq; nisi cum ipso incidere, & quod nihil boni possideamus, nisi ab ipso procedens,

cedens, denique quod nullius simus pretij, nisi per ipsum. Quamobrem si ita sit quod nullius simus pretij, nisi per ipsum, aut in ipso, aut cum ipso, dic quæso mihi, cuius est valoris libertas nostra, aut cuius æstimationis dexteritas nostra? In S. Ioannem dicit S. Augustinus, Quandoquidem Iesus Christus Deus noster vita sit quam viuere debemus, veritas quæ nobis prodesse potest, & via quam incedere debemus, eum flexis ora genibus, vt te benè dirigat, & lachrymis roga, vt te in illo itinere ducat: si enim tibi manum non præbeat, certò scias mundum acturum te præcipitem, carnem te offensuram, & dæmonem te in animi & intellectus deliquium inducturum.

De fallacijs mundi: & quid vtræque litteræ, tam sacræ quam profanæ doceant.

CAPVT QVARTVM.

EGo Dominus qui eduxi te de terra Chaldæorum, dicit Dominus Deus Prophetæ Abraham. (*Gen.* 15.) quasi diceret,

ceret: Ego Dominus & Deus qui eduxi te è terra Chaldæorum, in qua omnes idololatræ eratis. Nō ſine myſterio voluit Deus Abrahã meminiſſe, quod eũ à terra Chaldæorum eduxiſſet, & in Iudæam conduxiſſet, hoc eſt, quod terra perditionis eum eruiſſet, & in promiſſionis terra collocaſſet: maximum enim omniũ quod Deus nobis poteſt cōferre beneficiũ eſt, nos à malorũ euocare cōſortio, & bonorũ aſcribere. Maxima eſt Deum offendendi occaſio, malorũ cohabitatio. Ideo Deus Domin. noſter ſuis familiarib. amicis particularia non vult cōferre dona, quã diu malis cohabitãt. Nihil magno illi & diuino Abrahæ cōmunicauit, donec Chaldæa exilijſſet. Honeſtam illã mulierem Chananæam exaudire noluit (*Matth.* 15.) donec propria terra egreſſa eſſet. Non paſſus eſt S. Thom. manus in pectus inijcere, *Ioã.* 20. antequam Apoſtolico aſſociaretur collegio. Dicit filio ſuo Ioſeph Patriarcha Iacob (*Gen.* 47.) *Facies mihi miſericordiã, vt non ſepelias me in Aegypto*, tanquã diceret, In tuę generationis, & tuę educationis, & lachrymarũ pro te effuſarũ mer-

cedem

cedem nihil aliud exigo, nisi vt in terra Aegypti me nō sepelias. Agyptus enim & Babylon in sacra scriptura semper in malā sumuntur partem: ideoq; ad imitationē Iacob à filio requirentis vt ossa sua ab Aegypto auferret, Deum rogare debemus, vt nos mūdi ęrumnis & periculis educat, in quo à peccatis abstinere nullo modo possum⁹, sicuti in Aegypto ab idololatria præcaueri non pōt. Notandum & serio ponderandū est, magnum illū Prophetam non renuisse in Aegypto viuere, sed sepeliri, quoniam in hoc consistit periculū, quod ad instar peregrinorū in hoc mūdo viuamus; sed in eo, quod instar naturaliū & mundanorū hominū sepulturas eligamus. bonus enim Christianus ita peregrinando viuere, & ita se benè huius mundi rebus vtēdo accōmodare debet, vt similis sit ei qui sub vesperū ad hospitiū accedit, quo ante lucē egredi debet. Ille in Agypto sepultus est, qui adhuc mūdi gustū sapit, & qui suarū vanitatum desideria reijcere non potest, sic vt potius eū Aegyptium quā Christianum dicere possimus, quia à Chaldæa Abrahami, & ab

Aegypto

Aegypto Iacobi recessus (vnus in hac vita, alter post mortem factus) nobis egressum & abnegationem quam in mundo ad imitādum Iesum Christum facere debemus, repræsentant. Aequū est hic scire & examinare, quid sit mundus, quo egredi, & cui abrenunciare debemus, & quæ in eo sint mala à nobis fugienda. Plato, Aristoteles, Democritus, & Empedocles de mundo & eius principijs scribentes ita sibiipsis cōtrarij sunt, vt quisque suam tueatur opinionem, & superior euadat, & sic rigide suis pennis inter se decertant, sicuti Cæsar & Pompeius suis lanceis. Pythagoras vult probare, vniuersum quid vnū esse, & mundum quid aliud vnum. Thales tenet, vnicum esse centrum, vnum Septentrionem & vnicum mundum. Methodorus asserit contrarium: dicens duo esse centra duos Septentriones, & duos mundos. Aristoteles dicit mundum æternum; Plato dicit habuisse principium ideoque non æternum. Socrates dixit quod elapsis triginta septem annorum millibus, omnia in pristinum statum reuertentur: ipse iterum

ergo

ergo docturus, Dionysius in Sicilia; Cęsar Romæ dominaturus, Hannibal Italiam subacturus, Scipio Carthaginem inuasurus, Et quid non? O quantum temporis in talibus vanitatibus & curiositatibus triuerunt, & multos conscripsere libros! pauca vera, sed multas in mediũ produxêre nugas: veritas quam detexerunt exigua fuit, magna autem valde quæ litteris mãdarunt mendacia. quoniam rerum incomprehensarum minima pars, longè maior fuit parte comprehẽsarum. Mundus de quo tam diu loquuti sunt, & disputarunt Philosophi, terra est, aer, ignis, & aqua: & sic sumentes mundum, non est quod de eo conqueramur, quandoquidem sine eo nullimode corporaliter viuere possemus. Dum redarguebat mundum Iesus Christus, non aquam redarguebat super quam ambulabat, neque aërem siue ventum qui ei in mari obædiuit, neque terram quæ in eius morte tremuit, neque petras quæ scissæ sunt, neque arbores quæ siccatæ sunt, neque denique monumenta & sepulchra quæ aperta sunt. Multos plerumque dicentes audi-

audimus. O munde tristis, ô munde peruersè, ô deceptabilis & instabilis munde: sic vt ab vna parte se ab eo decipi patiantur, ab alia non de eo cõquerí cessent. Mundus in quo nascimur & viuimus, ab eo de quo conquerimur, & in quem decertamus longè differt. sine priori enim viuere non possumus, alterum verò vix exsuperare. Porro vt ad rem veniamus: malus ille mundus nihil aliud est, nisi mundanorum in peccatis viuentium vita: vbi terra, auaritia: ignis, concupiscentia: aqua, inconstantia: aer, ira: lapides, superbia: sol, prosperitas: luna mutabilitas. *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam*, inquit Dominus apud Ioannem, *cap.* 14. quasi diceret: Dum huius mundi Princeps suos requiret, nihil in me neque in meis reperiet. O tristia verba, ô verba dolore plena, quibus hunc malum mundum procul à se reijcere videtur Iesus Christus, ei pro magistro & domino inferni dominum conferens, quandoquidem dicat, neque peruersos, neq; mundi principem in se habituros quicquam. Super hæc verba dicit S. August.

Ieſum Chriſtum tunc mundanos, & eos qui ſecundum mundum viuunt, mundi ciues vocare, dum eos peccati ſeruos vocat, & eis pro magiſtro & domino diabolū confert. Qui ſunt quæſo ciues & huius mundi incolæ, niſi ſuperbia, auaritia, ira, inuidia, blaſphemia, gula, vanitas & ſtultitia? Neſcis quod hoc in mundo boni & probi vitia deteſtentur, & quod vitia peruerſis dominentur? Si pœnas & labores quos cum elementis patimur, pœnis & laboribus quos cum vitijs patimur cōparare velimus, equidem videbimus nullam pœnam neque laborem comparandum ei quem malè viuēdo patimur. Dic quæſo mihi, nunquid peius eſt profundè in ſuperbiam labi, quam è ſummo huius culmine præcipitem dari? Nunquid periculoſius eſt ab inuidia torqueri, quam à petra obrui? Nunquid quæſo inter vitia & voluptates magis periclitatur homo, quam inter ſæuiſſima animalia? Nunquid qui auaritiæ igne aduruntur maiori ſunt in periculo, quam qui apud montem Aetna habitant? Eſt enim hic mundus ille lethalis noſter inimicus,
ami-

amicus fallax & decipiens: ille ipse est, qui nos angit, qui nobis quietem aufert, ille est qui à bonis formidatur, & à malis amatur. Denique dico, illum esse vitiorum instigatorem, & proborum carnificem. Quid insuper dicam? Ille est qui omnium actionum rationem vult sibi assignari, nemini autem ille assignat. Hæc supradicta ex sancto Anselmo desumuntur. Mundo igitur rectè considerato, si eum ita sagaciter considerarent homines, sicuti leuiter eum sequuntur, viderent vtique eum nunquam voluptatem cum prosperitate conferre: quin potius minari aduersitatem: quia vel in lusu aleæ maximum numerum, qui est sextenarius, semper subsequitur minimus. De domo Dei loquens, inquit Propheta, (*Psal.* 83.) *Ibunt de virtute in virtutem*, & loquens de domo diaboli dicit: (*Psal.* 41) *Abyssus abyssum inuocat*, hoc est, mundanorum vnus alium ad malitiam excitat, vna stultitia aliã allicit, vnum peccatum aliud peccatũ, vna vanitas aliam vanitatem: sic vt non ratio rationem, sed confusio confusionem sequatur.

Mundus inter suas deceptiones efficit vt homines (qui iustè à vitijs declinare debebant) maiori vitiorum igne inflammentur, vt de nouo in mundum reuertantur, sic vt diuites senes, noua auaritiæ concupiscentia inflammet. Dicet S. Augustinus in suis meditationibus, O munde quam breui temporis spatio ad nos accedis, & à nobis recedis, nobis appropinquas & deseris, nos lętificas & tristitia afficis, nos exaltas & humilias: fur es quē tenemus, & vt domo eijciamus quærimus. In quadam epistola dicit S. Bernardus, mundum longâ doctum experientiâ omnibus pro singulorum ore abundare ferculis; Pro superbo habet honores, pro guloso cibos, pro auaris diuitias, pro luxuriosis carnalitates, pro inquiete & pertinaci labores: Sic vt ijs omnibus ab hamo captis, in eos postea sua retia & laqueos vitijs plenos immittat. Si tantum voluptatis quantum laboris suis amasijs conferret mundus, si eos consolaretur sicuti torquet, si eos comitaretur sicut deserit, si eos perpetuò foueret sicut opprimit, indubiè

credo

credo quod Dei nulla fieret mentio, neque quemquam peccatorum puderet.

In quadam epiſtola dicit Marcus Aurelius Torquato, O munde quam longè ab omni quod iuſtum eſt alienus es: ille qui iuſtus eſſe cupit, ita à te alienus eſt, ſicut rerum nouarum amans es, & ſicuti virtutum inimicus. Si velis ergo noſſe mundum, dico peruerſorum eſſe incantatorem, proborum carnificem, vitiorum carcerem, pacis inuidũ, belli amicum, aquam luto plenã, & fel proborum. Idoneus eſt mundus vt nos decipiat, ſed vt nobis ſuccurrat piger. Quod patet: ſi enim quandam iniuriam vlciſci hortetur, hoc agit vt accipiamus nouam: ſic vt maledictus ille ductor fingens per planitiem tutam ſe nos ducere, in foueas præcipitet. Dicit in quadam epiſtola S. Hieronymus: Si primis mundi tentationibus reſiſteremus, non adeò frequenter nos aggredi auderet: dicitq́; eius audaciam à noſtra procedere pigritia & puſillanimitate. In quadam Homilia dicit S. Ioannes Chryſoſtom. Dic mihi quæſo mundane, quam ab

hoc mundo mercedem expectas, quãdoquidem tanto cum sudore ei inseruias? putas dare tibi vitam, potest æternam? stultum est cogitare, fatuum sperare. quo enim tempore, huius vitę dulcedine fruimur, tunc nos rapit mors. videat quisque quid agat, & quid cogitet; nam cum nos tutos esse plane opinamur, & cum fortuna conuenisse, tũc nos ab alia parte opprimit. *Dedit semetipsum pro nobis vt eriperet nos de præsenti sæculo nequam* dicebat Apostolus ad Galatas scribens, quasi diceret: tantus fuit Iesu Christi in nos amor, vt ad liberandum nos à mali mundi potentia, passus sit corpus suum crucifigi. S. Augustinus scribens in epistolas Pauli inquit, Quis auderet mundum dicere bonum, quãdoquidem asserat illum esse nequam & peruersum Apostolus? Obtulit Iesus Christus vitam suam, vt te ab hoc mũdo liberaret; tu verò non vis animam tuam ei dare, vt eam ab inferno liberet? Mundus malus est, dies hesternus præterijt, hodiernus præterit, crastinus necdum eluxit: quod solidissimum est cespitat, quod durissimum comminuitur,

tur, qui benè ſanus eſt, ſtatim in morbum incidit, quod maxime appetimus, nunquam accidit: ſic vt vel centum annorum ſpatio, ne quidem vna hora nobis ad voluptatem certa ſit. Non ergo ſine cauſa, ô munde, te iniquum & peruerſum vocat Apoſtolus: capis enim nec dimittis, ſoluis nec diſſoluis, moleſtus es nec conſolaris, furaris nec reſtituis, vexas nec pacificas, decus aufers nec reddis, & quod omnium grauiſſimum, enecas nos non audiens, & ante mortem ſepelis. Hæc ex S. Auguſtino deſumuntur. Hugo in libro de arrha animæ dicit: Deſere me & te deſeram ô munde, quandoquidem neque in te, neque propter te, neque apud te vllum ſit ſine ſollicitudine gaudium, vlla ſine diſcordia pax, vllus ſine ſuſpitione amor, vllæ ſine paupertate diuitię, vllus ſine infamia honor, vlla ſine litib. bona, vllus ſine querela ſtatus, vlla ſine malitia amicitia. S. Hieron. in S. Paulũ dicit: nõ ſine cauſa Apoſtolũ vocare mundũ malũ: cum in domib. eius promittatur, nec ſtetur promiſſis, inſeruiatur ſine ſatisfactione, vocetur q; deceptiõis ergo,

 extol-

extollatur vt humilietur, vt moriatur, peruigilet: Sumitur ibi nec datur, commodatur nec restituitur, & quod omnium grauissimum est honor exhibetur ad infamiam recipiendam, & castigatur sine venia. Inter elegantes suas sententias dicit S. Prosper, quod mundus deijciat eos qui in honore sunt constituti, extollat abiectos, tribuat proditoribus mercedem, fideles negligat, infames honoret, probos diffamet, pacificos vexet, seditiosos placet, peruersos liberet, simplices damnet, doctorum mercedē retineat, & stultis præbeat. Vnde sequitur, quod omnes suam exerceant voluntatem non autem debitum officium. S. Bernardus in libro considerationem dicit, quod inter mundi morbos hic sit vnus, scilicet quod temerarius, dicatur fortis & audax: solitarius timidus: importunus, diligens: desidiosus, pacificus: auarus, frugi: prodigus, liberalis: loquax, eloquens: stultus taciturnus: dissolutus, amator: honestus & modestus, phantasta siue imaginosus: timidus, patiens: peruersus, simplex: simplex, stultus. S. Chrysostomus in libro

bro mysterij Crucis, inquit, Qui in te viget ô munde, ad interitum ruit, qui te inuenit malè dirigitur, qui tibi subuenit nihil nisi dedecus refert, qui tibi aliquid confert malè ei satisfit, qui tibi placet sibi displicet, qui tibi admodum familiaris est, sibi minus familiaris est, & qui tibi multum fidit, ille minime tutus est. In Ezechielem dicit S. Gregorius, quod rota quam alteri intricatam vidit Propheta Ezechiel, sit deceptio intra aliam deceptionem quam mundus in se habet, quia vsque adeo peruersè & fraudulenter in eos qui secum negotiantur agit, vt nullum reperiant commodum, neque donis, neque quouis obsequio, neque adulatione, neque congratulatione, neque semitarum vestigio, neque fidelitate, neque quauis amicitia. Quidã in vita Patrum Monachus cuidam seni dixit, se velle mundum repetere, vt aliquid addisceret, quod alijs reuersus aperiret: cui bonus senex respondit: caue fili, tentatio diabolica est quod velis in mundum litteris operam nauaturus reuerti: quia istius mundi doctrina, est mendaciũ, est ad mortem persequutio,

est amor desperatus, est ad vomitum excessus, ad excessum potus, ad furtum negotiatio ad deceptioné importunitas, ad lites contentio, ad mortem læsio. Interrogatus Philosophus Chilon num in mundo viueret quispiam homo sua sorte contentus, dixit: Neque vidi, neque dici audiui: si enim pauper sit, cupit fieri diues: si diues, cupit fieri potés: si humilis, erigi: si oscitãs, diligens: si debilis, firmus: si iniuriam passus sit, cuperet vlcisci: si vitiosus, vult in delitijs & voluptatibus viuere. Euripedes Philosophus à rege Demetrio interrogatus, quid ipsi de hominis debilitate, & de huius vitæ breuitate videretur, respondit: Illa mea est opinio ô Rex, quod nihil sit in hac vita tutum, quãdoquidem omnia indies deficiant: tunc subiunxit Rex & dixit: Quam bene Euripedes dixeras, si singulis horis sicuti singulis diebus omnia deficere dixisses, nihil enim in mundo certius & tutius dici potest, quam omnia esse incerta. Glorianti quodam die Alcibiade Græco de diuitijs suis, quas ita magnas esse dicebat, vt mortuis desiderium conferrent, & viuis

viuis largam computandi materiam, dixit Ariſtarchus Philoſophus: Scias Alcibiades, quod in maribus profundioribus periclitentur naues, quod feriant ſummos fulgura montes, quod viridioribus ramis appendeant aues, quod ab hamo fallaciori capiantur piſces, quod venti in altiores & ſolidiores arbores bella gerant: ex quibus infero, fortunam neminem deijcere, niſi eum quem primo in honorem euexit.

De diuerſis iugi generibus, quorum mentionem facit ſcriptura: & quod ſolum Ieſu Christi iugum ſit leuius & minus ponderoſum magiſque meritorum.

CAPVT QVINTVM.

G*Raue iugum poſitum eſt ſuper filios Adæ à die natiuitatis vſque ad diem ſepulturæ* inquit (*Cap.* 40.) Eccleſiaſticus, quaſi diceret: O quam graue & luctuoſum eſt iugum quod filijs Adæ à tempore quo matris ventre egreſſi ſunt vſque in diem ſepulturæ impoſitum eſt. Non ſi-

ne mysterio, quamuis de more iugum vnum ferant duo animalia, dicit hic scriptura vnicum esse iugum: & quamnis vnicum sit, tamen illud ab omnibus tollendum est. Vnde concludere licet, quod iugum illud sit admodum graue & onus quod summa cum difficultate geritur. Porrò æquum est nunc scire quale sit illud iugum, & vbi factum, ac cuius humeris primo impositum, quandoquidem ita graue sit & ponderosum, & ab omnibus ferendum. Non audeo dicere esse matrimonij iugum, quia nō omnes matrimonio iuncti sunt: Non religionis, quia non omnes religiosi sunt. Non nautarum, quia non omnes nautæ: Non militum quia non omnes milites: non aratorum, quia multi sunt otiosi. Sequitur ergo quod iugum sit omnibus his grauius, cum illud omnes gestare debeant. Quærendum ergo est hoc iugum, sub quo suis cum coronis currum vehunt Reges, suis sceptris Principes, suis vexillis Duces, suis habitibus religiosi, suis remis nautæ, suis aratris aratores, & suis colibus mulieres. Porrò dicimus iugum illud, esse serui-

tutis

tutis iugum, quod communiter gerimus inuicem subditi, quoniam Prælatorum & Regum mandatis regimur & gubernamur, à quo iugo & labore hactenus nullus liber fuit à tempore quo Adam peccauit. Omni ætate fuere qui præciperent, & qui obedirent; qui regerent, & qui regerentur; qui ducerent, & qui sequerentur: & quod magis mirum est, nullum videmus huic tributo & obsequio non subditum, quia nullus in hoc sæculo ita potens est, qui currum hunc non duxerit, & sub istius iugi funibus non sudarit. Notabile est quod non dicat scriptura simpliciter iugum, sed graue: ratio est, quod à mundi initio liberi creati simus, à peccatis & tributis immunes, sed seruitus in mundum per peccatum introducta est. Equidem graue est iugum: certum est: si enim non peccasset pater meus, neque seruus, neque vlli subditus essem, neque vllius egerem auxilio: sed quia inhibitum primus ille meus parens comedit fructum, & mandatum transgressus fuit, paradiso expulsus & velut seruus condemnatus fuit. Graue est inquam iugũ:

cum sub ipso pacificus per tumultuosum regatur, per superbum humilis, per tyrannum iustus, per crudelem benignus, per timidum animosus, per ignarum doctus, quod accidens non accidisset si defuissent peccata & peccatores. Beatus Augustinus apposite dicit, hominem ideo miserum & tantis malis subditum, propterea quod se peccato subiecerit, eumque ideo multos agnoscere dominos & dominationes, quia vni soli non voluit subijci & multa obseruare mandata quod vnicum noluerit obseruare: sic vt propterea quod voluntatem sequutus sit, suæ libertatis iacturam fecerit. Dicit S. Bernardus, Miserum est hominem, hominem inquam quondam in paradiso positum & beatitudinis capacem nunc in mundo præsentem videre, immo post mortem adhuc futurum, quoniam in paradiso innocens fuit, & in cœlo beatus fuisset, nunc verò in mundo seruus est, & in sepulchro à vermibus comedetur: mille enim necessitatũ quæ eum circundant municipiũ est homo, mille quæ eũ sequuntur infortunijs subditus, mil-

mille anxietatũ quæ eũ enecant seruus, inimicorum eũ persequentiũ captiuus, mille vermiũ eũ expectantiũ cib. futurus: sic vt inter omnes creaturas subditissimus sit homo, & omniũ animalium quoad libertatẽ minimus. O q̃ graue est iugũ q̃ suis humeris imposuit homo! quia q̃ pedibus subiecerat Deus, iã ceruicib. imminet, & q̃ in eius obsequium creatũ erat in ipsũ insurgit: sic vt timeat & nõ timeatur; inseruiat & nõ inseruiatur, loquatur & non audiatur, laboret nec ei satisfiat, cõqueratur & doleat, nec tamen ei fides adhibeatur. O quã graue seruitutis iugum; Si enim aquam ingrediar, mergor; si ignẽ tangã, vror; si caniminer, me mordet; si vrsum prosequar, me enecat; si diu operi manũ admoueã, fatigor si nimium osciter, stupeo; si voluptatibus meis fruar, tandem ab eis abhorreo, sicvt omnia ita audacter me aggrediantur, ac si animo defecissem. Dic quæso mihi quid est in mundo quod hominem timeat? quid è contra quod non timeat & formidet homo? Homo muscam veretur quæ ei importuna est, culicem timet, qui pungit, cimicem

qui

qui adrodit, pulicem qui mordet, teredinem quæ comedit. cum tam parua timeat, nunquid & maiora timebit? In hoc ergo cognoscentur Dei amici, & ij qui sua gratia in Monasterium venerũt: nam eos sua manu conducit, & si fortè in quandam negligentiam labi patiatur, hoc agit vt eum agnoscant, non tamen patitur eos in graue quoddam ruere peccatum. *Onus Babylonis, onus Moab, onus in Arabia, onus Aegypti, onus Damasci, onus deserti maris, onus Tyri* dicebat Propheta Isaias in suis visionibus, quasi diceret, Babylonem vidi onere oppressam, vidi Moab, vidi Aegyptum, Arabiam, Damascum & Tyrum onustas. Denique dico me omnia mundi regna graui onere oppressa vidisse. Conqueritur pariter Propheta (*Psal.* 37.) dicens, *Sicut onus graue grauatum est super me,* quasi diceret: Quamuis à Deo Rex sim electus, à populo acceptatus, à legibus immunis, nihilominus humeris meis tributum impositum est, & visceribus meis vectigal, quæ excutere nequeo. Iugum de quo loquebatur Sapiens superius, non est illud de quo hic agit Dauid

uid, & Isaias: quoniam hoc antiquæ legis est iugum, & duræ illę præceptiones quibus tractabantur: quæ si nunc cum molestijs enarrantur, quantâ ergo cum maiori molestia tunc obseruabantur? Antequam in mundum venit Iesus Christus, grauis erat lex & ærumnosa, magna & laboriosa: cogebat suos ferre onera, quia admodum in transgressores aspera erat, nec admodum in obseruatores benigna. In mercedem moralium mandatorum quæ obseruabant, & legalium mandatorum quæ ad implebant, & cęremoniarum quas exercebant, & sacrificiorum quę offerebant Dominus Deus eius victorias duntaxat in Reipublicæ bonum, & sanitatem & temporalia bona conferebat. Valde graue iugum erat veteris testamenti iugum, quandoquidem sacrorum edictorum transgressor ad inferos migrabat, nec illorum obseruatoribus paradisi patebat aditus. Quid aliud indicabat (*Nu.* 19.) rufa vacca quam sibi offerri imperabat Deus, quid propitiationis vitula, quid duæ vaccæ vitulos habentes quæ Arcam vehebant, iugo carẽtes, im-

immo nec laboribus vnquam addictæ, (*Deut. 21.*) nisi quod qui Moysis iugum ferrent, ad cœlum tēdere non possent, sed tantummodo ad limbum? Non sine mysterio in antiqua lege nolebat Deus animalia quæ iugo oppressa fuerant, vel quæ terram ararant sibi offerri: vt cognosceremus aliud esse iugum quod tollere debeamus, & legem quā obseruare, per quæ salui & ab omnibus alijs oneribus immunes essemus.

Authoritas supradicta excellenti sententia exponitur: lege cum attentione.

Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, iugum enim meum suaue est, & onus meum leue* dicebat quodam die concionando Iesus Christus, *Matth. 11.* quasi diceret: Venite ad me omnes qui onerati estis, & ego vos onere leuabo venite ad me omnes egeni, & ego vobis succurram: venite ad me omnes qui magistro & domino caretis, & ego vos excipiam: sciatis domus meæ iugum quod vos tollere faciam valde suaue esse, & onus quod vobis imponam valde exiguum. O excel-

cellentissima sententia ! O nunquam auditum verbum ! O promissum nunquam antea factum ! O inauditum edictum, quod hodie per totum mundum Iesus Christus proclamat! Ita enim dulcia sunt eius verba , & adeo sublimia promissa , vt incredibilia forent si ab alio proferrentur, licet ille se illa adimpleturum iuraret. *Venite ad me* dicit mundus, & ego vos stultitia onerabo: *Venite ad me* inquit diabolus , & ego vos malitia onerabo, *Venite ad me* inquit Iesus Christus , & ego vos omnibus oneribus exonerabo ; si enim omnibus istis oneribus te nos exoneraturum pollicitus non fuisses, potuissent illa onera nos præcipites dare , immo vero condemnare . Primus qui in mundo quietem annunciauit, qui se oneribus nostris nos exoneraturum promisit, & qui se afflictos nũquã deserturũ iurauit, Dei filius fuit ab æterno benedictus, immo, quod notabilius est, onus quod ab humeris meis deponit, suis imponit. *Venite* ergo *ad me omnes* ; nõ vos otiosi , sed qui laborib. oppressi estis ; nõ vagabũdi, sed qui laborib. insudatis ; nõ exonerati sed onerati,

non

non liberi, sed subditi, eo quod eorum qui libertatem quærunt onus non tollo, sed eorum qui virtutem magni faciunt. *Venite post me* inquit (*Matth* 19. & 20.) Dominus noster Iesus Christus Apostolis: *Ite vos in vineam meam*, operarijs: *Discedite à me* inquit damnatis: *Venite ad me*, electis: (*Matth*. 25) ita vt nisi vocatis portas eius ingredi non liceat, neque sine timore coram illo comparere, neque sine mendacio nos suos dicere possimus. Mirum in modum ponderandum est quod vnum duntaxat in aqua Siloe sanarit, (*Ioan* 9) quod in domo Simonis leprosi vni tantum peccata remiserit, (*Lucæ*. 2.) quod adulteræ vnius solum susceperit causam, (*Ioan*. 8.) quod inter diuites vnum approbarit; (*Lucæ*. 19.) sed per hæc verba, *Venite ad me omnes*, nos omnes vocat, nos omnes inuitat nemine excepto. S. Bernardus super hæc verba, *Venite ad me omnes*, inquit: Vt te ô bone Iesu aperto ore clamantem audiui, & te omnes peccatis oneratos vocantem auribus excepi, accessi: ego enim Domine omnium oneratissimus sum, ideoque tua maxime e-

geo

geo opera, quia nullum in mundo grauius onus onere meæ conſcientiæ. Notandum quoque Ieſum Chriſtum non eos qui laborarunt, vel qui laborare debent, vocare, ſed eos duntaxat qui de facto laborant; dicit enim, *Venite ad me omnes qui laboratis.* Ex quibus colligere est, non ſufficere Domino Deo tempore præterito inſeruijſſe, vel tempore futuro cupere ei inſeruire; ſed in præſenti nos debere ei inſeruire, cum ſine mora nos vocet, & auxilium adferre non differat. Non ſine myſterio non dicit Ieſus Chriſtus omne iugum eſſe ſuaue & leue, ſed ſuum tantummodo iugum eſſe ſuaue; ſi enim nō indicaſſet de quo iugo loquutus fuiſſet, ignoraſſemus ſub qua lege illud nobis gerendum præcepiſſet. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meū leue* inquit Ieſus Chriſtus: dum enim ſuum iugum eſſe ſuaue dicit, innuit alia eſſe grauia, & dum onus ſuum eſſe leue dicit, inſinuat alia eſſe ponderoſa. ratio eſt: quod nos onuſtos onere leuet, & ab eo liberet, dum illud humeris noſtris imponit. *Iugum meum ſuaue eſt*, dicit iugum ſuum ſuaue eſſe non iuga ſua: ita

vt numerus ſingularis non contineat pluralem. quoniam in domo ſua nolit Deus nos ſub pluribus iugis operam dere; neque patiatur nos multas oneroſas functiones ſuſcipere. Diabolus nobis multa inculcat & perſuadet vitia, mũdus nos multis ingurgitat negotijs, caro vult nos multas ſibi conferre delitias: Ieſus Chriſtus autem Redemptor noſter nos ſibi ſoli amoris iugo deuincit, etiam dilectionis inimicorum onus nobis imponens. Mundi iugum non eſt leue, ſed laborioſum, quandoquidem velit iniuria affectos vlciſci, & inimicos odio haberi, & eos qui graui incommodo vexantur, occidere, nolitque offendẽtibus ignoſcere: & quod omniũ grauiſſimũ, ſicuti apud bonos ſummæ clementiæ ignoſcere eſt, ita apud peruerſos ſummæ verecundiæ eſt non vlciſci. *Iugum meum ſuaue eſt* inquit Ieſus Chriſtus, neminẽ enim ad homicidium patrãdum, ſiue ad odiũ, ſiue ad perſequutionem, ſiue ad incommodum inferendum prouocat; ſed ad proximi dilectionem, & Dei ſolius obſequiũ, quod animæ plurimũ prodeſt, corpori autẽ non

admo-

admodum graue & laboriosum est. *Iugum meum suaue est*, quoniam amoris iugum est, non timoris. proprium amoris est, asperum reddere planum, crudele benignum, amarum dulce, insipidũ sapidum, molestũ acceptabile, peruersum sincerũ, stupidũ promptũ, graue leue. *Iugum meum suaue est*, me toto corde amanti scilicet. qui enim perfectè amat, nescit pro qualibet molestia obgannire, neque petita abnegare, neq; furi sese opponere, neque contradictionibus respondere, neque quasuis iniurias vlcisci, neque expulsus abire. Dic quæso mihi quid nescit qui obnixè amat? Quid omittit, qui non omittit amare? De quo conqueritur, qui semper amat? Si, qui amat, quod conqueratur habeat, non est quod conqueratur quod amet, sed de seipso solo, qui quoddam in amore commisit vitium, quod vitium ei potuit accidere vel ob desidiam, vel ob importunitatem. *Iugum meum suaue est*, si vt te Christianum gaudes, ita te mei amantem præbere gauderes, si non sis animo angustiatus, morosus, desidiosus; animi amantis

tis enim proprium est, non pericula fugere, neque animo deficere, neque in laboribus contristari. Non sine mysterio, omne iugum dum nouum est, ex seipso graue est, sed dum aliquamdiu humeris impositum fuit, facilius toleratur, & leuius tollitur: ratio est, quod gestationi assueuerit amans, ideoque siccius & leuius remanet iugum. O quã immensa est tua bonitas, ô Deus: cum nascens humeris nostris tuæ legis iugũ imponere nolueris, sed prior tibi imposueris, & illud triginta trium annorũ spatio gesseris, sic vt illud dulcius & leuius effeceris. Quod iugum Dei filius humeris nostris primo imposuit, quod suis non imposuerit? *Iugum meum suaue est* inquit Iesus Christus, quoniam si ieiunia præcipiat, prior ieiunauit: si orationes, orauit: si condonationes, condonauit: si mortem, & mortem passus est: si amorem, amauit: sic vt si quãdam potionem medicinalem nos haurire velit, illam in seipso prior expertus est. Notandum serio est, quod Iesus Christus suam legem non ligno, non petræ, non plantis, non ferro comparet, sed

iugo

iugo duntaxat. Ratio eſt, quod illa omnia ab vno ſolo geſtari poſſint; ſed non hoc quod dicimus iugum; opus eſt enim duobus. Secundum quod dixit Ieſus Chriſtus, *Iugum meum ſuaue eſt*: quia ea hora & eò inſtanti quo Dei famulus caput demittit ad tollendum iugum, ſtatim ab alia parte vt auxilio adſit, adeſt Ieſus Chriſtus. Quis ille quæſo qui huc vſque bonum opus exercuit, cui non ſubuenerit Ieſus Chriſtus? *Iugum meum ſuaue eſt*: nullus enim me vocat, quin reſpondeam; nullus loquitur, quin aures præbeam; nullus ſe commendat, quin ei ſuppetias ferã; nullus mihi gratis inſeruit, immo nullus operatur quin operi intendam ❡. *Iugum meum ſuaue eſt*, quandoquidem lex quam electis meis confero, & iugum quod amicis meis impono magis ignoſcat quam puniat, magis diſſimulet quam accuſet, magis terreat quam fatiget, magis conſoletur quam oneret: quod ſi illud graue eſſe velim, geſtanti tamen ſubuenio. O bone Ieſu, ô animæ meæ delitiæ, quis à via aberrare timebit tali cum duce? Te Nauta, quis mare

transmeare dubitabit? Tæ vexillifero, quis de victoria ambigat? Qui fieri potest quod graue sit iugum tuum, quandoquidem tu mihi & ego tibi affigar? O amabilis lex, ô beatum iugum! ô benè impensus & mercede plenus quem pro te patimur, labor ô bone Iesu! nam tu te non solum nostris laboribus adfuturum promittis; sed nos solos non derelicturum asseris. non credis eum qui in horto Gethsemani occurrit ijs qui eum capturi veniebant, statim occursurum eis qui eius obsequio vacare voluerint? Malorum iugum graue est, & bonorum leue: nam in mundo pro obsequijs nostris multo cum sudore impensis merces non datur; in domo Dei autem non bonorum nostrorũ operum tãtum: sed & cogitationum nostrarum mercedem recipimus. Moyses Hebræis legem conferens dicere non potuit, *Iugum meum suaue est*, neque Solon Græcorum, neque Phoroneus Aegyptiorum, neque pariter Numa Pompilius Romanorum legis latores, eò quod legibus suis multa scandalosa & scriptis indigna apposuerint & adiun-

xerint

xerint. Cuius valoris esse poterat Moysis iugum, quod in alienigenas vsuram, & repudiationis libellum, & matrimonij diuortium permittebat? Cuius & Phoronei, quandoquidem Aegyptijs & rapinas & furta concedebat? Cuius & Lycurgi, homicidium non puniens? Cuius quoque Solonis Salaminij, adulterium dissimulans? Cuius denique Numæ Pompilij, sub quo licitum erat omnia quę harpagari poterãt rapere? Iuga erant concedo, sed grauia admodũ iuga legesq́; perniciosæ: vitia enim dissimulabant: atque hoc prætextu vitiosi homines tolerabantur. Sed Iesu Christi lex ita in hoc quod concedit, recta est, & in hoc quod permittit pura, vt neque vitia, neque vitiosos patiatur, quia *lex Domini immaculata*. (*Psal*. 18.) Hebræi & Pagani, qui nostram calumniabantur legem, eam duritiei & asperitatis accusantes, sine ratione & causa id fecêre: vitia enim si quæ oriantur, non quod mala sit lex oriuntur; sed quod malè obseruetur. Nunquam ad iustitiã tota mente aspirãtibus Dei mandata

dura & aspera esse videntur : quia Iesu Christi iugum non est pro illis, qui se secundum suam opinionem & propriam voluntatem regunt; sed pro ijs qui rationi conformiter viuunt.

Quomodo examinandi sint qui in Monasterijs religionis habitum suscipiunt : & quomodo diuisiones & interstitia Arcæ Noe præsignarint religionis ordines in Ecclesia Catholica.

CAPVT SEXTVM.

F*Ac tibi arcam de lignis læuigatis : mansiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecus & extrinsecus*, dicebat Deus Noë (*Genes.* 6.) quasi diceret , Scias velim si nescias amice mi Noë me malorum malis admodum indignari, displicereqúe mihi eos resipiscere nolle. decreui per vniuersum mundum generale diluuium immittere, quod malorum nullus euadet, & in quo proborum nullus peribit. Quoniam verò mea illa est consuetudo, & ille iustitiæ meæ ordo,

do, quod ſine miſericordia nunquam puniam, ideo volo vt ante omnia tibi arcam magnam in modum nauis conſtruas, quo te & omnes qui tecum in me credunt, ſalues. Hanc arcam conſtrues eo quo tibi pręcipio modo, ex lignis ſolidis, ſanis & integris, quæ nullo modo putreſcere poſsint, & ex tabulis & aſſeribus læuigatis vt melius per aquas diuagetur. Centum & vnius annorum ſpatio eam conficies, vt tanto tempore videam num peruerſorum aliqui reſipiſcant, quibus miſericordiam conferam. Etiam conſulo chariſſime Noë, vt in arca quam ædificabis manſiones quaſdam anguſtas facias in modum paruulorum cubiculorum, quas exterius interiuſqúe bitumine ſolido & benè compoſito linies: ſic vt tu & alij electi mei ibi nedū à naufragio, ſed & à pluuia conſeruemini. Rem ergo tangentes fratres amantiſſimi, hac figura docemur, & intelligere poſſumus quo in periculo ſint qui in mundo viuunt, & quantum conferat eis Deus noſter beneficium quos in Monaſterium per mundi abnegationem condu-

xit, in quo velut alter Noe cum bonis nos saluare vult, nolens cum peruersis mundo nos immergi. Quid aliud est arca Noe in qua ipse cum tota sua familia saluatus fuit, nisi sancta & benedicta religio in quam quisque nostrum animam suam saluaturus secedit? Quid aliud innuit Deus dum Arcam tabulis & asseribus leuibus puris leuigatis, aptisque per aquas fluere & solido ligno quod non putrescit fieri imperat; nisi, nouitios quibus fundari & componi debet religio, Christianos integros ante omnia & obsequi Dei cupidos esse debere? Quid quæso dum mãsiones & Arcæ cubicula angusta & infima esse vult, nisi eum qui in Monasterium religionis ergò venit debere multas delitias vitare, multamque libertatem? Quid aliud, dum arcam intrinsecus & extrinsecus bitumine linitam esse vult, nisi religiosum interius charitate ardere debere, & exterius humilitate prælucere? Quid similiter dum vnam portam & vnum egressum dantaxat in arca esse vult, & quidem eum demissum & exiguum

valde, nisi in tota Monasterij congregatione vnicam esse debere voluntatem. quæ Prælati debet esse voluntas? Quid denique dum dicit vnumquemque mergendum qui in arca non reperietur, & omnes qui egredērentur perituros, nisi quod Deus religiosum qui suam sequitur concupiscentiam, & qui Monasterio egreditur, vagari, immo in pericula & huius mundi ærumnas incidere patiatur? Porrò si magnum sit illud quod contulit Noe Deus beneficium, eum è profundis abyssi gurgitibus quibus immersi erant peruersi extrahens: nunquid quæso par est aut maius quod religioso quem è mundo ad eum saluandum educit confert beneficium Dominus Deus? In mercedem tanti beneficij construxit Noe altare lapideum, in quo de cunctis animalibus ei offerret. Quibus erudimur, debere nos qui huius mundi diluuio liberati sumus, in religionis Arca non solum cor nostrum quo eum amamus, sed & omnia membra nostra quib⁹ ei inseruimus, offerre.

Notandum quoque est Deum non imperare Noe vt Arcam ex omni lignorum genere construat, sed ex illo solo quod ipsi assignarat. Quibus docet nos non omnibus personarum generibus religiones & Monasteria replere debere, sed homines immaculatos eligere, qui à Deo electi dici possint & ad sacrum eius vocati obsequium, non autem diaboli. Tunc ex ligno solido & non putrido construitur Arca, dum qui fideles Catholici sunt in illam commigrant, & qui mũdo corde sunt, qui omnibus membris sani & iudicio sunt: sic vt talium receptione ædificetur mũdus, & promoueatur religio. Filius Adæ fuit Cain sicut Abel: pependit in cruce malus latro, sicut bonus: Iudas Apostolus fuit, sicut S. Petrus: sed scimus quosdam sanctos fuisse, alios verò diabolos. Vnde concludere licet, non omnes qui habitum petunt isto dignos, neque omnes admissione qui religionem ingredi volunt. Non nisi è bono ligno construitur domus, non nisi bona chalibe conficiuntur cultri, non nisi fructiferæ

ctiferæ plantantur arbores, non nisi raræ & bonæ in horto voluptatis conseruntur plantæ. Nullus lubens nisi perito nautæ nauem committit: si secus enim quispiam ageret, neque per mare nauigare, neque à tempestatibus se tueri posset. Qui superbum quoddam & excellens vult ædificium erigere, prius de bono & profundo fundamento cogitat, quod duris & solidis lapidibus est repleturus; si enim aliter ageret, fortè domus in qua se tutissimum arbitraretur rueret: & sic suæ domus & vitæ iacturam faceret. Hæc omnia fratres amantissimi dicimus ad Abbates, Prælatos & Monasteriorum Priores commendos vt seriò nouitiorum receptioni ante admissionem inuigilent: cum in hominum spiritualium qui religionem promoueant, non autem dissolutorum iuuenum, qui eam perdant & destruant receptioue, omne religionis bonum consistat. NB Malum ouum, mala placenta: modicum fermenti totam massam corrumpit: putridus racemus alios putrefacit: ouis scabiosa totum inficit
 gregem:

gregem : sic vel vnus peruersus nouitius totum Monasterium corruperit. A tempore quo infelix ille Iudas dignitate apostolica per apostasiam cecicidit , Apostoli non habitum & apostolicum locum vlli conferre , neque quempiam alium suo collegio ascribere ausi sunt, donec S. Matthiam per Dominum confirmatum elegerunt. (*Act.* 1. Legimus Apostolos ad septem nouitios Diaconos admittendos non solum aliorum discipulorum voces collegisse , sed oẽs vnanimiter orasse, vt eis reuelaret Dominus Deus, num eius consensu admitterentur , & num maiori decoraretur honore apostolicus cætus. (*Actor.* 6.) In libro Iudicum (*Cap.* 7.) fit mentio quod ex triginta hominum millibus qui in Madianitas præliaturi conuenerant, trecenti duntaxat electi & ascripti fuerint, quorum nullus canum instar in terra aquam bibiturus genua flexit , sed erecti omnes illam manu hauriebant. Ab Aegypto amplius quam sexcenta animarum millia eduxit Deus , quas incolumes per alium maris rubri marginem

nem transire fecit ; sed ex tanto hominum numero solus Iosue & Caleb Dei gratia Iordanem pertransierunt. & terram promissionis ingressi sunt. Hisce notabilibus exemplis colligere possumus non omnes statim in religionem admittendos , qui sese offerunt : quoniam multi in ea se benè gesturos pollicentur , pauci tamen illic perfectè viuunt. Si in mundo nullus equum emere velit , quin eum prius expertus fuerit, neque vinum , nisi prius gustatum , neque pannum. nisi prius visum , neque vllam nisi prius inspectam dactylothecam, neque vllum nisi manibus admotum pharmacum : rectène ageret Prælatus si nouitium antea non benè examinatum admitteret NB Prælatus qui inconsideratè eos qui è mundo veniunt admittit, seipsum decipit , suoque male fungitur officio, & nouitio quem acceptat obest : Monasterio enim est inidoneus , religiosis scandalo , eis malum adiungens consortium : immo, quod peius est, Monasterium suum

corrumpit, dum in eo malum adeo fructum plantat. Decipior, ſi certo quodam loco bonos quoſdam & pacificos vicinos, cuiuſdam domus vicinæ reditum ſoluere non viderim, non aliam ob cauſam niſi vt mali vicini viciniam fugerent, ſe aliquid in bonis iacturæ pati malle dicentes, quam quendam litigioſum in viciniam aſciſcere. Hæc in ſua regula profert verba S. Baſilius: Nolumus ſine Conuentus licentia Prælatum nouitium admittere, & ſi præuio facto diligenti examine dignus acceptatione videatur, debent omnes Deum orare, vt ab incœptis non deſiſtat nouitius, ſed promiſſis ſtet. Merito certè ita ſerio nouitiorum receptionem Prælatis commendabat S. Baſilius, quoniam omnium maximum quod Monaſterio inferre poteſt detrimentum Prælatus, eſt religioſis malum adiungere conſortium, & in religionem hominem qui eam pordet & deſtruet inducere.

Quòd ad seruiendum Deo in Monasterijs non sint acceptandi ij qui in mundo abiectissimi sunt.

CAPVT SEPTIMVM.

SApiens & prudens Prælatus videre debet vt omnes qui habitum suscepturi in Monasterium veniunt, à spiritu Sancto conducti veniant 1 quosdam enim eò properare videmus ob quandam in mundo commissam infamiam, 2 alios ob egestatem 3 quosdam ad graue quoddam vitandum supplicium 4 alios ob quosdam corporis defectus 5 reliquos denique ob simplicitatem vel inhabilitatem conuersationis cum mundo. Tales non possumus charitate motos venire dicere, sed quadam necessitate coactos; non enim mundum dereliquerunt, sed dereliquit eos mundus. Prælatus, qui Domini Dei loco est, non debet tolerare Religionem esse sterquilinium an purgamentum mundi: mundus enim potius religionis debet esse sterquilinium: quod tamen patitur, cum in Monasterium ad

admittit eos qui mundo nō sunt digni, quos in mundum remittere deberet, cum Monasterio inidonei sint. In antiqua lege neque monstruosi, neque gulosi, neque claudi, neque lippi ad templi obsequium admittebantur. vnde coligere possumus nouitios mundo egredientes & in religionem venientes debere diligenter examinari, & esse magnam in eos adhibendam cautelam, vt appareat quis sit eorum in Monasterij ingressu animus ‖ non enim in Dei obsequium admittendus est ille, qui in eo se probare tantummodo vult; sed qui cogitat, & in eo perseuerare decreuit. Multi parentes pro filijs & filiabus importuni sunt, vt scilicet in Monasterium admittantur: quidam quia dote, quam eis in matrimonium conferant, carent, quidam verò quia sumtibus sustentationis. Sic, vt si mundo adhiberetur fides, religionis domus quæ ad saluandas animas ab Ecclesia ordinatæ sunt, prouisionum domus pro mundanis fierent. Porro qui hoc faceret vel permitteret Prælatus, non verus pater, sed vitricus foret: non reformator, sed diffi-

dissipator : quandoquidē in religionis domū non quos elegit Deus ; sed quos ei offert mundus conducere auderet. Debet omni diligētia eorū qui è mūdo in religionē veniunt capacitarē examinare : imprimis scire nū in orationibus feruidi sint, nū laboribus sustinendis idonei: post religionis ingressū siquidē si pietate careant, in viros dissolutos euadūt: si infirmi & debiles, tandem ordini inutiles sunt. Quādoq; pietate moti nouitios acceptāt Prælati, quādoq; importunitate coacti, qui sciētia qua cōcionētur, carent, & deuotione qua orent, & virtute qua laborent, & iudicio quo se regant. Quorum receptione multæ postea oriuntur molestiæ & multa in Monasterio scandala. Diligens & curiosus sartor prius creta pannum signat, & manu metitur, quam scindat, & forcipem apponat. Cuius exemplo debet Prælatus diligenter examinare & pulsum eorum qui è mundo habitum suscepturi in Monasteriū veniūt palpare, vt sciat nū à Deo vocati, vel à mūdo eiecti veniant: tali enim casu nō deceret Monasteria farinæ furfurē suscipere, &

fari-

farinam in mundo remanere. Narrat Abbas Cassianus eremi Scythiæ Monachos non statim secularibus habitum postulantibus dare solitos; sed quod eos retinebant, & in porta subsistere iubebant, vbi eos verbis iniuriosis afficiebant, & rigidè excipiebant, vt dignoscerent num animo & spiritu perseuerantiæ & laborum suscipiendorum intentione venirent. In collationibus Patrum de receptione nouitiorum agens dicebat Abbas Panutius: Caueat Abbas eos qui in monasterium veniunt admittere, priusquam verbis duris & asperis audiendis, & laboribus assuescere eos fecerit; quibus dignoscere postmodum facile erit, num eadem sint futura opera, qualia tunc erant verba. In libro solitariæ vitæ legitur moris apud Palestinæ Monachos fuisse, eum qui è mūdo in Monasterium veniebat, vno anno in porta collocare, & rursum in habitu nouitiatus trib. annis, vt quatuor illorū annorū spatio experiretur nouitius, nū Monachorū illic residentiū more viuere posset, si admissione dign⁹ reperietur. Duobus hominum generibus

bus suũ Monasteriũ replere debet Prælatus, doctis & prudẽtibus scilicet viris, & simplicibus & robustis; doctos & prudentes in ordinis regimẽ assumet; simplices ad subeundos labores. Dũ dicimus quosdã simplices in religionẽ admitttendos, intelligimus simplices dulces, discretos, & colũbinos, sic vt quid promittant norint, & mãdata obseruẽt. Præcipue cauere debet Prælatus, ne quẽquam admittat qui simplicitatis & sinceritatis prętextu malitia compensat discretionis defectum. Male facit Prælatus omnino simplicẽ & planè hebetẽ admittẽdo, qui fortè à parẽtibus in Monasterium nõ vt Deo facilius inseruiat, sed vt illo liberẽtur adduct⁹ est. Turpiter falluntur qui Monasteriũ fratribus simplicibus & hebetibus complent, ita quippe magnę & vehementes Monasteriorũ sunt asperitates, & adeo frequẽtes diaboli tentationes, vt nisi maxima deuotionis vi & pura directione tolerari nequeãt. Religiosus qui deuotione caret, diu in Monasterio perseuerare non potest, vel si perseueret, ad ordinẽ perturbandũ perseuerabit, nihil siquidẽ religio-

ligioni perniciofius eſt homine ſtulto malitia referto. Redarguendi quoque ſunt religioſi qui ſine ratione & importunè Prælatos rogant vt nouitios ſibiipſis affines vel conſanguineos admittãt, quos ad religionem inducere volunt, non ad animas eorum ſaluandas, ſed ad expectandum ab eis obſequium. *Væ qui ædificat in ſanguinibus*, dicebat Propheta Habac. 2. Et Mich. 3. quaſi diceret, Væ vobis paſtoribus qui oues meas & greges paſcitis, vobis inquam qui vineam Eccleſiæ meæ non ex electis meis, ſed veſtris parentibus & amicis plantare vultis. Grauiter fallitur Prælatus, magnoqúe ſe exponit periculo, qui religionis habitum amici ſui filio dat, vel cuiuſdam religioſi nepoti, quem, etſi in Nouitiatu malè ſe habeat, nõ ideò excludit à Profeſſione: neque poſt hanc, vitioſum & incorrigibilem monaſterio eijcit, ſuam conſcientiam dedecori alterius poſtponens. Profecto dum conſanguineum vel nepotem quempiam in in Monaſterium aſcribi cupit religioſus, non à minima diaboli tentatione tentatur: quia dum illius leuitates

excusare conatur, & ei quandam procurare libertatem, omnibus obmurmurandi ansam præbebit, immo & frequenter propter ipsum in Prælatum insurget.

De conditionibus quæ requiruntur in ijs qui alios in Religione docturi sunt.

CAPVT OCTAVVM.

FEcit Ioas rectum coram Domino cunctis diebus quibus docuit eum Ioiada Sacerdos: & quadraginta annis regnauit in Ierusalem. Hæc verba habentur in libris Regum: (*4. Reg. 12.*) quibus declaratur quod Rex Ioas filius Reginæ Sebiæ, quadraginta annorum spatio in Hierusalem regnarit, & quod duntaxat rexerit, siue rectè imperarit ac egerit quanto tempore sacerdos Ioida eius fuit magister & rector. ¶ Dicit Quintus Curtius quod eo tempore quo Olympias Regina magnū Alexandrū peperit, his verbis pater eius Philipp. Rex Aristoteli Philosopho scripserit, Philip. magnæ Græciæ Rex, & totius Asiæ dominus, tibi Aristot. Philosoph. salutē, & p

ma-

magnos Deos consolationem. Vxor mea Olympias tua domina & magistra, partus periculo euasit, & Principem talem qualem desiderabat Asia peperit: ideoque Dijs gratias immortales ago, quod te superstite illũ mihi donarint. certo enim scio, illum maiori decorandum honore & gloria, quod te Pædagogum & magistrum habiturus sit, quam quod meus sit dicendus filius. 2 In Apostolorũ Actibus cap. 22. gloriatur S. Paulus se ex tribu Hebræorum esse, seqúe in Tarso Ciliciæ natum, se magnum Gamalielem in lege benè peritum, in patriæ consuetudinibus expertissimum magistrum habuisse. 3 Laudat magnum Pythagoram in suo Bibliorum prologo S. Hieronymus, quod in antiquam Mempheos Academiam operam studijs nauaturus profectus sit, & quod pro Pædagogos diuinos illos Memphiticos habuerit, ex quibus eloquentiæ artem & philosophandi formã didicerat. 4 In eodem prologo laudat quoque famosum illum & diuinũ Platonem, qui in summo periculo à tempore quo è patria profectus erat, & Aegyptum

gyptum & Siciliam per mare per terras peragrarit, vt peregrinus Philosophi Architæ discipulus fieret potius quam in propria Academia magister. Mirum in modum pariter Apollonium Tianeũ laudat, qui Asiæ regna penetrauit, donec ad Indiæ vltimos fines pertigisset, non aliam ob causam, quam vt istius famosi Philosophi Hiarchæ, quem in throno aureo sedẽtem reperit, discipulus fieret, qui de motibus cęli tractabat, & cum discipulis disputabat. Ob tria Dijs gratias agebat Agathocles quondam Sicyoniorum Rex, scilicet 1 quod se hominem fecissent 2 & quod hominem doctum 3 quodq; magistrum Chilonem Philosophum præbuissent, qui tanti fuit consilij, vt quamdiu eius lateri adhæsit, nulla ciciderit victoria, neque vlla ei inobediens fuerit Respublica. Ad rem ergo redeuntes fratres amãtissimi, hæc ante oculos exempla & cõsilia proponere volui, vt per ea cognoscatis, & nos ipsi cognoscamus quam necessarium sit bonos & probos magistros quærere, qui nouitios strictã suæ religionis regulam quam Deo vouere, & cæ-

& cæremonias quas in ordine obseruare debent doceā. Philosophus qui Roma in Asiā, & ex Asia in Indiam proficiscebatur non aliam ob causam nisi vt Philosophiā addisceret id laboris subibat: qui autem è mundo in religionem venit, non nisi ad salutem quærendam, non autem ad philosophandum venire debet. Ideoque æquum est vt ei magister & pædagogus sufficiens tradatur, qui viam salutis eum doceat, & laborum reperiendorum admoneat. Qui è mundo in religionem veniunt similes sunt tabulæ nudæ, nonnihil planæ velut ceræ mollis. His similitudinibus inferre volo, illum non posse Nouitiorum esse peritum magistrum, qui periti magistri discipulus non fuit; quod enim ad modum agendi & religionis perfectionem attinet, non est lectoris & auditoris tantum illa rectè docere, sed illius qui in se expertus est. Si forsitan in Monasterio quidam equus sit claudus, tradetne eum curandum quæso equario medico ignaro Prælatus? Si ita sit, quemadmodum verè est, quod periti magistri manibus equum committat, qua conscientia suum innocentem

Noui-

Nouitium imperiti magiſtri & nõ probati manibus cõmittet? Si nullus panno ſuo fidat, neque patiatur quemquam togæ forcipem apponere niſi ſartorem ſuæ artis expertiſſimum, quomodo tu Prælate Nouitium iã iã è mundo veniẽtem diſſolutiſſimi & perditiſſimi religioſi directioni audebis cõmittere? Qui aliquam habet domum caducã, & pluuiæ expoſitam, non imperitum quærit artificem qui tegulas magis frangat, ſed qui pluuiæ impedimentum & remediũ adferat. Quibus monemur, religioſum qui alios docere debet, ita probum eſſe debere, vt ei non ſufficiat eos verbis docere, ſed & ſuis operibus ædificare.

Cùm Patriarcha Ioſeph Iacob patrẽ ſuũ cũ vndecim fratribus in Ægyptũ vocauit quã artẽ exercerẽt Pharao rogauit: reſponderunt ſe greges ſeruare & in cãpis habitare ſolitos. (*Geneſ.* 47.) Tunc dixit Rex Ioſepho. *Si noſti in ijs eſſe viros induſtrios, cõſtitue illos magiſtros pecorũ meorũ*, quaſi clarius diceret: In pratis meis magnos habeo greges boum, caprarum, ouium: ſi ergo è fratribus tuis quidam ſint induſtrij & in ſeruandis gre-

gibus

gibus experti, meorum gregum curam eis committas volo. Hic maturè notandum eſt, nec leuiter prętereundum: Regem Pharaonem non cuiuis fratrum Ioſeph gregum ſuorum curam imponi voluiſſe, ſed ijs ſolum qui boni paſtores erant. Vnde concludere poſſumus iuuenum curam non niſi honeſtis, & in religione benè verſatis, & expertiſſimis viris committendam. Pharao Rex ſuas oues & capras non niſi perito & laborioſo paſtori committere vult, tu verò Prælate educandos Nouitios tuos minus in religione probatis, immo fortaſſe maximè temerarijs committes? Non ſine myſterio eis Pharao gregum ſuorum curam non committit, eo quod filij Iacob eſſent, vel quod ſui magni famuli & amici Ioſeph fratres eſſent; ſed quod in iſta arte benè verſati iſto officio digni eſſent. Hinc ſciendum Prælatum non maxime pio Nouitiorum curam committere debere, ſed ei quem totius Monaſterij maxime ſolitarium, honeſtiſſimum, & probiſſimum nouerit. 5 Indiſcrete Monaſteriorum officia diſpenſare, non eſſe peccatum non dicimus;

notandiſsimum notandiſsimum

cimus; sed insuper asserimus, quod indignum, Prælatum siue magistrum eligere, non solum sit peccatum, sed sacrilegium: quoniam omnibus alijs Monasterij officiarijs, clauium & portarum sola cura est, sed Prælato & Magistro animarum. In secundo libri Danielis capite apertè recitatur Regis Nabuchodonosoris terribile & horrendum somnium, quod nemo intelligere neque interpretari præter Danielem Prophetam potuit, qui in tanti obsequij mercedem à Rege omnium Prouinciarum moderator, & omnium Doctorum illic residentium magister est constitutus. Hic notandum est quod Dominus hanc gratiam Prophetæ Danieli ideò contulerit, quod in regio palatio educatus, sæpius alijs gallinas & capones comedentibus, herbas & legumina comederet, & alijs vinum bibentibus aquam ille biberet: ita vt quoniam omnium maximè sobrius erat, ideo magistrorum magister factus sit. Hocce notabili exemplo docentur Prælati non debere educandos & informandos in Monasterio Nouitios vlli committere,

nisi ei qui omnium optime viuit, & qui
virtute abstinentiæ cæteris prælucet. In
sua antiqua Regula dicebat S. Basilius:
A Domini nostri discipulis dici audiui-
mus, quod religiosus qui in Monaste-
riũ habitũ suscepturus venit, adeo sin-
ceræ debeat esse vitæ, vt Monachus re-
center factus debeat magister eligi, &
Nouit. magister Abbas. Secũdũ hæc di-
ctum est quoq; in vitæ solitariæ libro,
tunc benè ordinatũ esse Monasterium
cũ Abbas Religios. doctissimus & pru-
dentissimus eligitur: Nouit. magister,
omniũ reformatissimus: omniũ dulcis-
simus, ianitor: honestissimus, qui extra
domũ negotietur: maxime caritatiuus,
qui ægris inseruiat. Ioannes Climachus
Abbas inquit, q̃ in Monachorũ Aegyp-
ti cõgr. omniũ precipuus eligeret̃ No-
uitiorũ Magister, ab hoc secundus Ab-
bas, postea ianitor, & omnium hone-
stissimo dom⁹ negotia cõmittebantur.
10 S. Hier. cuidã Monacho qui vocabatur
Rustic⁹ scribẽs, hoc modo dicit: Si ma-
gistrum meũ & aliorũ Monachorũ hac
in eremo residentium nosse desideres,
scias Rogerum Abbatẽ fuisse, hominẽ
condi-

conditione sua benignũ valde, consilio doctum & valdè prudentẽ, annis antiquum, sobriũ, vigilem & taciturnum, valdè pium, & in disciplinis suscipiendis asperrimum, deniq; admodũ obedientẽ, & continuò in charitate se exercẽtem. Porrò secundũ huius sancti viri consiliũ, debet Nouit. magister admodũ reformatus esse, & in suis perfectionibus integer; dedeceret enim illum dissolutũ discipulũ redarguere, si ab alia parte ille per Monasteriũ sæpius discurrere videretur. Dũ incessũ paruulos suos docẽt matres, neq; ab eis oculos auertũt, neq; manus, vt intelligamus boni magistri officiũ esse, sẽper omnibus in rebus discipulis adesse, tã in cubiculis dũ studẽt, q̃ in officijs dũ operãtur. Nõ temerè diximus Nouit. magistrum non solum debere esse reformatũ, sed & in suis perfectionibus integrũ & cõtemplatiuum: nam maximè pietas & oratio in religione necessariæ sũt: ideoq; si pius est magister, suos discipulos in pietate fouebit, si hac in parte remissus & piger, suos pigros reddet discipulos. In libro vitę solitarię legit de Abbate Serapione, q 46. annorũ spatio quo in re-

ligionē Nouitios docuit, nunquam eum Nouitius in tugurio repererit quin viminum corbes conficeret, vel lachrimas effunderet, vel sacras scripturas legeret. Ille qui tali est alijs exemplo quali fuit bonus ille senex, & qui tantis sacris exercitijs se totum mancipat, non solum Nouitios docere meretur, sed & omnium sanctorum Monasterij magister fieri: adeò longinqua enim in lectione, & in oratione perseueratio, & laboris assiduitas non nisi ab heroico oriebatur animo, & à viro maximè approbato.

Quid suos Nouitios Magistri docere debeant, figuris notabilibus manifestatur.

CAPVT NONVM.

DEbet insuper iuuenum magister homo maturus, & sedatus esse religiosus, quia in studijs & Academia Atheniensi docebant Philosophi suos discipulos eloquentiam & subtiles disputationes; sed in scholis & Iesu Christi Mo-

Monasterijs non debent magistri suos discipulos disputationes, sed bonas actiones, non facundiam linguæ, sed taciturnitatem docere. Primus magister & primi religionis Christianæ discipuli fuerunt Iesus Christus & Apostoli: de quo priori bono magistro dicitur, quod prius fecerit quam docuerit; ná hominum animi remissi, potius operibus quæ vident persuadentur, quam verbis quæ audiunt. Religiosus qui in religione aliud dicit, & aliud agit; non est prædicator sed præuaricator; non docet, sed scandalizat: non est bono exemplo, sed scandalo; non plantat, sed eradicat; nó ædificat, sed destruit. Quia otium maximè animæ est inimicum, & quod inter religiosos nullius debet esse fidei, ideo credibile est iuuenem Nouitium, Magistrum per Monasterium vagare videntem, non libenter manum operi admoturum: quia magistrorum nostrorum magis actiones imitari debemus, quam eorum verba memoriæ nostrę infigere. Prouideat quoque Nouitijs de necessarijs oportet Nouitiorum magister: scilicet vestitu si nudi

sint & laceri, cibo si debiles, & præcipuè sanitati si ægri sint: non enim honestũ esset eos similia rogare, ecõtra crudele esset eis ista non dare. In libro doctrinæ Nouit. dicit S. Bonauentura, quod Nouitiorum magister in eos se gerere debeat sicuti pater in filios, eos educando, sicuti mater eos recreando, sicuti frater eos corroborãdo, sicuti magister eos docẽdo, sicuti rector eos corrigendo, sicuti Dux eos conducendo, sicuti gubernator eos defendendo. In libro doctrinæ religiosorũ dicitur, immo asseritur, quod Monasterij magister teneatur discipulũ suũ attẽtionem in choro docere, in altari pietatẽ, in oratorio contẽplationem, in refectorio honestatẽ, inter socios pacẽ & taciturnitatẽ, inter laborios labores, in cubiculo occupationes, in ęgros charitatem, & in omni loco mortificationem. In vita Patrum fit mentio, quod Abbas Arsenius cuidam religioso quendã Nouit. cõmiserit: rogauit religiosus, quomodo in illũ Nou. se gereret, dixit sanctus senex, quod in ipsũ se eodẽ modo gereret quo capitaneus in militẽ, & nauta in nauẽ, tutor in pupillum,

lum, dux in viã. Debes insuper inquit Nouitij recẽter mundo egredientis cũrã gerere, ei ceremonias mõstrando, eũ in laboribus consolando, in tentationibus confortãdo, in excessibus corrigẽdo, & præcipue vt videat ad quid teneatur, nec quid deseruerit curet. O qui felix ille magister esset, qui cũ Propheta dicere posset. (*Ps. 116.*) *Particeps omniũ timentiũ te*, hoc est particeps sũ Domine omniũ in religione tibi obsequentiũ, & omniũ te mea doctrina sequẽtiũ: q͛ verè dicere poterit, si integre in suos Nouitios officio fũctus fuerit suo, & hi tales euaserint, quales debent. Sed contrarium omnino magistro accidet qui negligẽtia aut suo malo exemplo, Monasterio Nouitium egredi compulerit, & in perditione & dissolutione eũ viuere fecerit: qa in extremo die iudicij corã Deo strictissimã redditurus est de eo rationẽ. Nõ sufficit si graues in suos Nouitios se exhibeãt magistri, sed religioni fideles debẽt esse, Prælatis Nouit. cõditiones & inclinationes declarãtes, vt ex relatione sciat Prelatus, nũ sint admittẽdi, vel reijciẽdi. Debent & huiusmodi magistri tẽpore q͛ suos discipulos

examinant videre, ne in diſcipulos ſuos ſe cholericos vel nimium amicos exhibeant: ſed Deum ante oculos ſibi proponentes maturo iudicio quod dicendum dicant, non autem quod ſenſualitas dictat. homo nihili, immo & nequam & proditor Nouitiorum magiſter dici poteſt, qui ex affectu amoris, aut odij Nouitium laudat vel accuſat: eum diſſolutum dicens qui verè probus eſt, & eum probum cui nulla virtutis apparentia eſt. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum*, dicebat Deus per Prophetam Iſaiam, (*Cap.* 5.) quaſi diceret: Væ vobis magiſtris & religioſis qui malum loco boni probatis, & bonum pro malo condemnatis, non cum iudicio & ratione, ſed cum affectione conſulentes. ¶ Quod hic magiſtris dicimus, omnibus religioſis pariter dicimus, vt cum prudentia & maturo iudicio iudicent num retinendus aut dimittendus ſit Nouitius. ſi enim malus ſit Nouitius, ordinem produnt eum admittendo; ſi verò bonus, magnum patrãt peccatum ſi eum dimittant. Maledictus Iudas, peſſimus fuit Nouitius,

qui

q etsi necdũ in Monasterio & Iesu Christi Collegio professus esset, nihilominus summus ille creator & benignus redemptor noster illum tolerabat, de die in diem conditionis commutationem expectans vt mereretur profiteri; sed miser & infortunatus antequam reijceretur in apostasiam incidit, & nemine eum persequente desperauit. In primo regni & Saulis Regis nouitiatus anno, flēte Propheta Samuele eo quod eum amaret, & quod eum Regem vnxisset, semiiratus dixit Dominus, (1. *Re.* 16.) *Vsquequo tu luges Saul cum ego proiecerim eum ne regnet super Israel*; quasi diceret Cur dic quæso mihi Samuel tamdiu flēs & luges, quod discipulo tuo Sauli habitum abstulerim, & Monasterio eiecerim, quandoquidem mādatis meis obedire noluerit, nec consilijs tuis fidem adhibere? Ex me scias volo nihil esse sanum nisi quod sano; nihil iustum, nisi quod approbo; nihil electum, nisi quod volo; nihil ęternum, nisi illud cui manum appono. Si discipulum tuum Saulem deflere velis, ne illum deiectum defleas, sed quod illum hoc mereri

 reri

reri scias: quoniam inter aduersa quæ hominibus accidunt, non bonũ cuius iacturã faciunt deflendũ est, sed culpa propter q̃ illius iactura fit deflenda est.
12 Omnino hisce superioribus contrariũ in conuersione & electione Apostoli S. Pauli accidit; (*Acto. 9.*) cũ enim Ananiam discipulum suum Christiani habitũ Saulo (qui postea dictus est Paulus) cõferre vellet Dominus Deus, dixit ille Domino, *Domine audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalẽ*, quasi diceret: Domine Deus Israel, quid mihi iniungas vide, & quid mihi pręcipias aduerte: vis enim per me Saulẽ in nouitiatum admitti, & Christiani habitũ ei tradi, scias velim huic ab Ierosolymitanis gubernatoribus mandatũ esse, vt omnes qui nomẽ Iesu Christi inuocant, & qui baptizati sunt rapiat & male excipiat, ideoq; multi fugerũt discipuli, qui nũc per Sinagogas rigide excipiuntur. Responso Ananiæ subiunxit Dominus, *Vade quoniã vas electionis est mihi iste*, quasi diceret: Siue Hebræus sit Paulus, siue tuus inimicus, volo illũ à te Christianũ fieri, vt in Apostolico resi-

deat collegio, quia inter electos meos, vas electissimũ est, in q̊ omnia cœlorũ secreta condere statui. Hæc sunt fratres amãtissimi duo notabilia exẽpla, quorũ cũctis diebus meminisse debẽt boni religiosi, dũ Monasteriorũ Nouitios examinant, vt hac in parte illuminẽtur, ne cũ Samuele Saulẽ defẽdant, & ne cũ Ananiꝰ Paulũ reijciant. Hic omittere nolo vitium quod in Monasterijs patratur de more, quod præsertim magistros tangit, qui se vsqueadeo benignos & cholericos in Nouit. cuius gerunt curã exhibent, vt si eorum gratiam non inierit, nõ cessẽt donec eijciatur: si verò inierit, non altũ dormiant, donec de illius admissione certi sint, sic vt ab opinione magistri bona vel mala depẽdeat Nouitius. Nõ minus quoq; redarguẽdi sunt Prælati, iuuenũ Nouit. curam iuueni religioso ipsis simili committẽtes, qui cum suis Nouitijs quasi paruulis pueris ridet & cachinatur, & quod grauiꝰ est, qui eos nõ vt magister docet, sed eorum tamquã famulorũ opera vtitur. Vt ergo concludantur quæ dicta sunt; nunquã religiosus Nouitiorũ magister

ridens appareat, ſed flens; nunquam otioſus, ſed laborans; nunquam loquax, ſed taciturnus; nõ vagus, ſed continẽs; non moleſtus, ſed dulcis ; non vorax, ſed ſobrius; non inuidus, ſed charitate præditus; non piger & remiſſus , ſed pius.

Qui Domino inſeruire volunt magno opus iis eſt animo, vna hac libri Leuitici figura probatur.

CAPVT DECIMVM.

H*omo qui immolat vitulum coram Domino, offerent ſacerdotes ſanguinem eius fundentes per altaris circuitum: detractaq; pelle hoſtiæ artus in fruſta concident*, inquit Dominus (*Leuit.* 1.) quaſi diceret: Si Iſraelitarũ quiſpiam cupiat Domino vitulum offerre, eum ad oſtium tabernaculi mactabũt ſacerdotes, & ſanguinem prope altare effundent , eundem omnino excoriabunt : ex carne eius multæ abſcindentur partes, quæ ligno accenſo appoſitæ comburentur. Si hoc myſterium mature ritè velimus ſpeculari,

lari, videre erit Dominum multa in ſa-
crificio præcepiſſe vt illud ipſi gratum
eſſet. Primò fieri debebat ſacrificium
ex vitulo bono, ſano, immaculato, iu-
gulato, denique exuſto. Porrò hic ſci-
endum eſt quod inſipienter admodum
ageret nauta ſi vela tenderet, & termi-
num ad quem tenderet ignoraret. Si
Capitaneus exercitum duceret, in quos
decertaret neſciens. Si peregrinaretur
peregrinus, nec quo tenderet ſciret, &
ſi quis ſtatum mutaret, & alium ſume-
ret habitum, neſciens cur mundum
deſerat, curúe religioſus fiat. noſtræ e-
nim vitæ meritum vel demeritum non
in operibus quæ facimus conſiſtit, ſed
in fine & intentione propter quam fa-
cimus. Non ſine cauſa magnus ille Pro-
pheta Dauid dicit (*Pſal.* 118.) *Vtinam
dirigantur viæ meæ* & nec ſine myſterio
ſuadet Iſaias ne in vijs noſtris ambule-
mus, impoſſibile eſt namque quin
in iſtis deflectamus, & nôſipſos condē-
nemus, quoniam tot viæ ſunt quot vi-
tia. Dicit in quadam epiſtola Seneca,
Ne fidas amice, Lucili mūdo adeò ma-
le conditionato, qui etſi nos defunctos

quadam sollicitudine dormire permittit, cum alia noua tamē excitat: alteriq́ assignat q̄ primò nobis tradiderat. Rogāte Imperatore Traiano Plutarchum magistrū suū, cur plures in mundo peruersi essent quā boni, dixit: excellentissime Princeps, q tū à natura corrupta magis ad malū quam bonum procliues simus; tum quod homines homines sequantur, non autem ratio rationem. Tu qui è mundo venis, tu inquam qui ad Monasterium properas, cur quæso habitum mutare vis? Si quid sit religiosus, ignoras: si quid suscipias nescis, cur suscipis? si quid relinquas nescis, cur relinquis? Putas religionis perfectionem consistere in hoc, quod alias vestes pretiosas tuleris, nunc verò habitū religiosi geras? In hoc, q alias homo dicereris, nunc verò Monachus? Quod ante propria habitares in domo nunc verò in Monasterio resideas? In hoc, quod eum cui inseruiebas dominum vocares, nūc verò Abbatē aut Priorem vocare compellaris? Toto cœlo à via aberras si hac intentione & cogitatione in Monasterium venias; nā tuæ saluationis siquidē

bonum

bonum, non in nominis mutatione vel veterum habituũ desertione, sed in noua vita cõsistit. Dũ religiosus diceris, dũ Monasterio includeris, dum nigrum aut album habitum geris, dum Monasterio in mundum reuersurus amplius non egrederis, facile tibi male agendi occasiones auferẽtur: sed illa nõ sufficiunt vt sanctus & perfectus reddaris: si enim cũ istiusmodi rebus in proximũ nõ sis humilis, Prælato obediẽs, laborũ patiẽs, corpus in Monast. benè reclusus castigans, in orationibus pius, in fratrẽ charitate vtens, cur dic quæso mihi in illum locũ è mundo migrasti? O frater qui in religionem venis, cogites oportet te non solũ venisse vt Domino bona offerres & sacrificares, sed & animam: nec solum animam, sed etiam corpus: nec tantum corpus, sed corpus & vitã: nec solum vitã, sed honorẽ similiter, sic vt cum Apostolo (*Gal.* 2.) dicere possis, *Viuo iã nõ ego: viuit verò in me Christus qui tradidit semetipsũ pro me.* Dũ in mũdo eramus maximum quod Deo offerebamus sacrificium hoc erat, nẽpe Ecclesiæ frequentatio, munitio sanctę crucis, genuflexio, aquæ benedictæ sumptio, elee-

eleemosinæ erogatio; sed hic in religione debes frater manus ad laborandum offerre, oculos ad plorandum, corpus ad ieiunandum, os ad orandū, cor ad amandum. Dum in mundo eras, Deo decimas, primitias & oblationes, & alia similia offerebas; sed hic in religione debes teipsum offerre, qui pretiosior es omnibus alijs rebus: maius enim sacrificium Deo offerri non potest proprio corde. Ad rem ergo redeuntes, in hac superiori figura præcipit Dominus vt animal quod ei offerendum erat vitulus masculus foret, & qui illum offerret vir esset non puer, & illud animal debebat sanum esse & integrum sine vlla imperfectione. Quibus innuit religionem viros effæminatos aut suis voluptatibus addictos non expetere, sed homines fortes & robustos, ad labores Monasterij sustinendos, & animosos & probos ad diaboli tentationes ferendas. Si ad docendum alios peritissimus eligatur magister, si ad nauigandum expertissimus nauta, si ad pugnandum animosissimus, si ad proficiscendum & currendum leuissimus,

mus, ac velocissimus, cur ad religionē suscipiendam inhabilissimus & imperfectissimus assumetur? Profectò ad perfectionis culmen pertingendum, & ad labores Monasterij sustinendos opus est corpore robusto & forti & recto & constanti animo. Vnde concludere possumus paucos esse religioni idoneos, quamuis omnes & singuli particulariter Christianitati idonei sint. Porrò si benè illam figuram intelligere velimus, sciendum est, quod Deus dum animal quod ei offerimus robustum esse vult, nihil aliud insinuet quam Nouitium in religionem admittendum debere esse virum: si enim puer sit vel iuuenis valde, debebit magister tempus quod eius doctrinæ erat impendēdum, enutritioni & educationi impendere, vt noscat iuuenis ille quomodo obseruanda sint ieiunia, quomodo pro matutinis & pro primâ inter primos sit surgendum, quomodo domus verrenda, quomodo paranda culina, quomodo Nosocomio inseruiendum, & quomodo omnia in obedientia facienda. Dic quæso mihi suntne à pueris & iuuenibus

uenibus isti labores sustinendi? Nunquid ad robustos & benè sanos Monachos isti labores spectant? Nihilominus verbis nostris omnino cõtrariũ qbusdã in Monasterijs dissolutis fit, in quibus Prælati quosdam adhuc pueros & alios senes & debiles admittunt, vnde post receptionem maximam temporis partem iuuenum educationi, ægrorum sollicitæ curationi, & senum recreationi & consolationi impẽdere coguntur: æquissimum enim est religiosos qui in religione senes euaserunt, & in morbum inciderunt, tolerare, & sollicitè curare vt restituantur sanitati, si fieri possit: sed quandoquidẽ satis multi suppetunt qui prouectę ętatis sint, cur quęso Monasteria iuuenibus qui nutriendi sunt & debilib⁹ qui tolerãdi sunt replẽt Prælati? Iesus Christus Deus noster & Dominus cuius vestigia sequi & opera imitari debemus non sacrum suum collegium pueris neque senibus repleuit, sed hominibus pedibus nudis ambulare valentibus, & stomachos grana spicis euulsa digerẽtes habẽtibus. Vnde cõcludere possumus, religiosum vel religiosam religionẽ ingredi volentẽ isti⁹

ætatis

ætatis esse debere, vt quid deserat intel-
ligere possit, & quid suscipiat obserua-
re. Tunc Deo animal magnum & sanum
offertur, dum vir, nō autē puer in reli-
gionē venit, & dum robustus, non autē
tener & debilis: alioquin enim si puer
vel debilis sit, potius religioni est impe-
dimento, quam auxilio; nā pueris col-
luditur, & cum ægris semper est ꝙ aga-
tur & curetur. 13 Dicit Cassianus Abbas
Aegypti religiosos neminē in religionē
admittere solitos, qui vigesimum non
attigisset annū, neq; vllum qui quadra-
gesimū præterijsset: ita enim nec iuue-
nis suā allegare poterat ignorantiā, neq;
senior religionis iugi tolerantiā. Sed &
aliud in recipiendis iunioribus filijs vel
filiabus inconueniens occurrit, ꝙ eo ab
instāti q̄ magistris credūtur, debeāt ma-
gistri eos recreare conari, & religionis
iugo leuare: & vt viris quæ expetūt co-
mededa tradere, cum vt pueri iugo re-
ligionis velint liberari Ad hoc, si quan-
dā in choro committant insolentiam, si
quendā in refectorio gulæ actū perpe-
trēt, si inciuile quoddā cuidā seni, ꝓferāt
verbū, si quādā in Monasterio exerceāt
leui-

leuitatem, si eos ideo punire velit Prælatus, statim se opponunt magistri dicentes illa puerilia esse, & tali & tali conformia. Accedit, quod ita plerumque teneri & delicati sint pueri ad Monasterij iugum ferendum, vt necessario debeat eos Prælatus dimittere, ita vt in mundum reuerti cogantur, vbi non virtutes quas in probis annotarunt, sed debilium & imperfectorum imperfectiones parentibus & amicis referunt.
Aliam quoque notaui hic negligentiam: scilicet, quod in Monasterijs quibusdam quosdam iuniores filios vel filias recipere soliti sint Præsides, non vt religiosi vel religiosæ fiant, sed vt illic conseruentur & educentur: qui dum parentes vel amicos inuisunt, enarrare solent quæ illic fiunt, sic vt parentum confabulationibus scandalizentur Monasteria. Prælatus qui ob pecuniam vel amici fauorem religionem profanari patitur, eodem modo Monasterio expelli meretur, quo venditores & emptores à Domino nostro Iesu Christo templo expulsi sunt: grauius enim nũc peccat qui Ecclesiam offendit, quam
qui

qui tunc Synagogam.17 Secundò imperat in lege Deus, vt animal quod offerendum erat non tantum masculum & sanum, sed & vnius coloris esset, non verò diuersi: eo quod Aegyptij idololatræ pro Deo bouem qui vocabatur Isis adorarent, qui in Nilo flumine nutriebatur diuersis tinctus coloribus.
19 Quòd Deus animal quod ei offerri debet vnius coloris esse velit, innuit nullum debere religionis suscipiendæ ergo Monasterium ingredi, quin vnius sit propositi, quod propositum in Dei obsequio fundetur, & in animæ salute: si enim malè fundata cum intentione in religionem veniat, statim Monasterio egredietur, vel eũ tamquam mortuum corpus claustro eijcit religio. 20 Vnius coloris tunc est religiosus, dum vnius est fidei, dum vni credit Ecclesię, dum vnam obseruat legem, dum ad vnicum tendit scopum, dum solum Iesum Christum quærit, & vnicum agnoscit Prælatum. 21 Dic quæso mihi si in Monasterium Iesu Christo obsequuturus non venis, cur mundum deseris? cur Monasterio te inclusisti? 22 Qui reli-

gio-

gionem intrant, dicentes ſe pœnitentiã acturos; & tamen non alio fine illam adeunt, niſi vt de victu certi ſint, vel vt inhoneſtam deuitent paupertatem, diaboli diſcipuli ſunt, qui Ieſum Chriſtum in eremi deſertis quæſiuit non ei obſequuturus, ſed tentaturus. Tũc Deo noſtro gratum & acceptum eſt ſacrificiũ, dum omnes religioſi vno veſtiuntur panno, in vno eodemque comedunt refectorio, dum in Monaſterio ſimul pacifici commorantur, dum vni ſoli obediunt Prælato, dum omnes in choro comparent, & ſimul preces fundunt, dum omnes eiuſdem ſunt opinionis in capitulo. Satis videre eſt nunc quod ſanctum præterierit tempus, ſæcula aurea elapſa ſint in quibus omnes perfecti religioſi & approbati homines vnicum habebant domicilium, vnicam voluntatem, vnam charitatem, vnam conformitatem, ſic vt eorum nullus propriũ ſuum commodum & conſolationem quæreret, ſed proximi. O quam pauca impio hoc tempore Domino vnius coloris offeruntur animalia, ſed quanta diuerſi? hoc eſt, quã ſunt pauca Monaſteria

ſteria in quibus Ieſu Chriſti obſeruentur mandata, & in quibus Prælati deſiderium adimpleatur; ſed è contra plures ſunt nunc in Monaſterijs inter religioſos iudiciorum diuerſitates, & voluntatum diſcordiæ, quàm in pſittacorum plumis colores. Tunc diuerſi coloris eſt ſacrificij animal, dum quidam honeſtis veſtiuntur veſtibus, alij verò laceris; dum quidam cellis exſiliũt, alij verò non egrediuntur; dum quidam ab officio abſunt; alij verò interſunt, dum quidam benè excipiuntur, alij verò male, dum denique quidam Prælatis obediunt, alij verò necdum audire, nec æquis oculis cernere poſſunt. Tunc diuerſi coloris eſt ſacrificij animal, dũ religioſi inter ſe de maiori Abbatia, de præcipuo Prioratu, de commodiori cubiculo, de meliori in menſa loco decertant. Dic quæſo mihi frater, ſi mũdũ deſeras, & in religione iſtas dignitates & præeminentias quæſiturus, & iſtas leuitates & vanitates procuraturus venias, nunquid hoc ſummæ infamiæ loco & bono conſcientiæ vitio reputabis? Interrogatus Abbas Archimius, quis

eſſet

eſſet omnium religioſi labor maximus, Maximus inquit labor noſter, non eſt ſolitudo, qua fruimur, non eremus, in qua ſumus, non fames, quam patimur, non diſciplinæ & exercitia quæ ſumimus, non tentationes, quas ferimus: ſed noſtri diuerſi appetitus, & exigua quam eis facimus reſiſtentia, vnde religioni tantummodo non ſumus graues, ſed & nos ipſi etiam deludimur. (*Pſal. 26.*) *Vnam petij à Domino, hanc requiram* inquiebat Propheta Dauid, quaſi diceret, Vnum peto ſcilicet vt me in tua gratia conſerues, ne cadam, & ſi cecidero, vt mihi manum qua reſurgam præbeas: ſcis enim ô bone Ieſu ſi tuis non innitar humeris, quod peream & diſſoluar, & quod ſurgere non poſſim niſi auxiliatrici manu tua adiutus.

Quo-

Quomodo Dei famulus propriæ voluntati renunciare debeat, quod probatur in prosequutione figura supra allegata.

CAPVT VNDECIMVM.

IMperat tertiò in sua lege Deus, ne animal ei offeratur nisi iugulatum: insinuans eum qui mundum deserit, & in Monasterium vestem suscepturus venit, debere primò suam propriam abnegare voluntatem, & in Iesu Christo & pro Iesu Christo mortificari. Quod animal viuum sibi offerri nolit, sed iugulatum; innuit, nos debere imprimis viscera nostra disrumpere, & omnes venas nostras aperire, Domino Deo non sanguinem quo viuimus offerentes, sed propriam nostram voluntatem, si boni & perfecti religiosi fieri velimus. Te itaque qui in Monasterium vt professionem facias venisti, primò iugulare debet Prælatus nulla motus misericordia in oculis tuis, ne vllas videant vanitates, mundanum ex ijs sanguinem extrahens: & in pedibus, ne per leuitates incedas: in lingua, ne vitiosa

sint verba: in corde, ne inhonesta redames. Dic quæso mihi nunquid ab instāti quo pedē in Monasterium intulisti, tuis leuitatibus & mundi vanitatibus (animum tuum Iesu Christo offerēs & corpus tuum Prælato) abrenuntiasti? Quandoquidē igitur Iesu Christo voluntatē tuā dederis, & Prælato commiseris, cur quæris in quo lubet habitare loco? cur placita retines, cur quod tuis gratum est oculis peragis? Nescis te iugulatum? nescis te iā mortuum? Ignoras te tuum non esse, & tibi nihil tua cum voluntate esse negotij? Religiosus qui in Monasterio nihil nisi quod lubet agit, merito fur & vicorum obsessor dici potest: quia cor quod Iesu Christo vltro obtulit, aufert: & voluntate prius Prælato data, in eundem illa eadem insurgit & obmurmurat. *Manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo: domus Israel sperauit in Domino* inquit Dauid, (*Psal.* 113.) quasi diceret: In domibus vel Monasterijs in quibus religiosi oculos habent & non vident, aures & non audiunt, pedes & non ambulant, linguas & non loquuntur,

manus quę innocẽtes sunt, & cor quod nõ dissoluitur, certò certius sciendum est talium religionem perfectam esse, talesque salutis semitam ingressos. Notandum serio est Prophetam prius dixisse quod pedibus & manibus carerent Religiosi, quam eosdem esse Monachos bonos & perfectos. Quibus innuit, quod oculorum occlusio, pedum abscissio, manuum ligatio, orium frænatio, corporis inclusio, affectuum correctio, in Iesu Christo sola spes, religiosos nos reddant, & de salute nostra nos certos efficiant. Si medicus siue chirurgus ægri sui corpus malo sanguine infectum sciat, statim ei venã aperiri imperat; eodẽ modo in religiosos sese habere debet Prælatus, si vt cunq; libertati deditos agnoscat: malus .n. sanguis & putridus, non ita corpori obest sicuti religioni propria volũtas. Credite mihi fratres & quidẽ indubiè, ligari debetis: vena vobis vena aperienda: ingulari oportet, si salui fieri & perfectionis viam ingredi velitis: q̃ fiet dum vos angusto cubiculo includi, & affectiões vestras viæ asperæ & durę norma mortificari permittetis

mortui enim estis, & vita vestra absc̃odita est cũ Christo, ait Apost. (*Col.* 3.) quasi diceret, Ne tristemini fratres, si in mũdo mortui videamini: scitote Iesum Christum vestram conseruare vitã, vel nemine vestrum cogitante, mundanorũ finietur vita, & à morte absorbebitur; vobis aũt nihil tale forte cogitantibus aduenier vita morte præuia. Si verus es Christianus, non tã terreri debes Apostoli dicto *quod mortuus sis*, atq; delectari eo quod *vita tua absc̃odita sit in Christo*: tuto enim in illo bono Iesu vitam tuã consignare potes, quãdoquidem pro tua suam obtulerit. Nisi quia, vt Dauid dicit, *Dominus erat in nobis*, dic quæso mihi qd de nobis fieret? Si ad domandam carnem nostram nõ adiuuisset nos Dominus; si è mundo non eduxisset; si à diaboli malitia, *qui vt leo rugiens circuit quærens quem deuoret*, (1. *Pet.* 5.) non defendisset, ne vel vnus elapsus fuisset dies, quin perijsset vita nostra vna cũ anima. Tibi ergo frater qui in religionẽ venis suadeo, & moneo, vt eo instanti, quo à Prælato iugulaberis propria ablata voluntate, tuã vitã Iesu Christi directioni

com-

committas: quia tutiori loco illic cõmittitur, quam voluntati tuæ. Dic quæso mihi, si cùm religionem ingressus es teipsum abnegasti, si omne tuũ scire, omne posse, omne velle, deniq; omnia tua Prelato cõmiseris, quam omniũ harum rerum iacturam facies, quãdoquidem centuplũ sis accepturus? Nota, Apostolum non dicere, quod Iesus Christus vitam nostram furatus sit, vel ceperit, vel internecioni dederit, sed tantũ quod sit abscondita, & manibus eius velut in depositum & tutelam cõmissa. Nunquid quęso eam repetentes non reperiemus? Ad rem ergo reuertẽtes, Dominus docet & dicit (dum non nisi iugulatũ sibi offerri vult animal) bonum & perfectũ religiosum debere se iam mortuũ, imò sepultũ credere: quod credet, dum Abbatis mandatis non cõtradicit, nec eius volũtati resistit. Monachus siue religiosus qui cum Prælato contendit, vt sciat num licita sint eius mandata nec ne, ille non tantum non mortuus est, sed nec ei bene est secta vena: & tali in casu rectè gutturi rursus apponetur culter, vel cordis vena aperietur, vt correctione &

 disci-

disciplina cognoscat religionem bene ordinatam disputatoribus non egere, sed Monachis & religiosis obediētibus. *Viuo ego, iam non ego*, dicebat Apost. quasi diceret apertius: Viuo ego, nō ego: quia quod ad aduersitates & iniurias quibus afficior, & ad tētationes quas à diabolo patior, quasdam vt Christianus patior, alias vt discretus dissimulo. Viuo ego dum meis mēbris impero: & viuit in me Christus, dum illa eius obsequio impendo: viuo ego dum pecco, & viuit in me Christus, dum eius obsequio vaco: viuo ego, dum rebellis & inobediens sum, sed viuit in me Christus, dum obedio: viuo ego dum me amo, viuit in me Christus, dum meipsum abnego: sic vt cut ssima sit tunc vita mea, cùm in ea nihil proprij habeo. O quam futurus est ille beatus, qui cū Apostolo dicere poterit: *Viuo ego, iam non egò*, hoc est; Viuo ego dū esurio, sed non viuo dū ieiuno; viuo ego dum dormio, sed nō ego dum vigilo; viuo ego dum frigeo, sed nō ego dum pedibus nudis incedo; viuo ego dum in mundo ambulo, sed nō ego dū includor; viuo deniq; dum ago quod

volo,

volo, sed nõ ego dũ correctioni me submitto. In mũdo dicitur vita spiratio, & spiratiõis priuatio mors; sed nõ sic apud Dei famulos, qui eũ pro mortuo habẽt qui iniuste viuit: nullam enim credunt vitam, nisi bonam: ita vt nulla pro benè viuentibus & morientibus flendi nobis detur materia, sed pro male viuẽtibus. Patere ergo frater tibi abscindi guttur, cõmitte Prælati manibus tuam volũtatem, te .n. si piger & remissus sis, vt Iesu Christi vicarius excitabit: si debilis confortabit: si dissolutus corriget; è contra te si bonus sit, honore afficiet. Tibi suadeo, teq; obnixe rogo frater, vt te iugulari patiaris, & te alterius voluntati subijcias: quoniam in die iudicij à Prælato ratio exigetur, num benè pręcepisse nouerit, à te verò num benè obediuisse. Nũquid quæso alterum pro te strictam gaudebis reddere rationẽ, nõ gaudebis?

Hic quoque sciendum, quod animalis sanguis canibus dari non poterat, neque in domum referri, neque in loco publico effundi, sed conseruari & in Synagogæ templo offerri debebat: sic vt si carnes pro se seruarent

sacerdotes, supererat tamē pro Domino Deo sanguis. Quo mysterio intelligimus nihil esse nostra propria voluntate Deo gratius: quod euidenter vel hinc apparet: si enim animalis sanguis ei gratus erat, ille noster quem è proprijs nostris visceribus promimus nunquid ei gratior erit? Quid Deo è visceribus meis gratius conferam quam illa ipsa? Dic precor mihi, quid de nobis miseris foret, si Dominus Deus nostram voluntatem floccipendens, nihil à nobis exigeret aut acceptaret præter nostra bona opera? quæ tamen adeò exigua sunt, tantillique meriti, vt non solum ea non acceptare; sed ne quidem æquis oculis respicere vellet. si enim forte quadam diei hora illius meminimus, tamen omni vitæ nostræ tempore illum offendimus. Dic Christiane, dic mihi religiose quid ei offeres, si tuam voluntatem non offeras? Si corpus tuum offeras; tuum non est, sed vermium: si honorem, tuus non est, sed mundanorum: si bona, amicorum sunt: si vitam, hodie vel cras eam tibi adimet mors. Nihil est ergo quod ei conferre posiis, nisi tantillum obsequium quod tibi

tibi sacris desiderijs obstricto superest. Dicebat S. Lucas, (*Cap.* 22.) *Quod factus est sudor eius sicut sicut guttæ sāguinis decurrentis in terram*, quasi diceret: Dum in horto in terrā prostratus esset Christus, charitas qua Deum patrem orabat, & timor mortis quem secundum humanitatem concepit, adeò magna erant, vt sanguinem sudaret, & lachrimarum fontes ex oculis defluerent. ¶ Quid sibi vult ô bone Iesu, quid sibi vult ô animæ meæ delitiæ, quod priusquā Iudæi sanguinē in Pilati cōsistorio tuum poscant, tu in horto sanguinis guttas sudes? Reserua ô bone Iesu reserua; tenera enim & delicata est tua caro, & quandoquidem magnum plagarum in ea sis recepturus numerum, tibi adhuc eo opus est. Tui lāguores ista infelici hora ô animæ meæ redemptor admodum magni fuêre, quandoquidem lachrimis tui suffocarentur oculi, tristitia repleretur cor tuum, tui dormirent discipuli, Iudas autem vt te proderet excubias ageret, & Iudæi vt te caperent accederent: quæ omnia ob meam culpam, & non tuam fiebāt. Apposité dicit (1 *Cor.* 6.) Apostolus,

lus: quod *magno empti sumus pretio* : magnum verè magniqúe ponderis fuit pretium, sui sanguinis enim thesaurum formauit spiritus sanctus, educauit virgo, sudauit corpus, nobis cor large effudit, accusauit sinagoga, condemnauit Pilatus, effuderunt Iudæi, collegerunt Christiani, & sibiipsis reseruarunt. Quod prius sudare, in hortoque sui cordis sanguinem Patri offerre voluerit Christus, quam in cruce effundere, est docere verum & perfectum religiosum debere imprimis ante habitus in Monasterio susceptionem in corde propriam qua in mundo vtebatur abijcere voluntatem: quod perfectio quam quęsiturus venit non in habitu quem induit consistat, sed in voluntate qua spoliatur. O quam felix ille est, qui suæ voluntatis suique appetitus sanguinem sui Prælati in manibus collocat: nullum enim Deo maius sacrificium offerre potest homo, quam seipsum. In antiqua lege volebat Deus vt animali quod sibi offerebatur non solum guttur abscinderetur, sed & excoriaretur sine vlla corij nota siue vestigio. In scripturis sacris

corium

corium siue pellis quandoque pro vita nostra siue pro sanitate quam optamus sumitur . Ideo dicebat Domino de S. Iob diabolus: *Pellem pro pelle dabbit homo* quasi diceret : Omnes eius boues occidi, pastores abstuli, euerti domum, omne exussi armentum , camelos furatus sum, omnesque pueros enecaui; sed quia corium eius aut carnem tangendi potestatem non dedisti, hoc est, quia vitam eius aut propriam personam lædere mihi non licuit, ideo meas tentationes flocci pendit Z Quandoque etiam pro bonis & diuitijs sumitur corium , sicuti dum Adam & Eua peccarunt, ad quos tegendos, & verecundiora eorum, animalium pelles & coria sumpsit Dominus. Vnde colligere possumus nihil aliud esse diuitiarum curam quam generalem pœnitentiam peccato iniunctam . Necessario ergo debet qui è mundo in Monasterium venit primo iugulari aut excoriari; excoriatur, veterem habitum deserens, & nouum induens : iugulatur, propriam mundi abnegans voluntatem.
3 Postquam ergo Iesus sanguinem sudasset, corporis meatibus apertis , ossibus

fractis venisq;, carne quasi excoriata & spoliata vestib⁹ ĩ crucis arborẽ ascẽdit: vt doceret, nos sine auaritię pelle & peccati onere crucis religionem subire debere. Non sufficit, vt ei qui è mundo in Monasterium venit guttur abscindatur & propria auferatur voluntas; sed & malis debet spoliari cõsuetudinibus & diuitiis: contra siquidẽ religionis statũ est, credere, religiosum posse Deo obsequi, nî prius propria spoliatus sit voluntate. *Non potestis Deo seruire & Mãmonæ*, dicebat Christus, (*Matth.* 6.) quasi diceret: Sicuti magna cum delectatione bona temporalia retinentur, summo cum sapore gustantur, magna cum difficultate deseruntur, & cum molestia diuiduntur, hinc fit quod cordi perfecto impossibile sit Dei & diuitiarum mandatis obsequi. Dic quæso, quid deceptor & proprietarius Christum quidpiã rogas? Quid crucifixum nudum benè vestitus poscis? Quid liber eum qui clauis cruci affixus est postulas? quid sanus lacerum petis? quid satur famelicum, & siti oppressum clamantem sitio flagitas? quid bona tunica loculisque plenis

eum qui quo suam tegat carnem, imò ne panni filum habet oras. Erogat diues in mundo pauperi eleemosinam, & tu qui in religione es, vis miserũ illum Iesum Christum crucifixum tibi elemosinam erogare, tibi inquam diuiti? Permitte frater permitte te spoliari, permitte quæ tibi propria sunt, imò & corium tuum & pellem auferri, permitte te deijci. Cum enim monasticæ religionis iter valde asperum sit & cœli angustum, si per illud onustus ambulare velis, scias te in via defecturum, & optato fine nõ fruiturum. Si saluus perfectusque religiosus fieri desideres, debes sine pelle sequi eum cui ablata est pellis, debes omnibus spoliatus sequi eum qui omnino nudus fuit, debes crucifixum qui pro te se crucifixit sequi. Si Deus in veteri lege nisi excoriatum non acceptarit animal, multo minus religiosum suis appetitibus onustum acceptabit. Quod Dominus Deus animal iugulari, eique à planta pedis vsque ad verticem corium auferri velit, insinuat, nos nullis licet paruis commaculandos vanitatibus & curiositatibus: ita enim per-
valde notabile

uerſus & ſubtilis eſt diabolus, vt ſæpius religioſum in parui cuiuſdam cultri vel libri amorem plus inducat, quam vel in mundo in torquis aureę geſtandæ amorem. Debet ergo nouitiorum Magiſter à planta pedis vſque ad verticem Nouitios excoriare, hoc eſt non ſolum ſuperflua eis reſcindere, ſed etiam neceſſaria: religioſo enim perfectionem quærenti nõ ſufficit ſi ab eis quæ nullo modo habere põt abſtineat; ſed & ab eis quorũ eget, abſtinere debet. Tunc pelle ſua ſe exuit religioſus, & perfectionis ſemitã ingreditur, dũ nihil ſuperflui in cubiculo detinet, dũ nihil occulti in arcis habet, dum nihil vani aut curioſi ſecum geſtat: in mundo enim de rebus quibus abundat gloriatur mundanus: è contra religioſus admirationi eſt in ijs quorum eget.

Figuris & autoritatibus probatur. perfectos magis quàm imperfectos obligari, ad optima.

CAPVT DVODECIMVM.

VIr siue mulier, cum se voluerint Domino consecrare, à vino & omni quod inebriare potest, abstinebunt. (*Num. c. 6.*) Diuina sunt verba à sacro Moysis ore prolata, quibus hoc innuere voluit Dominus Deus: Viro siue mulieri Israeliticæ mundo egredi, & Deo in Ecclesia aliquid possessionum suarum offerre volentibus indicabis, ne illic quidquam nisi quod præcipiam comedant, & abstineant ab omnibus quę ipsis inhibebo; debent enim sedulo & summo cum labore sancti Nazarę nomen sibi comparare, qui illud comparare desiderant. Volebat insuper Deus à vino, aceto, racemis & vuis passis & conditis, denique ab omni quod inebriare, & quod iudicium turbare, & stomachum corrumpere poterat abstinere. Porrò ad hanc figuram intelligẽdam, sciendũ est quod illi quos nunc in Ecclesia Christiana religiosos dicimus, illiipsi in Sinagoga de more Nazaræi dicebantur, qui ad euitan-

euitandos domesticos labores, & magnos Reipub. tumultus in quendam locum vitæ monasticę norma satis exemplari, & religiosa vsuri secedebã. 2 Nullus in veteri testamento ad religionem Nazaræorũ suscipiendam inuitabatur, imò minus cogebatur; sed quicunque illam sanctam vitæ normã susceperat, debebat volens nolens eam obseruare.
3 Nunc hic aduertendum & notandum, quod vltra communia præcepta quæ præcipiebat Deus, etiam suis particularibus amicis particularia præciperet.
4 Quibus insinuat, Christianum & Dei famulum cupientem quoddam gratiæ singularis à Domino donum recipere, particulariter etiã debere ei inseruire.
5 Generaliter omnibus Israelitis gulam prohibebat Deus, & immunda; sed Nazaręis qui se religiosos habebant, nõ solũ immunda, sed & delicata: docens hominẽ sanctũ non debere opinari perfectionem in curta tunica gestãda consistere, sed in stricta vitæ norma. Nazaræi consecrati magis ad humilitatem, charitatem, honestatem cæteris popularibus obligati erant; quod verò eis

vinum

virium & omne quod inebriare potest, inhibitum esset, ex hoc erudimur multa mundanis licita & honesta esse, quæ nobis religiosis prohibita sunt. 7 *Omnia mihi licent, sed nõ omnia expediunt*, inquiebat S. Paulus, (1. Cor. 6. & 10.) quasi diceret: Possem quidem ad populi Israelitici imitationem multa agere, sed mihi homini Apostolico illa non conueniunt: decet enim Apostolicam vitam non solum mandata sed & consilia Euangelica obseruare. Vt homo, cibis me replere & satiare possem; sed vt Apostolus ieiunare debeo, vt homo quiescere, & frontem exhilarare possem; sed vt Apostolus, precibus & concionibus vaco; vt homo, me iniuria afficientibus possem respondere; sed vt Apostolus, ne quidem me cædentibus resistere ausim; vt homo, me quodam loco includerem, sed Apostolus totum orbem terrarum baptizans, & officio meo fungens circumeo; denique inquam, vt homo edere, bibere, ludere possem; sed vt Apostolus, ne quidem corpori meo necessaria ausim suppeditare: quia illa sola dicitur Apostolica

vita, quæ valde ſtricta eſt. Ex his adeò ſublimibus Apoſtoli verbis colligi poteſt, quanta ſit inter mundanorum & religioſorum vitam differentia: mundanis non indecens eſt ſi eis aliquid ſuperabundet; ſed nobis religioſis aliquid ſemper deeſſe debet: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*, dicebat ſui Collegij Apoſtolici religioſis Ieſus Chriſtus, (*Matt*.5.) quaſi diceret: Quandoquidem in religionis habitu ſitis, & ad comparandam perfectionem vigiletis, certò ſcitote hic vos non vocandos religioſos, & regnum cœlorum non ingredituros, nî vita veſtra & obedientia, & abſtinentia mundanorum in republica viuẽtium vitam & ceteras dictas virtutes ſuperẽt. Quod dicat Chriſtus Apoſtolici hominis iuſtitiam debere mundanorũ excedere; indicat, nos non ſolum in religione bonos comparatione malorum mundi eſſe debere; ſed meliores mundi, opitimis: nam in perfectionis ſtatu etſi non ſit religioſus perfectus, tenetur tamen conari fieri, & ſe talem gerere debet.

Dic

8 Dic quæso mihi si mundanorum melioribus melior euadere non decreueris, cur tãto labore Monasterio te includebas? Si ad mandata Dei duntaxat obseruanda, & ad articulos fidei credẽdos religiosus fiebas, nunc scis cassum laborem tuum, cum mundanorum multi articulos credant, & mandata ad instar religiosorum obseruent. 9 An ignoras illorum vitam nostrę planè dissimilem? quoniam si bonus fieri religiosus desideres, te ipse ignores necesse est: nihil tibi ipsi tecum negotij sit: nullam de te ipse curã habeas, sed in te se gerat Prælatus, vti in hominẽ mortuum! 10 Nescis Iesum Christum Deum nostrũ sui Collegij discipulis altiora reuelasse, duriora præcepisse & acerrimè eos redarguisse, permisisseq; cæteris magis tentatos fuisse, vt dignoscerẽtur ab alijs, eoquod perfectiores essent? 11 Eo tempore quo Dei filius concionabatur, cæteris scientia Scribæ & honestate vitæ Pharisæi prælucebant: nihilominus vult vitam nostram, Scribarum & Pharisæorũ meliorem esse: docens vitam nostram vsqueadeo bonam esse debere, vt eam

omnes

omnes laudent, & quidam imitentur, &
12 Tunc iustitia mea Pharisęorũ iustitiam excedit, dum mundanis iustior & honestior sum; sed proh dolor tantum abest, vt religiosi in Pharisęos cõmutati sint, & multi reperiantur in mundo sęculares, quorum vita religiosis dedecori est. 15 *Sapientiam loquimur inter perfectos*, dicebat Apostolus Paul. (*1. Cor. 2.*) quasi diceret: Neque sapientiam diuinã quę sublimis est intelligentię, neque cõtemplationem cælestem quæ difficillimæ est consequutionis, neq; sanctissimam charitatem, quæ est summi meriti opꝰ, nisi summæ perfectionis viris, & notabilibus, & probis religiosis concionari, multo minus cõmendare assueuimus. Quam hoc pulchrè Apostolus! nonnisi heroicis viris alta mysteria communicanda. cum enim initium retributionis meritoriorũ operum sint cõsolationes diuinæ; non merentur his frui, qui laborare recusant: cœlestia mysteria, & gaudia quæ suis amicis confert Deus, ne ruditer quidem eloqui; ne dum cõmunicare vult Apostolus, nisi cum viris sanctis & pfectis. Hinc dignosci potest,
multa

multa inter Deũ & electos cadere, quæ capere non possunt imperfecti, etiamsi vel minima sint. 14 Neque sine mysterio se taciturnum, & sobrium in istis sublimibus præbet Apostolus cum imperfectis: nam cum apostata de merito obedientiæ, cum guloso de abstinẽtiæ mercede, cum furioso de patientiæ bono, cum dissoluto de temperantiæ virtute verba habere, oleum & operã perdere est. Iesus Christus Deus noster vnicum & summum bonum nostrum, cum in maris profundissimo consisteret præcepit S. Petro vt retia & laqueos ad piscãdum in mare mitteret. Dũ esset in monte, eò Moysem ascendere iubet (Exod. 19.) vt ei legem cõmunicet: insinuans quod oporteat nos in huius mundi rebus extraneos exhibere, & in modum paruulorũ mergorum in hoc quod eius obsequium tangit nos gerere, si saluationem nostram piscari velimus, & in perfectionis culmen ascẽdere. Ille in mari profundissimo cum S. Petro, & in altissimũ montis culmen cum Moyse conscendit, qui nihil præter Deum amat, qui solum Deum vult & quærit, qui solo

Deo

Deo contentus est, qui neque mundi delitijs decipitur, neque vitæ monasticæ laboribus terretur, dũmdo tantùm inseruiat Domino.

Agit de virtute abstinentiæ: multas sacræ scripturæ in medium adducens figuras, ad sublimitatem illius demonstrandam.

CAPVT XIII.

PОrrò vt particularius loquamur, sciendum quod ad perfectionis virtutem, ad religionem in nobis cõseruandam tutissimum fundamentum & rectissimum iter est corpus multo labore, & stomachum pauco cibo assuefacere. *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam,* (*Psal.* 101.) dicebat sanctus ille Dauid, quasi diceret: Nunquam cibum comedi, quin cibo cinerem miscuerim, nunquam sine lachrymis effusis bibi. Ille panem cineribus pinsit, & vino lachrymas miscet, qui se peccatorẽ recordans ob sui creatoris amorem quantum po-

test refrænat, & à cibis quos licitè edere posset abstinet: quia nulla abstinentiæ sublimior & pretiosior species, quam os in mensa bonis cibis referta refrenare. 4 Tunc Monachus panem cineribus mixtum manducat, dum Deum pro benefactoribus orat, qui iam cineres facti, Monasterium viui, in quo religiosus est erexerunt: neque enim solum pro ijs orare tenetur, sed & flere & disciplinam pati. 5 Ille cineribus panem pulueribusque mixtum comedit, & cum lachrymis vinum bibit, qui non solum ob peruersam suam vitam se castigat, sed etiam ob Reipublicæ peccata. quod vel ideò agere tenetur, eo quod suis sudoribus nos foueat Resp. vt cum ea peccatorum cinerem comedamus. 6 Ille cum cineribus panem comedit, & cum suis lachrymis & gemitibus bibit, qui nullius pretij cibos comedit, quique insipidos, paucos, malè conditos, & mensæ inidoneos. 7 Ille panem tanquam cinerem manducat, & nihil præter lachrymas suas bibit, qui Deo gratias agit, qui cibis abundans aut carens in Prælatum non insurgit. 8 benè

namq; moratus Monachus non nisi vt viuat edit; gulosus verò non nisi vt edat viuit. Ille panem cineribus permixtum edit, qui non admodũ impeditur, vel cibis comedendis studet, qui ijs parandis non valdè inuigilat, & qui eos vorare non festinat: eo quod Dei quippè famulus nõ nisi naturæ satisfacturus comedere debet: Deum autem seriò orare tenetur. Ille panẽ cinere plenum comedit, qui frigus passurus sua se exuit toga, & dormituriens surgit, refectorio famelicus egreditur, & sitibundus à mensa recedit: quoniam certò scire debet Dei famulus, quod nulla re egeat, si ad seruiendum charitate munitus sit, & si ad ferendum patientia. 16 Si tibi regis Dauid dictum & consilium graue videtur: dic precor mihi alienũ ne tibi à ratione videtur, si cinerẽ manduces, cum è cineribus nati simus, & ipsi cineres simus, & in cinerem reuerti debeamus? flentes etenim nascimur, clamantes enutrimur, plorantes & gementes viuimus & morimur: durum ne tibi ergo videtur, si eodem modo edamus & bibamus? si forsitan cinerem edere

edere non potes, aut lachrimas effun-
dere, nihil à te exigimus nisi vt gulam
refrænes, & abstinentiæ assuescas: eius
siquidem est qualitatis nostri stomachi
calor naturalis, vt quamuis dum come-
dis, multos expetat cibos; gaudeat nihi-
lominus postmodum se paucos edisse.
11 Abstinentiæ virtus ita antiqua, adeò
honorabilis & pretiosa est, vt in primo
gratię statu ea sola data sit, & in paradi-
so terrestri canonizata: dedit enim Do-
minus Deus primo parenti nostro ar-
borum fructus edendos; sed vnum so-
lum quem sibi reseruarat prohibuit. O
nos miseros & infortunatos! ô casum
trãsgressionis miserandum, & infeli-
cem horam! non legimus parentes no-
stros fructus permissos gustasse, sed
prohibitum duntaxat. 12 Abstinentiæ e-
quidem pręceptum obseruassent, si fru-
ctum illum non comedissent: nos in
hunc diem non dentes stupidos gestas-
semus! 13 Sanctus ille vir Moyses non so-
lum Aegypto egressus est, sed & mare
rubrum pertransijt, per deserta ductus
est, à populo recessit, in montem ascen-
dit, immò illic ieiunium meritorium &

diuturnum ieiunauit ab oculis imbrem lachrymarum fundens, & cœlum suspiriorum & singultuum vi frangens. Hocce notabili exẽplo cõcludere possum *Moysem nomẽ mediatoris meruisse, per quẽ legẽ Synagogæ propagauit Dominus Deus, nec aliam ob causam nisi quod abstinentiæ legem suo corpori imposuisset. In libro Iudicum *cap.* 13. legimus Angelum Domini cuidam nomine Manue, & eius vxori apparuisse, quibus ex parte Domini præcepit, ne vinum aut omne quod inebriare poterat biberent, neve pariter quid immundum aut prohibitum ederent, eò quod ex ijs sanctificatus nasciturus erat, spiritu fortis & robustus filius, cuius manibus populus Hebræus liberandus erat, & omnis eius progenies in honorem euehenda. Eodem quoq; libro legimus, quod vndecim Tribubus à sola Beniamin tribu deuictis, vnanimiter omnes decreuerint ad tabernaculum oratum ire, & sancto ieiunio se dedere. Quod adeò feliciter peregerunt, vt duabus victorijs, quarum antea armis iacturam fecerant, potiti sint lachrymis. In libro quoque

quoq; Iudith. *cap.* 4. reperimus, quod (Bethulia per Holofernẽ obsessa, cuius vires lõgè Synagogæ superabãt potẽtiã) cõmuni consensu omnis populus in tẽplũ iuerit, sacco se vestierit, preces fuderit, cineribus se texerit, ieiunans & à vino abstinens: sic vt istius pœnitentiæ & abstinentiæ merito non solũ per Dominum Deũ ciuitas ab obsidione liberata sit, sed & superbi Holoferni caput fuerit obtruncatũ. ¶ Loquutura regina Hester marito suo magno Regi Assuero, vt iram quã sui magni amici Aman cõsilio in populũ Israeliticum cõceperat, leniret, orauit, & ciuitatis Susæ populo imperauit, vt triũ dierum spatio neq; panẽ, neq; vinum gustaret, & in terrã nõ surgens se prosterneret. Quod actũ fuit, & vix cõpleto ieiunio exaudita fuit proba Regina, sic vt Regis ira pacata sit, Aman verò patibulo suspẽs⁹. (*Esth.* 4. & 5.) ¶ Post quã Regina Iezabel innocentẽ Nabath lapidari iussisset ad occupandã ei⁹ vineã q̃ horto regio cõiũgi Achab volebat; cognito rex vxoris suæ peccato, & Dei cõminatiõe, cilicio se induit, & cinerib. texit, à cibo abstinuit, & flere cępit amarè:

abstinentiæ & pœnitētię virtute, meruit suorum peccatorū veniam, sententiæq; executionis dilationē obtinere. (3. Reg. 21.) Ieremias cap. 35. Rechabitarū strictā abstinentiæ memorans obseruantiam, qui neq; vinum bibebant, neq; domos ædificabant, neque vllas plantabant vineas, neque terram arabant, neque pecunias tractabant, neque vllos delicatos edebant cibos, dicit Dominū Deum ita obnixè istam vitæ normam & honestatem amasse, vt suo diuino verbo eis promiserit, ex eorum familia nūquam sanctos defecturos. 19 Sanctus Propheta Ezech. trecentorū & nonaginta primū, dein adhuc quadraginta dierum spatio totidē siccos panes duntaxat comedit, qui neq; frumento aut siligine, sed fabis lente & vicia conditi erant: imò vt insipidores fierent sub cinere decoquebātur: potus eius ex quinque aquę vncijs erat, ideo in huius abstinentię mercedē omnes Synagogæ discursus, omniaque Ecclesiæ secreta meruit intelligere. 20 De S. Ioan. Baptista legimus (Luc. 1. Mar. 1) quod à iuuentute in deserto māserit, & solitarius vixerit, quod se camelorum pelli-

pellibus veſtierit, ſilueſtres comederit locuſtas, aquam purã biberit, inter ſpinas & dumos dormierit, ſilueſtrib⁹ circundatus beſtijs, cuius abſtinentiæ virtute proprijs oculis Ieſum Chriſtum videre, & digitis monſtrare, & ſuis manibus baptizare meruit. 25 Legimus Ieſum Chriſtum, (*Luc.* 4. *Mar.* 1.) poſt ſacrum ſuſceptum baptiſma, & ſancti Spiritus apparitionem ſtatim eremum à tumultibus recedendo aſcendiſſe, non aliam ob cauſam quam vt oraret, ieiunaret, & pro peccatis noſtris pœnitẽtiam ageret: vt ſicuti primus parens noſter Adã gula Synagogam plantarat; ita Eccleſiam abſtinentia ſecundus Adam fundaret & ſtabiliret. Ex his liquet quâ per totam ſcripturam laude, æſtimatione, celebratione afficiatur hæc benedicta abſtinentia, cuius habitatio in ſanctorum hominum à peccatis abſtinentiũ cordib. eſt, & in corporib. proborũ à cibo abſtinentiũ: licet. n. omnib. mundanis neceſſaria ſit inordinati appetitus refrenatio, tamẽ vitam monaſticã profitentibus multò magis: eo quod religionis vita, continua pœnitentia & volun-

taria abſtinentia ſit. [22] Qui quoddam propugnaculum, vel quandam ciuitatem bonis mœnijs circumuallatam obſidere volunt, primo aquarum & annonæ meatus ſedulo occludere conantur, vt obſeſſos fame oppreſſos in ſuam ditionem redigant. Porrò nihil in hac vita nobis grauius aut iucundius hac noſtra carne eſt, cui integrè complacere impoſſibile eſt, multo minus eius appetitui ſatisfacere: quia ſumma cum moleſtia ei ſatisfit, & magna cum ingratitudine ei obſequium præſtatur, indeſinenter importuna eſt, ſemper quod petat habet: illa inquam noſtra caro, nunquam conqueri deſinit, quod experientia ſcimus: neque enim eius aut vllis quæ ei conferimus beneficijs, aut vlla quam ex ea patimur deſidia, gratiam inimus, ſuccenſet pro ſolo appetitu ſibi denegato grauius, quam omnibus infamijs, quas ex ea patimur ſit contenta. [23] Et quia caro & diabolus in nos inſurrexerunt, & in noſtrã ruinam conſpirarunt, ideò ſæpius nos ad peccatorum ſaturitatem, non autem ad fugam hortantur: dicentes, nos po-

ſtea ad meliorem vitam reuerſuros. Quibus verbis verè mentiuntur, & apertè decipiunt, eò quod noſtræ carnis planta ab adeò mala origine oriatur, vt ſi hodie ei quodam in vitio conſentiamus, ſtatim ad alterum reuerti velit. Neſcis frater ſi carnem lauto excipias prandio, non ideò eã cœnam relictũrã? Neſcis eam vna de die requieſcere velle hora, licet noctu octo dormierit? Nunc ergo ſcias oportet eam citius tumulo includendam, quam adulterij appetitu careat, ſi ſemel eo imbuta ſit. Dic mihi precor, nunquid quàm importunè frequenter te delicatos roget cibos experiris, & quidem adeò miro appetitu, vt neque facultates tuæ, neque ſtomachus pati poſſint? Non eſt tali fidendum inimico: ſatius eſt cum eo contendere: non eſt quod tali te dedas inimico; ſed eum punias oportet: & quandoquidem nos à cœli via deflectere faciat, æquum & iuſtum eſt, vt cohibeatur & refrænetur. Conſilium hoc Apoſtoli erat dum diceret: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo:* quaſi diceret,

Quod ad me, ita me in corpus meum gero, vt illud edere non patiar, sed ieiunare; non dormire, sed vigilare; non quiescere, sed operari: & si forsitan quandoque rationis limites transgrediatur, statim illud disciplina excipio: ita vt illud quasi mancipium habeam: tunc autem sic se mecum gerit velut famulus in dominum. Cæterùm cum in mundo pauci sint Apostoli, multi verò apostatæ, ideò nihil nisi animam peccatis onerare norunt miseri homines. O non iterum atque iterum, sed felix millies, qui mundo est corde, & corpore temperato! nam libertate fruiturus non est animus, nisi prius in seruitutem redigatur corpus. Quomodo cum Apostolo dicere poteris: *Castigo corpus meum*, cum ei esurienti cibum, sitienti potum, frigenti vestes, dormiturienti lectum præbeas? Quomodo ille cum Apostolo dicere poterit. *Castigo corpus meum*, qui suum nunquam fatigari, madere, imò ne vel minimam maculam illud pati patitur? Quomodo ille corpus castigat, qui propterea quod stomacho lauti nõ sint parati cibi, siue

ſiue quod palato ſuaue non ſit paratum vinum, murmurat? Equidem non illum corpus caſtigare, ſed fouere dicemus; non diſciplina afficere, ſed delicatè enutrire; non illum dicemus illud in ſeruitutem redigere, ſed pro domino habere. Si ſanctus Apoſtolus Paulaus thronus & ſapientiæ ſedes, qui in gratia confirmatus erat non à lachrymis, neque à corporis caſtigatione abſtinebat, quid de te & me non in gratia confirmatis, & quorum culpa velut ſanguis fluens ante diuinam iuſtitiam eſt, fiet? Seriò ponderandum eſt Apoſtolum non dicere ſe vicini corpus caſtigare, ſed ſuum duntaxat: quibus innuit abundè eſſe in nobis, quod caſtigemus vitia noſtra, ne cæterorum vitia corrigenda ſuſcipiamus. O quam multi proprio honori incommodant, dum aliorum vitia corrigenda ſuſcipiunt! Certo certius ſcio, quod moderatius proximum iudicarent, & ſeipſos grauius torquerent, ſi ſua mala quæ in ſemetipſos diſſimulant, cæterorum malis multo maiora eſſe proſpicerent.
28 Nec ſine myſterio non dicit Apoſtolus

 ſe cor-

ſe corpus ſuum velut filium aut fratrem, aut amicum aut vicinum excipere, ſed velut ſeruum, immo velut ſeruum ſæpius virgis exceptum: vt intelligamus ne vel vni qualicunque debere nos conſentire, vel ignoſcere vitio, ſi multis liberari moleſtijs; ſi à corpore noſtro ad nutum nobis inſeruiri velimus. 29 *Deus qui culpa offenderis, & pœnitentia placaris*, dicit in quadam oratione Deo loquens S. Gregorius: quaſi diceret, O ſumme & æterne Deus, cuius clementia & bonitas adeò immenſa eſt, vt eo modo pœnitentia placeris quo culpa offenderis, te lachrimarum copia ſuppliciter rogamus & petimus, vt iuſtam tuam iram noſtra exigua abſtinentia moderari digneris. 30 Dicit quoque in Præfatione S. Ambroſius: *Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentes eleuas, virtutem largiris & præmia per Chriſtum Dominum noſtrum*: tanquam diceret, O bone Deus, ita bonus es, & tantillo tibi ſatisfit obſequio, vt ſolo ſimplici à nobis tibi oblato ieiunio vitia noſtra debilites, & animos eleues & corrobores. nos virtutib, dites, & magnas pollicearis retribu-

tributiões. Auderet ne pcor nostra mater Ecclesia ita ieiuniũ extollere, nisi sũmi esset meriti, & nisi corporali abstinẽtia & gulæ cohibitione, magnum consequi speraret præmium? Auderent ne sancti eam ita toto corde amplecti? Lingua quæ detrahit, & in sanctam abstinẽtiam insurgit, occludi profectò, immo ferro signari, denique abscindi meretur: nullus enim de adeò necessaria virtute, & ita à tantis sanctis viris approbata malè dicere posset, nisi dissolutus planè & omnibus suis voluptatibus deditus foret. Nunquid quæso imprudens ille & omnino amens foret, qui corpori delitias & arma in seipsum coniuratura præbere contenderet, quandoquidem hac in vita nullum ipso capitaliorem habeat inimicum homo? Deinde dum oculos videre quæ volunt patior, & aures quod eis gratum est audire, linguam quicquid venit in mentem eloqui, animum quicquid eum delectat cogitare, corpus delitias sumere, nunquid quæso arma in meipsum & non in aliũ cõiuratura excudo? Sanctus ille rex

Dauid (1. Reg. 17.) dum cum Goliath in æquore campi eum petra non autē, gladio in terrā prosternens contenderet, ei eodē quo cingebatur gigas gladio caput amputauit. Vnde concludendum est, quod si miser ille Goliath petris, nō autē gladio & armis acutis in Dauidē contēdisset, capitis lęsionē tantum, non autem obtruncatiooem passus fuisset. Hinc inferimus mundum, carnem, diabolum posse quidem nos molestia afficere, sed non prosternere, nisi ad id agendū ei arma subministremus. Tot arma & baculi ad nos debellandos diabolo conferimus, quot ciborum genera corpori nostro comedenda tradimus: quoniam ab instanti quo hæc nostra mortalis & bestialis caro saturata est & cibis contenta, dic quæso nunquid pugnæ magis ideonea est, quam Dei obsequio? S. Bernardus in concione quam ad religiosos suos habuit, inquit: Abstinete fratres à multo cibo & potu; scitis enim & nos scimus quod corpus post lautam educationem, & post stomachum repletum, non nisi dormire & litigare velit, non quiescit,

quiescit; non nisi brachia extendit, immo vix se mouere potest. Quæ omnia in huius mundi hominibus pro peccato habentur, in religiosis autem pro sacrilegio. *Impinguatus, incrassatus recalcitrauit dilectus* ait Moyses (*Deut.* 32.) quasi diceret. Ne ad ea quæ agebam, neve ad malum quod mihi accidit cogites, passus sum corpus meum impinguari, recreari; nunc autem in omnium voluptatum mercedem, neque ei satisfacere, neque illud domare possum. Multi hodie eodem modo quo Propheta de ijs qui in Prælatum insurgunt conqueri possent: qui neque noctu decumbunt, neque mane surgunt sine ciborum illo die comedendorum cura. Ille qui se ad corpori voluptates tradendas abijcit, miro se deuincit labori, & horrendum sibi imponit vectigal & tributum; namque post lautam exceptionem & voluptates collatas si quidpiam ei imperet, dicit se illud agere nolle, si oret, se exequi non posse respondebit. Libertas qua hominem pinguem redarguens Propheta vtitur, à nobis quoque sumi

potest, ad hominem debilem, continentem, sobrium extollendum: abstinentia moderata siquidem inter alia tanti est pretij, vt animæ meritoria sit, & corpori medicinalis. Quid aliud innuit Propheta dicens, corpus suis voluptatibus deditum vitiosum esse & recalcitrare, nisi in lautæ refectionis mercedem illud in nos insurgere? Tunc nos pedibus proterit corpus nostrum, dum omnes labores nostros eius obsequio, & omnes sudores eius educationi emancipamus. Hinc fit quod plurimi ita gulæ dediti, & ita abstinentiæ inimici sint, vt omnia perijsse putent, si illa in mensa non comedantur & consumantur. & vt particularius loquar; licet in omni statu detestabilis sit gula, maximè tamen in religiosis, qui vitam monasticam professi sunt: quorum est ita à corporis delitijs abhorrere, sicuti à diabolo: Ego in hunc vsque diem non vidi Monachum refectorij amicum, quin oratorij inimicus esset. Crede precor mihi frater, & nullatenus dubites, si nusquam gula & abstinẽtia, vi-

gilia

giliæ & somnus. quies & labor, cibus & ratio se compatiantur, maximè tamen in Monasterijs illa incompatibilia sunt: quia in Dei domibus nunquam vitio locus datur, neque vnquam excluditur virtus. Qui recenter religiosus fit, & qui perfectus euadere contendit, ante omnia à gula cauere d bet, & abstinentiæ assuescere: certum enim est, cibis c rpus impinguantibus debilitari animum, & cibis animum impinguantibus mortificari corpus. Tu ergo qui è mundo in Monasterium venisti tuæ salutis ergo, non autem voluptatum, modico an minimo esui, potui, somno assuescere debes; è contra autem multo labori: si enim à tui nouitiatus initio corpori tuo abstinentiæ legem non imponas, & disciplinæ subdas, tota desperabis vita, neque mirum si tandem apostata euadas. Vide seriò ne à diabolo decipiaris, qui dicit, te sanum & incolumem, facilius Monasterij labores tolerare, & Prelati mandatis satisfacere: tentatio enim est, cui neque consentire, neque locum dare debes, eò quod verus Dei filius cũ diabolo decertaturus, non nisi qua-

quadraginta dierum ieiunio decertauit. Ieſus Chriſtus in diabolum non niſi ieiunio contendere vult, tu verò eum ventre pleno expectare audes? Aues quæ carnis multum habent, parum autem plumarum, vix volant; è contra quæ multas plumas habent, & parum carnis, diu volant. Qua ſimilitudine bonâ ſequela concludimus, bonos religioſos potius diſciplina carnem macerare debere, quam eam recreare, & impinguare, quoniã quod ad ordinem graduum perfectionis attinet, nullus vnquam, niſi abſtinentiæ & ieiunij via, contemplatiuus euaſit.

Quod Dei famulus in religione teneatur eſſe melior omnibus his qui in mundo ſuperſunt.

CAPVT XIV.

S*Eparaui vos à cæteris populis, ſeparate & vos mundum ab immundo* dicebat Dominus Deus filijs Iſrael, (*Leu.* 20.) q. d. Cum vos à gentilibus ſelegerim, vt Hebræi fieretis, cum vos ab Aegypto eduxerim,

xerim, vt in deserto maneretis, & ab idolorum errore, vt vnum Deum adoraretis: denique cum vos à captiuitate liberarim, & vos liberos fecerim, æquum esset vosmetipsos ab immundo & malo separare, & nihil cõtra id quod obsequium meum respicit agere. Si maturè hæc verba cõsiderare velimus, equidem videbimus, ea potius religiosos quam alios concernere. Sicut enim eos sua misericordia à periculis & huius mundi ærumnis eduxit Deus, idcirco etiam eos vult in summa puritate perfectioneqúe in Monasterio viuere. Loco singularis & summi beneficij apud Dominum Deum hoc est, quod Hebræos ab Aegyto eduxerit: sed hoc pluris multo religiosus æstimare debet, quod se mundo eduxerit, cum eorum qui suam professionem obseruant plures saluentur, quam qui in terram promissionis ingressi sunt. Porrò in huius tam admirabilis beneficij mercedem solummodo à nobis Dominus Deus exigit, vt immundum à mundo separemus, id est, bonum à malo, iustum ab iniusto, profanum à sancto, approbatum

batum à reprobato, rectum ab obliquo, probum a vitioso.] Tunc mundum ab immundo separat religiosus; dum in mundo superbiam relinquit, & humilitatē secum gestat; dum illic iram, & secum patientiam; dū illic gulam, & secū abstinentiam; dum illic inuidiam, & secum charitatem; dum illic auaritiam, & secum paupertatem confert: sic vt nihil de mundo possideat, quod ei præiudicio esse possit, & nihil in Monasterium quod eum cōdemnare possit, deportet.

2 *Cum Gedeon purgaret frumenta in torculari, ait ei Angelus: Dominus tecum virorum fortissime* inquit scriptura, (*Cap.* 6.) quasi diceret: frumentum in torculari Gedeoni purgāti dixit Angelus: O populi fortissimorum fortissime & potentissime, gaude, quia Dominus tecum. Non sine mysterio non Gedeoni edenti vel dormienti, vel otioso, vel negotiāti; sed frumentum purganti apparuit angelus: vt cognosceremus Dominum nos non visitaturum, & sua gratia nos confirmaturum, nī prius nostræ conscientiæ puluerem & culpæ paleam excutiamus. Excute igitur frater mi à te auaritiæ

pulterem & sordes, immo & luxuriæ fœtorem, superbiæ petras, vanæ gloriæ paleas: vt enim non nisi repurgatum frumentum edere aues; ita non nisi mundo cum corde vult conuersari Deus. Tunc suam conscientiam purgat religiosus, dum omni nocte suæ vitæ status rationem reddit, quod periculosum est fugiens, quod malum est corrigens, quod remissũ & debile est corroborãs, & quod bonum est confirmans. Nõ satis fuit Psalmistæ dicere, *Declina à malo*, sed addidit: *Fac bonum*: vt intelligeremus non satis esse homini religioso & perfecto culpa notabili carere; sed & eum ad opus meritorium teneri, quia in perfectionis via non deficere, proficere est. Sciendum quoque, summam inter vannum & cribrum esse differentiam: quippe vannum puluerem excutit, & grana retinet, cribrum verò grana emittit; & paleas retinet. Hinc infero religiosum tunc cribrare, non autem vãnare, quando quod sibi gratum & delectabile est procurat, alios Monasterij laboribus onerans. *Simon, ecce sathanas expectauit te, vt cribraret sicut triticum*

dicebat

dicebat Iesus Christus suæ passionis vigilia Petro, quasi diceret: Expergiscere Petre, expergiscere. rogauit enim Patrem meum Sathanas te, sociosq; tuos cribrandi potestatem. Super hæc verba dicit S. Ioannes Chrysostomus, Domini Dei esse vannare & purgare; Diaboli autem cribrare, hoc est, nos ad vitiorum paleam retinendam adiuuare, vt à nobis virtutis frumentum eijciamus: sic vt ex vniuscuiusque vita dignoscere sit, num eam Deus vannarit, an verò diabolus cribrarit. 7 Tu ergo qui in Monasterium venis, scias nihil profuturum tibi fortasse mundi abnegationẽ, nisi teipsum purges, ab animo tuo tuæ propriæ voluntatis paleam excutiens: vita siquidem monastica & religiosa, non tantum in possessionibus nostris deserendis, quantum in propria nostra voluntate non agenda consistit.
Dicenti cuidam Monacho Abbati Arsenio se pauxillulum campi aere frui velle, respondit sanctus vir: In ore Monachi graui dignum censura esse verbũ *volo*, siue *nolo*: *placet*, vel, *non placet*: quia religiosus qui quod vult exequi audet, sero,

ſero, vel nunquam quod debet agit. 8 *Mutatus eſt in virum alium*, Rex Saul à tempore quo Dominus eum Regem elegit. (1.*Reg.*10.) Vnde concludere licet, deberenos alios de facto eſſe, alioque quo antea viuere modo cum Monaſterium intramus: eo quod religio non in veſtibus mundanis, ſed in malis conſuetudinibus quas in mundo addidiceramus deponendis conſiſtat. 9 Summa ſane inter vitę mundi normam, & eam qua in Monaſterio viuendum, differentia eſt, quandoquidem illic diuites magni fiant, hic verò pauperes: illic nobiles & generoſi, hic autem probi: illic eloquentes, hic taciturni: illic ſubtiles, hic recluſi & ſolitarij: ita vt quod in mundo rectum, hic obliquum cenſeatur. Non paſſus eſt Dominus Deus filios Iſrael eodem in deſerto, quo in Aegypto viuere modo: nam poſt eorum exitum eis legem ſuam ſeruandã dedit, alia ſacrificia offerenda, Presbyteros quorum conſilium ſequerentur, alias cęremonias, alios duces qui eos ducerent. 10 Poterat Ieſus Chriſtus veſtitus mori, ſed nudus voluit: docens nobis non

non solum sæculares vestes esse deserendas, sed & propriam voluntatem priusquam religionis crucem adgrediamur abnegandam: eò quod religiosus non magis seipsum in Monasterio nosse debeat, quam in sepulchro mortuus. Sicuti in bello moris est vnum sequi ducem, in mari vnum nautam, in schola vnum magistrum; eodẽ modo in Monasterio necessario vnus sequendus est Prælatus. Via enim & religionis status summa cum asperitate geritur, & sũma cum difficultate intelligitur. Non est ꝙ quisquam iã se suo proprio sensu regere putet & suę opinioni fidat, eò quod decẽ aut viginti annis religiosus fuerit; huius enim qualitatis est religio, vt in ea nũllus euadere melior, immo minus saluari possit, nî alterius voluntati & iudicio se submittat, & nisi propria abnegata voluntate viuat. O quam infelix est ille cui Iesus Christus velut isti cœco de Iericho dicit, *Quid tibi vis faciam?* (*Marc. 10*) Nam nostrę salutis scopus non in eo cõsistit, vt Deus quid velimus roget; sed in hoc, vt ei dicamus, *Domine quid me vis facere?* (*Acto. 9.*) Dum ægro quicquid
lubet

Iubet conceditur, indicium est desperatæ vitæ. Consequens est, nullum nostri interitus euidētius esse indicium, quam dum nos quicquid lubet agere patitur Dominus Deus: Dominus Deus siquidem non solum suos amicos & electos, erectos ne cadant sustinet; sed & eos vt dirigat manu ducit. Apposité in suarum Confessionum libro dicit S. Aug. O bone Iesu, ô animæ meæ quies, quas tibi primo gratias reddā ignoro, vel ob sūma quæ mihi contulisti beneficia, vel ꝙ à multis liberaris malis; planè enim tibi deuincior ꝙ me cadere nō siueris. Ecōtra, felix ille qui Iesu Christo cū S. Paulo dicit, *Domine quid me vis facere*, cū mihi ad surgendū manū auxiliatricē prębueris? Cuiuis impossibile est hanc petitionē, *Fiat voluntas tua* adimplere, nî primo suā propriā abneget voluntatem, eò quod tanta cœli à terra non sit distantia, quanta differentia inter Dei præcepta & voluntatis nostræ sensualitatem. Dum discipulis suis Dominus suæ perfectionis regulas indixit, scio prius dixisse, *Abneget semetipsum homo*, quam, *& sequatur me*; (*Matth*. 16. *Lucæ* 9.)

vt intelligeremus Dei voluntatis adim-
pletionem à ſuipſius abnegatione de-
pendere. Dei famulus qui ſua non vti-
tur voluntate dicere poteſt, *Fiat volun-
tas tua*, ſed non alius. Nullus in recitati-
one orationis Dominicæ vel ſymboli
Apoſtolorum hauriri poteſt fructus, ni
prius Dei voluntas adimpleatur. Fertur
in vita Patrum quendam Monachum
Abbati Serapioni dixiſſe, Quid beate
Pater faciam? Dum Deum oraturus ac-
cedo, frigeſco, operaturus pigreſco. Cui
Pater, Ne propter frigus ab oratione
abſtineas, neue propter fatigationem
ab opere ceſſes: Deus enim non nos
quales ſimus reſpicit, ſed quales eſſe ve-
limus: non quid agamus intuetur, ſed
interiorem affectum qua quidpiam a-
gimus: ſic vt Deus & Dominus nobis
ſit, cui æque bonis deſiderijs ſatisfit, at-
que alijs magna nummorum ſumma.
Refert ſacra ſcriptura (1. *Reg.* 30.) Regis
Dauidis in exercitu milites annonam &
munitiones cuſtodientes, conſimilem
miitlibus in hoſtes decertantibus mer-
cedem recepiſſe: id eſt infirmos & debi-
les tantundem mereri operantes quæ
poſſunt,

possunt, quantum robustos adimplentes quæ debent: Dominus siquidem Deus potius vim quam appetitibus nostris inferimus, quam labores quos in Monasterio sustinemus respicit. Dicit S. Bernardus, nihil in inferno ardere & comburi preter propriam voluntatem: quasi diceret, Non vitia commissa in inferno ardent, sed voluntates quibus commissa sunt. O quam verè hoc dixit sanctus ille vir! si enim christianè culpam & peccatum propter quod in inferno puniuntur damnati videre velimus; videre erit non in corpore illos illa pati, sed in voluntate qua illa commiserunt. Si orans & flens in horto Gethsemani dixerit Iesus Christus, *Non mea, sed tua voluntas fiat*, quis Monachorum aut religiosorum in Monasterio suam voluntatem agere audebit? Quis in Prælati mandata obgānire? In solitariæ vitæ libro dictum est, religiosum qui quo vult habitat loco, qui quod expetit habet, qui quod debet non agit, nō cum Iesu Christo in horto orare, sed cum diabolo in inferno: Iesus Christus enim vult nos agere quod debemus,

diabolus verò quicquid volumus: *Descenderunt cum armis suis*, dicebat Christus per Ezech. (*cap. 31.*) quasi diceret, Assur & Moab, Tubal & Ammon, qui Respublicas meas euertere conati sunt, in infernum proprijs armis missi sunt. Nos ad sumenda arma inuitat Apostolus ad (*Ephes. 6.*) dicens: *Induite vos armaturam Dei.* Et alibi, *Assumite scutum fidei.* Et alio in loco, *Arma militiæ nostræ non carnalia*, sed spiritualia: sic vt nos esse in periculoso bello indiciũ sit, cum nos toties ad arma sumenda prouocet diuinus Apostolus. Equidem diuturnũ est bellum: nam nobis in carnem, mundum, diabolum dimicandum est. singulis diebus dimicamus, & nihil consequimur: & quod magis nos terret illud est, quod nullus inter nos, & hostes istos, pacem componere, aut inducias facere, præter mortem & sepulturam valeat. Arma ergò manibus nostris sumenda hæc sunt, videlicet in superbiã humilitas, in inuidiam charitas, in iram patientia, in gulam abstinentia: sic vt tot sint armorum genera, quot virtutes, & tot hostes quot vitia. Sicuti Iesu

Christo sufficientia sunt pro suis arma, sic & diabolo, quæ imprimis hæc sunt; scilicet superbia, qua superbos armat gula qua gulosos, blasphemia qua detractores & magniloquos: ita vt ex vexillo & armis nostris dignosci possit, sub quo duce dimicemus. Dum diceret Ezech. Descenderunt in infernũ cũ armis suis, de armis iniquis & peruersis agebat, agebat inquam de mundanis & vanitate plenis, qui plane armis similem quæ hic gesserunt alio in mundo recipiũt mercedem. Arma Monachorum

Sed vt particularius loquamur, non debet Dei famulus præcipua sua arma reri esse habitum, cordam, cucullã; sed humilitatem, charitatẽ patientiã, qua in religione dimicare & pseuerare debet. Nescis frater habitũ, cordam, cucullum te ad sepulturã solũmodo conductura? E contra, humilitatẽ, charitatem & patientiam vsque in gloriam? De Monachis indisciplinatis, volũtarijs, & ꝓprietarijs agit Propheta dũ dicit: *Descenderunt in infernum cum armis suis*; nihil enim hac in vita iustius esse potest, imò iustissimũ est, eos qui hic armis culpæ & peccati

ſe armarunt, alio in mundo in domum pœnarum & doloris mitti. Ille in domum pœnarũ & doloris mittetur, qui Prælati mandatis contradicit dicẽs nolo, non poſſum. Dei quippe famulus debet ſaltem mandata experiri, licet ea exequi non poſſit. Super hæc verba dicit S. Bernardus: Mihi Nouitio ſemel dixit Abbas Ignatius magiſter meus, Dominum Deum mihi ad inſtar boni religioſi in ordine viuendi, & more boni Chriſtiani moriendi gratiam daturũ, dummodo diabolo me tentanti reſpõderem, *nolo*; & Prælato mihi quidpiam imperandi, *volo*: & dũmodo hæc verba in memoria haberem: *Diſcedite à me maledicti*, & conarer hoc Ieſu Chriſti dictum adimplere: *Venite ad me*. *Viſitabo omnes qui induti fuerint veſte peregrina*, dicebat Dominus per Sophoniam Prophetã (*cap. 1.*) quaſi diceret: Omnes qui è populo meo nouam quandam induerint conſuetudinem, corrigam, vel eos qui ſe veſte peregrina induent, ille in eccleſia Dei veſtem peregrinã induit, qui maledictam quandam ſectam, vel peruerſam hęreſin inducit. Et rectè di-

cit Propheta, quod talẽ visitabit Deus, id est quod talem puniet & exterminabit; nunquam enim hæreticus vel hæresis visa est, cuius infelicem exitũ non inuenerit Ecclesia. Tunc peregrina induitur veste Monachus vel religiosus, dum propria in Monasterio vtitur voluntate: peregrina enim Dei famulo debet esse propriæ voluntatis adimpletio, sed propria econtra obedientia. Tunc quoque peregrina induitur veste religiosus, dum subtiliori quam decet vestitur togâ, dum curioso nimis vtitur cubiculo, dum hinc inde è cellâ discurrendi procurat libertatem, dum mensam bonam cibis refertam parat, & nullo modo paupertatem pati vult: sic vt omnibus non ob pœnitentiam, sed ob suam dissolutam vitam notus sit. Dixit Abbati Sisoy quidam in vita Patrum Monachus: Dic benedicte Pater: Quis inimicorum nostrorum, scilicet carnis, diaboli & mundi maior est? Cui bonus senex respondit: Scias velim fili mi, periculosissimum non esse Dei famulo bellum carnis, diaboli, mũdi: sed suijpsius in seipsum: nos enim ad labo-

rem inuitat ratio; sensualitas autem nihil nisi quieté expætit: ita vt nullus ipsi ita grauis sit sicut ille ipse sibiipsi, ideoq; nullius tātam quantam suiipsius curam habere debet. 17 Dicit in libro de arrha animæ Hugo doctor: Scis frater carnem nobis impedimento non esse dūmodo corrigatur, & diabolum neminem decipere, nisi ei fides adhibeatur, & mundum neminē ad interitum perducere, nisi se sequentem: sola illa nostra tristitia & propria voluntas corpus laborib. conterit, & animū solicitudine excarnificat. Seneca Lucilio scribens, inquit: Scias amice mi Lucili, me hoc quinto Claudij Imperat. anno Romæ multas passum contradictiones, & me multos Capuæ perdidisse hortos: tamē vt breuiter absoluā, licet homini suas possessiones sit perdere laboriosum, laboriosius tamen ei est non posse agere quod vult. 18 Superiora ergo nostra dicta repetentes, dicimus, illum multa dare qui seipsum dat, & illum multū afferre, qui seipsum offert: tantæ etenim generositatis hominis animus est, vt nulli subjci neque ab vllo contradici cuperet.

(De

De quatuor notabilibus sacræ scripturæ figuris, quibus inobedientiæ periculum probatur, & obedientiæ fructus ostenditur.

CAPVT XV.

NVnquid vult Dominus holocausta & victimas, & non plus vt obediatur voci Domini? (1.*Reg.*15) sancti Prophetæ Samuelis verba sunt, in informatum Regem Saul prolata, dum in regno Amalec scabiosos & debiles occidit greges, in sacrificium pinguissimos & firmissimos reseruans: quasi ei dixisset, Putas Saul Dominum tuis holocaustis odore refertis, aut tantis sacrificijs quibꝰ placatus honoretur, & iratus placetur egere? Non equidem non est horũ Deus Israel cupidꝰ. Scias oportet ô summe rex Saul hoc potissimum Deo placere & gratum esse, dum ei velut Domino reuerẽtia exhibetur, & dum ei velut gubernatori obedientia præstatur. Non sine mysterio in tota sacra scriptura reperire non est Saulem in superbiam, iram, luxuriam,

guiam, vel in quampiam aliam tyrannidem incidisse; sed hoc tantum commisisse, quod Moabitas delere noluerit, & quod in sacrificium pinguissimum reseruauerit gregem; quod potius clementia quam concupiscentia motus fecit: nihilominus ei grauiter succensuit Dominus, eumque puniuit. Hoc exemplum profectò nos mirum in modum terrere debet, & ad obedientiam incitare: quoniam Sauli primo regi Israel à Domino electo, viro animoso, & bono, suæ Reipublicæ regimen abstulit Dominus Deus, non aliam ob causam quã ob inobedientiæ peccatum. Putabat Saul clementiam coram maiestate diuina obedientiæ præferri. Volens igitur eum erudire Dominus, & nos à tali deceptione liberare, protulit & dixit, *Melior est obedientia, quam victimæ*: quasi diceret, Non doleo homines benignos & clementes esse, volo tamen præsertim mihi obedientes esse; non doleo illos pios & mihi multa ab ijs offerri sacrificia, sed malo eos mihi obedire, meaque obseruare mandata: eo quod in sacrificijs mihi mortua animalia offerant, in

obedi-

obedientia autem cor proprium, Haymonis glossa super hæc verba, *Melior est obedientia*, dicit, Dominum Deum obsequio, timore, amore, honore & sacrificiis quidem gaudere præsertim tamen obedientia. Ideoque in tota sacra scriptura vix locus est in quo de non oblatis sacrificijs conqueratur Dominus; sed vbique locorum quasi de non præstita sibi inobedientia conqueritur. Quantumuis pius sit homo, eleemosinarius, abstinens, continens, non ideò tamen ab Ecclesiæ ductu se remouere debet, neque in Prælatum insurgere, quia hac sententia, *Melior est obedientia, quam sacrificia*, decretum & conclusum est nullum posse meritorium esse opus nisi obedientia comite. Tertio Regum libro cap. 13. scriptum est. *Vir Dei qui inobediens fuit ori Domini, tradidit eum Dominus leoni*: quasi diceret sacra scriptura, Præcepit Dominus Deus cuidam prophetæ & viro sancto vt in Bethel, Regis Iudæ Iosiæ natiuitatem, & sacerdotum Regis Ieroboam deletionem annunciaturus proficisceretur: quibus actis per aliam viam nullo cibo aut somno in Regis pa-

latio sumpto, in domum suam reuerteretur. Porrò huius mandati causam & rationem solus ille qui imperabat nouerat. Accidit itaque munere suo completo per aliam viam redijsse Prophetam, cui quidam Propheta eius amicus occurrit; à quo deceptus est: persuasit enim illi alter ille Propheta vt in Bethel reuerteretur, cibum sumeret & accumberet; quod fecit & adimpleuit; Quam ob rem cum iter suum perageret, à leone occisus est. Hoc exemplum profectò non minus formidandum & notandum, quam Regis Saulis exemplum est, quandoquidem dicat scriptura illum Prophetam verum fuisse Prophetam & sanctum virum, eumq; sua munia rectè adimpleuisse, nihilquе in Bethel cibi sumpsisse, & per aliam viam reuersum fuisse; meruit tamē à leone vita priuari, quod sui amici precibus se accommodarit, & non per obedientiam præceptum Dei adimpleuerit. Quid isti boni homini sua sanctitas, abstinentia & prophetia profuit, cum ei suâ inobedientiâ ablata fuerit vita? Putas quod vitæ iacturam fecisset ille, & quod à leone

inter-

interfectus fuisset, si æque bene suam obedientiam adimpleuisset, atque prophetiam. De damnatione Balaam, Saulis & Caiphę, (Prophetiæ spiritu aliquãdo preditorum) certiores sumus quam de saluatione: eo quod hac obediẽtiæ virtute caruerint. Ideoque concludere possumus maioris esse pretij obedientiam, quam prophetiam. Seriò quoque considerandũ est, quod hic sanctus Dei Propheta à manibus Ieroboam, in quẽ prophetarat, & ab ira populi Israel quẽ commouerat & turbauerat, liberatus, mortẽ subierit, nõ cuiusdam sui inimici astutia, sed cuiusdam Prophetæ amici consilio. Vnde liquet arctã amicitiam esse quandoque pernitiosam, & sicuti vterq; Propheta, ita vterq; amicus notus erat. Porrò propheta qui in vrbe Bethel residebat, hunc obnixè rogat, vt in domũ suam requiem pauxillulum sumpturus, & vxorem eius & familiam inuisurus reuertatur: petitioni acquieuit Dei famulus, ideoque condemnatus est, quod contra conscientiam eo ausus sit, potius ire, quàm antiquam

violare amicitiam. Appositè dicit S. Hilarius: Ius diuinum aut humanum sibi amicum comparare, aut opus amici agere non prohibet: nulla tamen fouenda amicitia, quæ infamiæ aut violentiæ occasionem præbeat: quia illa non est dicenda amicitia, quæ in virtute & bonitate non est fundata. *Filius qui contempserit imperium patris ad portam ciuitatis lapidibus obruatur*, dicebat (*Deuteronom. cap.* 21.) Dominus Deus Moysi: quasi diceret, Impero tibi Moyses, vt filium patri (quem propter nimiam dissolutionem & superbiam corrigere voluerit) resistentem, & se emendare nolentem à populo separes, eumqúe extra portam ducas, vbi lapidibus obruetur, vt meritam recipiat punitionem, sitq; alijs iuuenibus exemplo. Notandum seriò est, quod in antiqua lege posset pater filio furi, ebrioso, guloso, scortatori, & moroso parcere; sed non superbo & irreuerenti: tali enim casu licet dissimulasset pater; tenebatur tamē populus eū lapidare. Non poterat grauiori malo sacra scriptura peccati inobedi-

obedientiæ punitionẽ præcipere, quam patri imperare vt filio inobedienti vitã adimeret. Vnde concludere possumus, inobediẽtiæ peccatum admodum graue esse, cum illud tanto rigore corrigi velit Dominus Deus. Videtur quid nouum & inhumanum esse, scilicet antiquam legem imperare patri, vt proprij filij carnifex esset: sed cum plus pietatis quam rigoris contineat lex diuina, credendum nobis est exiguam fuisse pœnam, quam filio patrem infligere præcepit Dominus comparatione peccati inobedientiæ, quod Deo valdè exosum est. Dic quæso mihi, Dominus Deus noster, qui me de nihilo creauit, nunquid patre meo qui me de quadam natura genuit magis meretur? *Si* ergo ille mortis pœnam meretur, qui patri inobediens est, quam non merebitur pœnam, qui in creatorem suum insurget? Porrò toties in Deum insurgis, quoties eũ offendis, quoties eius mandata transgrederis. Vnde sequitur, si hic vt Hebræus lapidibus non obruaris, quod in illo seculo velut nequam

condemnaberis. Ex hoc exẽplo exemplum ad filios regendos parentes, & ad diſcipulos inſtruendos ſumere debent magiſtri, vt obedientes fiant, & non incorrigibiles: niſi enim à teneris annis curuentur iuuenes, difficulter poſteà à parentibus corriguntur.

☞ Fauũ mellis contra patris Saulis mãdatum comedente Ionatha, ſtatim eum occidi volebat Saul, nî ſe oppoſuiſſet Synagoga, quod licet patris mandatum tranſgreſſus fuiſſet, tamen populũ Iſraeliticũ ſua virtute liberaſſet. (*1. Reg. 14*) *Præualuerũt ſermones Ionadab, qui præcepit filijs ſuis, vt non biberent vinum, nec ædificarent domos*: dicebat Dominus per Prophetam Ierem. *cap.* 35. quaſi diceret; Scias oportet ô Ieremia antiquũ virum Ionadab ſuis filijs & ſucceſſoribus præcepiſſe, ne vllas plantarent vineas, nec vinum biberent, ne agris ſemen mitterent, ne vllas ædificarent domos, & ne in Republica habitarent, ſed in cauernis & tabernaculis, in modum hominum vitæ prodigorum, & diuitias contemnentium. Iam à multis diebus hoc ſuis ſucceſſoribus præceptum præcepit Ionadab,

nadab, tamen ne vel vnus in hunc vſque diem illud transgreſſus eſt. O Ieremia, pluris fit Ionadab teſtamentum, quam Dei in lege mandatum. Obijcit inſuper Ieremiæ Deus, quandoquidem in Iſrael maior Ionadab reuerentia exhibeatur quam mihi, immittam in omnes inobedientes Iſrael inimicos, qui eos caſtigent, & ne amici eis ſuppetias ferant, impediam: ſciunt enim ſe à me vocari, & tamen audire nolunt, ſciunt me eis præcipere, tamen mihi fidem adhibere nolunt; meam aperio eis clementiam, illi verò obſtinationem. Contrarium omnino filijs Ionadab accidet, qui propterea quod patri obedientes fuêre, ne vel ad vnum mandati verbum muſſitantes, in inimicorum manus non incident, nec ab amicis deſerentur, immo nec eorum progeniem perire permittam, eos ſemper conſeruabo, ne à gratia mea recedant. Profectò hæc Domini Dei Ieremiæ dicta verba, & hæ filijs Ionadab datæ promiſſiones mirum in modum rebelles terrere debēt,

& bo-

& bonos obedientesq́ solari, quandoquidem loco amicorum asscribat Dominus obedientes, & inobedientes inimicos declaret. Ille ergo cum Israelitis maledicetur, qui Prælato inobediens erit, & ille cum filijs Ionadab benedicetur, qui obediens in Monasterio permanebit; cõtulit enim Dominus Deus singulare obedientibus priuilegium, nempe quod eos à sua gratia nunquam recedere permittat. Magnum certè Christianis, filiorum Ionadab incutit pudorem obedientia; maiorem religiosis: eò quod ita asperam & strictam duxerint vitam, nihil in modum peregrinorum, ne obulum quidem possidentes; & hoc ex solo patris mandato, non autem Dei vel Euangelij. Si hæc sacræ Scripturæ sententia, nimirum *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, auribus eorum excepta fuisset, tanti non fuisset meriti fortasse eorum obedientia, neque tanti pretij eorum paupertas, cum in istius rigoris mercedem ęternam beatitudinem polliceretur Deus: sed ita liberaliter possessiones patris deseruisse, cùm proprij essent

essent filij, sine vlla remunerationis promissione, imò cum causas penitus ignorarent, cur eis bona illa auferrétur, sublime quid est, & à multis laudatum, à paucis nihilominus imitatum.

Aduerte quæso sacræ Scripturæ sublimitatem, vide illius pulchrum ordinem. Suscepit Ionadab imperandi actionem, filij eius autem obediendi: ideo eis mercedem promisit, & suã gratiam Dominus Deus, & quod semper coram illo ambularent. O quam felix ille est qui filius Ionadab? ô si quis tantæ paupertatis amator, tantæ obedientiæ executor? qui enim fecerit quod Ionadab fecere filij, in domo Domini residebit, & beatissima eius gratia dotabitur. Offer ergo te frater ad perpetuam obedientiam, & ad voluntatem & superiorum mandata sequenda: vides. n. Dei promissum, & Prophetæ Ieremiæ assertionem, & vel filiorum Ionadab experientia nunquam Dei gratia deesse, vbi non deest obedientiæ virtus.

Probatur insignibus sacræ scripturæ, figuris, quomodo Dei famulo omnia postponenda sint.

CAPVT XVI.

POstquam fratres Machabæos morti adiudicasset rex Antiochus, quod porcinas carnes edere nollent, dixit è septem vnus. *Non obedio præcepto* Regis, *sed legis,* (2. *Mach.* 7.) quasi diceret Putas ô Rex Antioche me carnes porcinas nobis à Deo nostro prohibitas ad mandatum tuum comesturum? scias certò me potius mortē subiturū, quam legem Moysis soluturū: inter Hebræos etenim maioris virtutis est legis mādatum, quam Regis. Porrò ad hoc heroicum opus, & sublimem obedientiā laudādam dicit sacra scriptura Machabęū illū cum quo Rex de hoc negotio verba habebat, fuisse è septem fratribus iuniorem, omniumq́; debilissimum, hocq́ue astutia fuisse tyrānum, persuadens sibi hunc facilius cæteris vincendum ob tenerrimam ætatem. Notandum hic, quod si rex Antiochus huic iuueni adolescenti, in templo offerre, decimas

sole-

soluere præcepisset, vel negotiationem cum cæteris inhibuisset: videretur iuuenem sustinere pœnam maluisse, quã tantæ submitti ditioni: malle autem potius mori, quam laridi bolum comedere, stupendum est: non mortem patitur, vel in partes dissecatur iuuenis eo quod illi incommodi quicquam gigneret laridum. vel quod nullam illud comedendo sumeret voluptaté; sed probus & fidei zelator, suæ vitæ iacturam cum gloria facere maluit, quam legem transgredi. ¶Hoc exemplum magni pōderis est ad iuuenes incitandos ad obedientiam, & ad senes indomitos & rebelles confundendos: cogitur enim senex esse quietus & Prælato obgãnire, tum propter ætatem præteritam, tum propter experientiam, quam è mundi deceptionibus habet, sed iuueni adhuc feruenti, cui modestia vt mors est, se regi, & duci permittere, vt apud Deum suis promissis stet magnæ laudi ducendum. ¶Non sine mysterio carnes porcinas edendi aut non edẽdi præceptũ, decem præceptis legis non annumeratur: sed

sed legale præceptum erat, inter legem ceremonialem & moralem medians: mori tamen illi maluere, quam istam carnem comedere. Vnde concludere possumus Dei famulũ debere æquè Dei consilia atq; mandata obseruare. Credendum nobis est, eodem modo in inobedientes Machabæos insurrecturos, quo Niniuensẽs in impœnitentes, eo q; inter peccata maius sit peccatũ inobediẽtia, quàm impœnitentia. non hic de pœnitentia finali, sine qua nullus saluari potest, ago; sed de ordinaria, quam quisq; plus minusve habet: hæc enim quandam patitur moram, non autem obedientia. Incredibile profectò est eum qui laridi partẽ comedere non audet, fornicationẽ, furtũ, falsum testimonium, imò minus homicidium committere audere: vt enim, inquit S. Gregorius, bonarum conscientiarum priuilegium est quãdoque in rebus quibus nullum periculum inest scrupulum habere. Verò multo minus petasonem non edendo peccabat Hebræus, quam Euangelium transgrediendo Christianus. Sed ô nos miseros, mortem oppetijt iuuenis Hebræus,

Hebræus, quod legem trāſgredi nollet, nec reipſa tranſgreſſus eſt: mihi autem Euangelium tranſgreſſuro minæ incutiuntur, nihilominus tamen repentè illud tranſgredior: ſic vt in me maioris vigoris non ſit Ieſu Chriſti amor, quam virtutis fuerit in iſto Machabæo tyrāni crudelitas. Quam multi in mūdo ſunt, qui pro re laridi bolo minori Euangeliū tranſgrediuntur, & promiſſum Deo factum ſoluunt? Oculis noſtris hæc apparent: eo quod quotis die falſa iuramenta proferri proximū decipi, publicè mendacia iactari, virtutē contemni, tumultus agi, populū in ſeditionem, in peccata agi audiamus, nulla Regis Antiochi mouente aut agitante ira, videamus. Præcipiētē Domino Deo Abrahā vt filium ſuū immolaret, & S. Petro vt retia deſereret, non id iterū iterumq́ue rogauit an præcepit Dominus. Dato .n. præcepto illi acquieuit vterq; quamuis præceptum ſatis laborioſum eſſet, præcipere ſcilicet vni, filium offerre, alteri patrimoniū deſerere. Exiguū erat Dei Abrahamo datum præceptum, ſcilicet vt filiū immolaret, ſi adeò huius præ-

cepti

cepti graues non fuiſſent conditiones; imprimis enim primogenitus erat filius ille, & vnicus, dilectus, exoptatus, vi lachrymarum, & quidem in ſenectute impetratus. His nihilominus omiſſis, mandato dato ſtatim ei caput obtruncare decreuerat pater: Filij oblatio, proprij cordis denotat ſacrificium: Nauis porrò & retium derelictio, diuinarum & omnis poſſeſſionis deſertionem: ſic vt vtriuſque obedientiá probaret Deus, vni filiorum amorem euellens, alteri bonorum & pecuniarum cupiditatem. Tunc nos retia deſerere vult Prælatus, dum nos dirigit & corrigit, ne ab huius mundi negotijs opprimamur: quia laquei & retia quibus mundus venatur, ſancti Petri retibus peiora ſunt: illis enim piſces capiuntur, his vero homines. Tunc filium noſtrum dilectum cum Abrahamo decapitamus, dum animum noſtrum ad non exequēdam propriam voluntatem cogimus: & vt in rei veritate loquamur, ſi magnum fuerit Abrahamo voluiſſe filium ſuum morti tradere, non minus eſt religioſo pati ſe regi à Prælato & duci. Semel dun-

duntaxat est passus Abraham, dum videlicet filio caput amputandum erat, probus autem Monachus sibi toties guttur abscindit, quoties quidpiam contra voluntatem suam imperat Prælatus. Ideo dicit S. Bernardus, quod Ille se singulis diebus sacrificet, qui simpliciter & reuerenter Prælati mandatum adimplet.

4 Præcepit (*Genes.* 2.) filio suo Iacob Rebecca vt arcu omisso, & venatione posthabita, pergeret statim ad gregem: propterea autem quod statim matris mandatum adimpleuisset, sua obedientia patris benedictionem consequi meruit. 5 Ab instanti quo magnus ille Apostolus S. Paulus in terram prostratus est, vouit in campi planitie Deo obedientiam dicens: *Domine quid me vis facere?* (*Actor.* 9.) Quasi diceret, Domine fac de me quod lubet, me tibi in obsequium tuum & sempiternum timorem, & perpetuam obedientiã verè offero. 6 *Fili hominis ad gentes apostatrices mitto te, quæ præuaricatæ sunt pactum meum*, dicebat Prophetæ Ezechieli Dominus Deus, (*cap.* 2.) quasi diceret,

diceret, Mitto te ô Ezechiel, gẽti rebelli & apostatrici vt cõciones habeas, quę pa ctum meũ prævaricatæ sunt, & pmissis suis non steterũt. Notandũ hic est quod ille in Synagoga apostata dicebatur, qui legẽ deserebat, in Euangelio aũt ille apostata dicitur qui Euangelium deserit, in religione denique ille apostata dicitur, qui è Monasterio fugit: sic vt apostatæ & apostasiæ nomen nihil aliud indicet, quam se ab Ecclesia separare, vel aliquid contra propriæ conscientię consilium agere. In Synagoga Pharisæi hypocritæ, apostatę habebãtur, in Ecclesia verò infelices hæretici, in religione denique, Monachi siue religiosi rebelles & inobediẽtes. Ideoq; idololatriæ, hæresis, inobediẽtia, in religione apostasia sunt. S. Bern. cuidã Monacho qui cõtra voluntatem suã aliud adibat Monasterium scribẽs dicit: O frater, neq; preces, neq; quæ indicaui inconuenientia tibi, profuere, vt hic mecum maneres, neq; quas fudi lachrymę, q potius charitate motus, quam necessitate feci: ex animo tuo siquidẽ & complexione cognosco diabolum, non aũt Iesum Christũ te in

eremum

eremum ducere: ideò illam non intrabis melius oraturus, sed minus operaturus. Memini te mihi in discessu tuo dixisse, quod eo tranquilliori ires conscientia, quia cum Prælati tui licentia: ideoque dixi, me tua importunitate tibi licentiam concessisse, non autem mea voluntate: quo in casu non tam dicenda est licentia quàm violentia. Genus apostasiæ est aliquam à Prælato vi obtinere licentiam, eo quod obedientiæ perfectio non in hoc quod agit Prælatus cõsistat, sed in hoc quod ageret si posset. Multi sunt Monachi qui pudore ducti apostasiam forinsecus committere non audent; sed in conscientia non verentur: quæ tamen apostasia in religione desidiam gignit; à choro enim Monachos educit, & oratorio, eos Prælato se opponere compellit, & per Monasterium diuagari, vt cum obuijs confabulentur, & absentibus detrahant. Dic quæso mihi vter peior apostata est, qui Monasterij muris exilit, an qui choro non nisi corpore interest, habens aliam sui cordis partem in mundo fixam? Ille apostata est qui noctu muris exilit,

ſed ille peior apoſtata qui de virtutum gradu: votum enim, me clauſuræ tantum deuincit, Euangelium autem me fidei Chriſtianæ. ¶ Percutiente Domino Deo cor Dauid, viſus eſt ille dicere, (2. Reg. 4.) *Inuenit cor ſuum ſeruus tuus*, hoc eſt, ſeruus tuus cor ſuum reperit: indicium ergo erat illum Apoſtatæ more prolapſum fuiſſe, quandoquidem tam amplas Deo referat gratias quod illud repererit. ¶ Proditor Iudas licet Dominum & magiſtrum prodidiſſet, nunquam tamé à domo eius egreſſus eſt, neque ab eo, neque ab eius menſa, eiuſq; conſortio abfuit, quis illum tamen apoſtatam & excommunicatum non dicet, cum diabolo cor ſuum, & Ieſu Chriſto corpus ſuum duntaxat obtulerit? Crede mihi quæſo frater, & nullatenus dubites, ſi primo Iudæ cor non viciſſet diabolus, quod nunquam magiſtrum ac Dominum prodidiſſet. Vnde concludimus, periculoſiorem eſſe apoſtaſiam diabolo cor tradere, quam è Monaſterio fugere. ¶ Monachi perfectio non conſiſtit in hoc quod corpus ſit muris incluſum, ſed

quod

quod bonis sit anima associata virtutibus: si enim in clausura solummodo, non autem in bonæ vitæ Hic transactæ beneplacito consisteret perfectio, qui obscuris includũtur carceribus multo magis religiosis suis Monasterijs inclusis mererentur. E filijs Israel nullus religionis habitum gestabat, nulla reclusa erant Monasteria, nulli professi religiosi, non obstantibus his, tamen per suum Prophetam Ezechielem Deus gentes dissolutas, gentes apostatrices vocat, quod in Synagogis residentes ad Babylonem nihilominus suspirarent. Quam multi religiosi se magni faciunt dicentes se nunquam Monasterio egressos, vel habitu exutos, sed bono in religione fuisse exemplo qui tamen re diligentius perspecta in cibis gulosi, in vestibus curiosi, in verbis peruersi, in opinionibus admodum passione pleni sunt. Sed de huiusmodi hominibus dicere possemus, minus esse malum eos semel apostasiam commisisse, quam semper secundum suas affectiones viuere.

De dignitate Prælaturæ, & quantum à mundo discrepare debeat qui vult bonus esse Prælatus, exemplo S. Petri & Regis Saulis.

CAPVT XVII.

D*iligis me Simon plus his.* (Ioan. 21.) Sunt filij Dei, S. Petro dicta verba, quasi diceret, Scis frater mi Petre me mortem passum, & resurrexisse, scis me ad cœlum ascendere paratum, meumque sacrum Collegium sine Prælato esse, ideoque te in mei vicariatus officio probare volo. A te scire cuperem quandoquidem omnium sis futurus Pastor, nũ me cæteris plus diligas. Hæc Iesu Christi petitio mysterio plena est, & S. Petri responsio mirum in modum sublimis, eo quod Christus vt homo ignorans num ametur, loquatur, S. Petrus autem Deo respondet sciens à quo ametur: sic vt per Iesum Christum se à Iesu Christo amari cognouerit S. Petr⁹, Christus autem S. Petri fidem agnouerit. Dum autem S. Petrum rogat Christus num eum plus cæteris diligat, rogat

num

num eum magis cæteris ardeat. Vnde colligere possumus Prælatũ ante omnia examinari debere, num fideliter sanctæ & Catholicæ fidei adhęreat, & num ei iusta Ecclesiæ videantur mandata: si enim eum firmum & solidum Christianum agnouerint peruersi, velut dæmonem fugient. Quod autem Christo dixerit S. Petrus, Scis Domine an te amem nec ne, boni Christiani & animi verè Christi amore ardentis responsio fuit; vt enim in Deo magis & perfectius sum quã in me; ita scit Dominus Deus multò me melius quid amem. Non melius in mundo probari posset amor, quam alterius animo subiacere, qui amoris testimonium perhibeat: sæpius enim in amoris materia, id quod dilecti animus meditatur & cogitat certius est, quam quod amantis lingua loquitur. Iterum dico, responsum fuisse verè Catholicum, & verbum magno amore plenũ, quod scilicet potius Iesu Christi cordi confisus fuerit S. Petrus, quam suo: etiamsi enim quis amantem se agnoscat, non potest tamen quantùm amet scire, aut scrutari. Notandum hic quoque &

ponderandum est, quod antequam S. Petrum suum vicarium constituisset Christus, eum de sua fide examinarit, vitam quoque eius & patientiam probauerit: sic, vt animarum regimen ei commissurus, eum primò in magnis & arduis rebus probare voluerit.

S. Petrum in mundi contemptu probauit Christus, eum à mari recedere voluit: eum in amore diuitiarum probauit, dum se sequi voluit: patientiam eius probauit, dicens, *Vade retro me satana:* in oratione probauit, dum eum orare voluit: eius fragilitatem tentauit, dum eum labi passus est, & eius contritionem dum fleuit; sic vt eum ad vicariatus munere fungendum, expertum elegerit. Secundum igitur S. Dionisij dictum quo quid in scripturis sacris maioris est commendationis, eo sublimioris est mysterij: ideo his verbis concludi potest, Prælati officium magni esse momenti, siquidem tanto examine præuio illud S. Petri manibus commissum est. A tempore quo sanctum Petrum suo sancto Collegio associauit Iesus Christus, in eum

um oculos fixit quem suum vicarium constitueret. Veruntamen ne hæc nimium affectata videretur electio, sed æquitati conformis, S. Petrum in maximis laboribus probauit, & sublimia quæque rogauit, vt omnes aperte intelligerent illum tali dignum Prælatura. Non à mari S. Petrum eduxit Christus, vt in terra quiesceret, sed vt diligentius operaretur: à piscatorio etsi eum onere liberarit, pastoris tamen munere onerauit. Quid aliud est S. Petrum à tempestuoso educere mari ante vicariatum ei datum, nisi innuere, eum qui Prælatus fieri voluerit nihil rerum mundanarum sapere debere? Non dedit terræ sanctæ dominium Abrahamo Dominus antequam à patria & parentibus recessisset: non Synagogæ curam Aaroni contulit, priusquam Aegypto egressus esset: nec sanctum Petrũ suæ Ecclesiæ præcipuum constituit Pręlatum, nisi postquã illum è mari tempestuoso eduxisset. Quibus nos docet, nõ sine scrupulo & periculo procurare Pręlaturã, qui suũ nunquã visitat Episcopatũ, & qui nunquã in Monasterio residet

Eugenio Papæ scribens S. Bernardus inquit: Licet plura non feceris, multum tamen feceris, si Romæ resederis, & in cathedra tua manseris. ita enim tenerum est Prælaturæ officium, vt inter omnia mundi officia nullum maiorem requirat diligentiam. Eo ipso instanti quo oraturus montem ascendit Moyses, statim idola colere cœperunt subditi: ita vt idololatriam commissura nō fuisset Synagoga, si præsens fuisset Prælatus. Si suum prælatum huius mundi negotijs immiscendi cupidum viderit subditus; caueat imitari; præstet tamen ipsi obedientiam: indicium enim nauis mergendæ est gubernaculum dimittente nec regente nauta. Hæc ex Sancto Bernardo desumuntur verba. Porrò non solum S. Petrum mari in quo erat egredi voluit Iesus Christus, sed & retia & nauem quam habebat deserere: credibile proinde est eum qui tantis periculis per mare ad capiendos pisces tendebat, non multas possedisse vineas aut reditus: sic vt retia & nauem deserendo, omnes mundi possessiones desereret. Nihil aliud sancto Petro innuit

Chri-

Christus, dum eum sua retia deserere vult, priusquam animarum regimen suscipiat, nisi neminem in Ecclesia Dei Prælaturam suscipere debere nisi huius mundi concupiscentijs & auaritia prius abiectis; nihil enim scandalosum magis & pudendum esse posset, quam male sano & misero grege, Prælatum loculos conseruare plenos. Quod sanctum Petrum retia quibuscum in mari tempestuoso pisces capiebat deserere velit Christus, imperare est vt mundi commercia deserat. Vnde inferri potest, quod Prælatus qui se negotijs, non suum Episcopatum vel Abbatiam & Monasterium concernentibus immiscet, potius præuaricator legem suam transgrediens dicendus sit, quam pastor gregem suum conseruans. Ille legem suam transgreditur, & iusiurandum suum soluit, qui cum vxore Loth se inuertit, & illicitis immiscet negotijs. Licet enim exigua sit cuius pastor es Ecclesia, & pauper cuius administrator es Monasterium, tanta tamen tibi sunt quibus vaces negotia, vt ne vna quidem hora alijs intendere debeat. Abũde profectò est ꝙ

cures , si tuis ouibus inuigilare velis. Sed proh dolor , multi hodie in Ecclesia Dei sunt , qui aliorum oues regendas suscipiunt, suas autem mercenarijs committunt: sic vt se aliorum oneribus onerantes peccent, & offendant se proprijs oneribus exonerantes . Dic quæso mihi, præcipiente Iesu Christo S. Petro retia deserere, eidemne præcipiebat vt se aliorum retibus oneraret? Super hoc dicit S. Chrysostomus, ideo S. Petrum retia quibuscum piscabatur deserere vult Christus , mundi negotijs extricari ideò, vt liberè subditorum curæ studeat : quia tunc verè Dei memor est Prælatus , dum sui immemor . Dicit S. Hieronymus: Non vult Christus, Prælatum nauem qua suos subditos in gurgitem demergat habere, neque mare in quod eosdem suffocet, neque retia quibus decipiat : hoc est non vult eos habere negotia, quorum causa & ipsorum & Dei obliuiscatur : eo quod difficulter admodum quietus viuere possit subditus, sub Prelato inquieto & negotiorum amatore. Notandum quoq; serio est, quod non solum S. Petrum naui in

ui in qua erat egredi, & retia deserere voluerit Christus, sed & se sequi: in domo enim Dei iubemur complexionem sicuti & conditionem mutare. *Saul cum regnare cœpisset mutatus est in virum alterum* (1. *Reg.* 10.) sic vt ab instanti quo Rex creatus est neque quod solitus erat ageret, & plane alter à seipso appareret. Magna verò Saulis fuit mutatio, eo quod ex aratore dominus factus sit: nihil nisi arare nouerat, tamen pugnare didicit: ex timido audax euasit, ex crudeli benignus, ex rustico doctus, ex impatienti patiens: dicit hac in parte textus, quod non solum iniurias illi illatas non vlcisceretur, sed & eas non audire fingeret. *Hæc mutatio dexteræ excelsi*; (*Psal.* 117.) iniurias enim non vlcisci sanctum est, eis ignoscere angelicum, ijs non respondere, potius diuinum quam humanum: eo quod secundum sapientis dictum *Prouerb.* 6 difficilius sit *linguā gubernare* quàm *animā præparare*, hoc est, vitā emendare. Hoc exēplū profectò dignū est q à *Prælatis* noscatur: ad imitandum siquidem vtile admodum est ipsis, vt accepto Prælaturæ

officio, alio se gerant quo antea modo: suo enim officio satisfacit subditus dum mandata obseruat; sed Prælatus debet & mandata simul & consilia obseruare. *Mutatus est in virum alterum* Prælatus, dum lacer alijs benè vestitis incedit, dum alijs saturis esurit, dum nudis pedibus, alijs calceos & tibialia habentibus incedit, dum alijs quietis inquietus est, dum alijs sine cura & sollicitudine existentibus sollicitus est: boni Prælati enim est corpus labore cassum habere, & animum cura & solicitudine onustum: *Mutatus est in virum alterum* Prælatus, dum in choro cantans reperitur, in oratorio orans, in Nosocomio visitans, in cubiculo legens, in porta negotians, vel cuiusdam Monachi tentati consolationi euigilans: eo quod vero patri & pastori vnius Monachi tentati & afflicti maior debeat esse cura, quam cæterarum omnium rerum Monasterio necessariarum. *Mutatus est in virum alterum* dum nulli rei nisi Nouitiorum consolationi & iuuenum correctioni, officiariorum visitationi, debilium leuamini studet & dum denique anti-

quorum subiacet consilio: nullum enim grauius Monasterio accidere potest incommodum quam dum ita temerarius est Prælatus, vt se suo particulari audeat regere iudicio. Vtinam atque vtinã hæc à bono Prælato ad instructionẽ mali in praxim redigerentur verba: malus tunc in *virum alterum* mutatur, cum ex humili fit superbus, ex charitate prædito peruersus, ex patienti furibundus, ex abstinenti gulosus, ex casto dissolutus, ex pauciloquo multiloquus. S. Bernardus dicit Abbati Rogerio: O Abba Rogeri, Platonis dictum, scilicet *quod potentatus ostendat virum*, verè in te manifestatur & verificatur, quandoquidem insolita agas, & sis longe alius quàm apparebas: videbaris enim doctus & prudens, tamen te vanum præbes; videbaris solitarius, tamen te vulgarem exhibes; pius apparebas, tamen impius & remissus es; videbaris nobis patiens, sed furiosus euasisti: sic vt tua bonitas eò vsque tantum donec Abbas factus es perseuerauerit: antequam Abbas eligereris, & in statu illo confirmareris, secundum bonitatis quam demonstrabas ap-

parentiam, & secundum virtutes exteri ores, nullus à te non fuisset deceptus, nihilque quamuis magni ponderis non fuisset tuis manibus commissum; sed vt te iam cognoui, & vt quomodo sese omnia in tuo Monasterio haberent audiui, te quidem loco proximi habeo, tamen nunquam tibi vocem meam qua Prælatus fias imposterum daturus sum: & sicuti nullũ malum est ex quo quodpiam bonum non promat bonus, ideò hac tua infami Prælatura liberabitur Monasterium, & hac in parte prudẽtior fiet Superior tu⁹, & à te deinceps ego nõ decipiar, tu autẽ ab omnib. dignosceris.

Secundum huius sancti viri sententiam multi hodie sunt, qui in mundo admodũ solitarij existunt, pietatem simulantes, loca sacra inuisentes, castos se exhibentes, zelo pleni, & summi apparentes eleemosinarij, donec quendam Episcopatum, Abbatiam vel Prioratum obtinuerint, sed postquã cupitis fruuntur, ad peruersam redeunt inclinationem. *Vix vnius anni erat Saul cum regnare cœpisset*, id est dum Saul electus est Rex, & Dominus Israel, eiusdem

uſdem ſimplicitatis & innocentiæ erat cuius eſſet infantulus adhuc matris vbera ſugens. Sed de illo inſuper dicitur, primo anno quo regnare cœpit in deterius progreſſum eſſe, ſuorum nolens ſubiacere conſilio. Porrò omnino contrarium S. Paulo accidit, qui antequam ad Apoſtolatum vocaretur, tyrannorum Chriſtianos perſequentium caput & dux erat; at poſtquam ad Prælaturam vocatus, defenſorum fidelium princeps factus eſt, ita impeius ad regnum vocatus proruit Saul; Apoſtolus Paulus autem in melius ad apoſtolatum vocatus. Super hęc dicit S. Hilarius: Plures hodiè ſancto Paulo habet diſcipulos Saul, cum econtra Saulo plures debeat habere S. Paulus; è centum enim Prælatis, ſi in Eccleſia Dei decem bonos reperiamus, ab alijs nonaginta nouem decipiemur. *Mutatus eſt in virum alterũ* Prælatus dũ Pręlaturã in hoc conſiſtere cogitat, quod Domini nunc titulo honoretur & Reuerendæ Paternitatis, vbi alias Pater tantum & Reuerentia, audiret:

vel

vel in hoc quod nunc ab alijs segregetur, cum alias in dormitorio cum alijs dormiret: siue quod nunc altissimo sedeat loco, cum alias infimo: aut in hoc quod nunc ab eo venia & licentia expectatur, cum alias ille eandem soleret expetere: hęc enim omnia potius ceremoniæ & bonę educationis ciuilitates sunt, quam Prælaturę perfectiones. S. Gregorius in suo Pastorali dicit: Videat Prælatus quid agat & ad quod se deuinciat; si enim quod debet non agat, vel saltem quod potest, tot erit dignus infernis quot negligentiarum accusabitur. Super hæc Ezechielis verba, *Væ pastoribus Israel* dicit S Hieronymus: Deus rarò subditis hoc aduerbio vę minatur, econtra sæpius malis Prælatis, sicuti in Prophetarum Prophetijs videre est, vt intelligeremus subditorum mala & peccata à Prælatorum negligentia oriri.

Graue

Grauè & periculosum esse Prælati officium: & quanti ponderis verbis Sinagogæ Prælatum Moysen, & Ecclesiæ S. Paulum constituerit Dominus Deus.

CAPVT XVIII.

E*Go dispono vobis ; sicuti disposuit mihi Pater meus Regnum.* (*Luc.* 22.) dicebat vltimo die , vltima hora & vltima cœna discipulis suis Iesus Christus, quasi diceret: Vos de Prælatura decertatis, vt sciatis quis meus futurus sit successor & quis præcipue in Ecclesia imperabit: respondeo vobis, & dico quod secundum mensuram & pondus primogeniti mihi ab omni æternitate à Patre datum, secundum illud inquam & non aliud, regnum cœlorum vobis conferre volo, vt sicuti ego magnis pœnis & infinitis tormentis illud mihi comparaui, ita & vos magnis laboribus comparetis. Hæc Iesu Christi sententia sublimis est & profunda, qua suæ Ecclesiæ pastoribus indicat quanti sit valoris Prælaturæ officium , quod non precum aut

magna

magna pecunię copia comparari debet, sed meritis & laboribus duntaxat, eo quod in Ecclesia Dei officia & dignitates non qui plura possunt, conferri debent; sed ijs qui plus merentur. Quod discipulis suis dixit Christus, *Ego dispono vobis regnum*, indicauit se malo conferre non posse Prælaturam, quandoquidem in omnes ei dominium & potestatem contulerat Pater, quia bonus erat: siquidem inter Ecclesiæ officia, Prælatura ipsi maximè curæ est, & cuius strictissima est reddenda ratio. Super hæc verba, *Ego dispono vobis regnum*, dicit S. Chrysostomus, quod ille qui bonus non est non debeat Prælaturam in Ecclesia præsumere acceptare: quoniam bonæ vitæ contemplatione filio suo Prælaturam contulit Deus Pater: sicuti enim oculi puritas ne vel vnam in se tolerare potest paleam, sic ne vnum quidem vitæ peruersæ virum pati potest Prælaturę officium. Dicit in suo pastorali S. Gregorius, quod prius multo sancto Petro dixerit Christus, *Sequere me, Marci.2* quam; *Pasce oues meas. Ioa.21.* Vnde innuit nulli ouium curam committen-

mittēdam, nisi ei qui primo Christum sequutus est: Prælaturæ enim officium non ei qui bonus putatur futurus committendum est, sed qui de facto bonus & talis approbatus est. O quam multi pro tempore in Ecclesia prius hanc Iesu Christi vocem, *Pasce oues meas* audire cupiunt, quàm, *Sequere me*: id est qui prius Prælati fieri cupiunt, quam boni probari & de facto tales esse. Vanum est profectò hoc cogitare, immo temerarium magis id idem acceptare: eo quod multi sua libertate & dignitate vti nescientes ex bonis mali euaserint, cum è contra ex malis boni euadere debuissent.

Dum Sancto Petro dicebat Christus, *Sequere me*, exhortabatur eum ad benignitatem, humilitatem, castitatem, patientiam, abstinentiam, & obedientiam, & sic sciebat Sanctus Petrus nulli ouium committendam curam nisi ei qui Christi vestigia sequebatur. Sciendum primum Iesu Christi verbum S. Petro dictum hoc fuisse, *Sequere me*, & vltimum; *Pasce oues meas*, & quod inter hæc duo verba S. Petrum in multis

rebus

rebus probauerit Christus, quodque cum Christo multos arduos labores tolerarit. Vnde concludere possumus, nullum in Ecclesia Prælaturam acceptare debere, nisi prius in multis heroicis actibus probatus sit. In S. Matthæum dicit S. Hieronimus, multos S. Petri cathedræ succedere cupere, paucos autem cum illo Iesum Christum sequi velle: ratio est, quod scilicet non vt diligentius laborent Prælaturæ officium acceptent; sed quo commodius quiescant, meliusq; genio suo indulgeant. Scribens Eugenio *Papæ* S. Bernardus inquit: Crede mihi & nullatenus dubites sancte Pater Eugeni, si S. Petri successoribus sedes & cathedra cõferretur conditione eius imitandi vitam, quam si non imitarentur, illa sede priuarentur, ego miser peccator iuro, plures futuros aratores quam pastores, *Vade & præcede populum, vt possideant terram quam iuraui patribus eorum* dicebat Dominus S. Moysi. (*Exod. 33*) quasi diceret: In Aegypto cum filijs Israel pepigi me terram promissionis daturum, illosque meos semper futuros, ideo te eo-

rum Ducem elegi, illi autem te Prælatum elegerunt, quod obſequio meo benè cedet, & tui officij conditioni, vt ſcilicet ſemper eos præcedas, & te ſubſequantur illi, quo in difficilioribus vijs tecum tuti ſint, & te ante inimicos conſpiciant. Super hæc verba dicit Origenes, Credendum inquit eſt, è ſexcentis hominum in deſerto exiſtentium millibus alios alijs fortiores fuiſſe, alios alijs ditiores & opulentiores, & quoſdam Moyſe magis expertos, Moyſi tamen imperatum eſt vt populum præcederet. Quibus docemur bonum Prælatum debere primũ in laboribus & periculis eſſe. Tẽpore quo Dei filius paſſionẽ inchoaturus & noſtrę redẽptionis myſterium completurus erat, diſcipulis ſuis imperauit, non ſolum vt à pugna abſtinerent, ſed & ab euaginatione gladij, ille enim vt bonus Prælatus & paſtor periculis ſe obiecit, diſcipulos tuto exponens loco. De magno illo duce Alcibiade narrat Plutarchus, quod in nullis vnquam bellis ſiue periculis dixerit, Ite, ſed eamus: pugnate, ſed pugnemus: facite; ſed faciamus; ideò à ſuis maxime

me dilectus est, & ab alienigenis super omnes Græcos magni habitus. Debet ergo suos in oratione & horarum recitatione, in labore aut vigilia, ieiunio & disciplina, omnibusque actionibus bonus Prælatus præcedere, eo quod magis Prælati factis quam dictis moueri soleat humanus animus. S. Anselmus super hæc Christi verba, *Venite post me*, dicit, non sine mysterio Deum Moysi præcepisse vt præcederet, & sancto Petro vt sequeretur: per hæc enim monemur bonum pastorem ita oues suas quas regit debere præcedere, vt Iesum sequi non omittat, ne aberret, sic vt ad viam cœli capessendam debeat in Prælatum oculos figere subditus, & Prælatus in Iesum Christum. Inter Prælatos hodiè plures cum Moyse præcedunt, quam cum sancto Petro Iesum sequantur. Sed in hoc præcedunt, ad primò introeundum, ad bonum & suaue hauriendum vinum, ad delicatos comedendus cibos, ad curiosas vestiendas vestes, ad mundum sæpius frequentandum, ad liberius viuendum, ad regulas monasticas minus seruandas

uandas cæteris: ſic vt ad voluptates ſumendas primi ſint, ad ſuſtinendos labores autem vltimi. *Simon dormis* inquit Chriſtus S. Petro, *Marci.14.* quaſi diceret, Si ſacri mei Collegij Prælatus eſſe cupias meiqúe gregis ſuſcipere curam, alijs quieſcentibus tibi orandum eſt, & illis dormientibus vigilãdum: ſub pigri enim cuſtodia Prȩlati, tutus non poteſt eſſe grex. Non ſine myſterio cæteros in terrã cũ S. Petro ſine cura proſtratos nõ redarguit Chriſtus ſed S. Petrum duntaxat. Quibus inſinuat, Prælatos laboribus maioribus q̃ ſubditos aſtringi. mori enim nõ tenetur ſubditus niſi ob ſuæ legis confeſſionẽ, ſed Prælatus tũ propter legẽ cũ propter gregem mori tenetur. Quam multis paſtoribus hodie poſſet Chriſtus obijcere, *Simon dormis?* quibus nulla ſubditorum eſt cura, ni eos ſibi vtiles eſſe conſpexerint, immo ſȩpius ſui religioſi peccatũ diſſimulabit Prælatus dũmodo ſibi obſequio ſit. *Simon dormis,* poterimus obijcere Prælato qui videns ſubditum pacis fractorem, honoris cupidum, denariorum poſſeſſorẽ, laſciuũ, Monaſterio egredientẽ, in verbis impudicum,

dicum, quem tamen ob familiarem quandam amicitiam vel commodum ab eo acceptum tolerat. *Simon dormis* obijciemus Prælato cui nulla oues inuiſendi cura eſt, ſed tondendi; non paſcẽdi, ſed lac mulgendi: non ſanandi, ſed deglubendi; non ſcabiem vngendi, ſed lanam abſcindendi; non eas à lupo defendendi, ſed eis ſua auferendi: ſic vt omnem curam, non earum animabus ſaluandis apponat, ſed ſuis reditibus & commodis augendis. Si de ſomno temporali agamus, æquè eo grauatur S. Petrus atque alij, quandoquidem labore caſſus cæterorum more foret. Sed eum ſolum redarguere voluit Chriſtus, vt per illum omnes alios Prælatos ſuper gregem vigilantię moneret, ne eum exedat & deuoret diabolus. Dicit S. Baſilius in regula ſua: Pudendum eſt dicere, ſed facere magis pudendum, ſcilicet multos in Monaſterijs Monachos & plures in mundo ſæculares ſcientia & bona conſcientia pudore & experientia carentes, audere multa importunitate Prælaturas in Eccleſia Dei procurare, ac ſi in religionis aſperitate & rigore expertiſſi-

pertiſſimi eſſent. Quamuis ergo vt Saul electus ſis, vt Dauid vnctus, vt Moyſes ſignatus, vt S Petrus probatus, tamen tremere & vereri debes in Prælaturæ acceptatione, ideoque minus eam ſollicitare. Prælati officium non debet deſiderari, ſed ab animo excludi & non peti; non procurari, ſed reijci; non acceptari, ſed negari; non humeris imponi, ſed deponi: ſi. n. probus ſit Prælatus, nō carebit inuidis ac æmulis, ſi peruerſus, non conſcientiæ offendiculis. Quid quærit quæſo ille qui Prȩlaturam quærit? vicinorū, vt illi de vitijs ipſius inquirant inuidiam procurat, amicorum animaduerſionem, & pro honore ſuo periculum, pro perſona laborem, pro conſcientia offendiculum, pro inimicis occaſiones, à ſubditis viſitatiões & à Prælatis punitiones. Si quondam laborioſa fuit Prælatura, nunc multo laborioſior eſt, quod gubernantium finierit charitas, ſubditorum perierit obedientia, mundanorū refrixerit pietas, ſicvt hodie nihil aliud ſit prælatura, quã longum martyrij genus. De laudibus S. Pauli agens S. Chryſoſtomus, inquit:

cum sancto Petro huius mundi mare
deserere, desere occasionum nauem, de-
sere deceptionum retia & laqueos, de-
inde Iesum Christum adi, & eum pas-
sim sequere, si tibi postmodum dicat,
pasce oues meas, pascere poteris, sed vide
ne illud officium procures: Prælatura
enim officium est adeò offẽdiculis ple-
num, vt simul ac illud quispiã procurat,
se illo statim indignum reddat. In sua
regula dicit S. August. magnũ esse peri-
culum cum Monacho prælaturam an-
helanti viuere, quod nunquã vllã sit in
Monasterio futura pax: talis enim si prę-
latus euadat, ambitiosus erit: si subditus,
bulliens & inquietus. Super hęc verba,
Simon Petre diligis me plus his? dicit Gre-
gor. Nazianz. Non sine sublimi myste-
rio S. Petrũ nõ rogauit Dominus, volẽs
eum suum cõstituere vicariũ, num be-
nignus, pius, castus & sobrius foret: sed
num se obnixè cæterisqúe sui collegij
magis diligeret: docens, nulli suæ Eccle-
siæ prælaturam cõmittere velle, nisi qui
eum maxime diligeret. Si dixisset dũ-
taxat Christus: *Simon diligis me*, sine par-

ſecula hac, *plus his*, ſolito famuli in herum amore contentus videretur, ſed addendo *plus his*, Sanctum Petrum cæterosque prælatos ſucceſſores ad Dei filium præ cæteris omnibus amandum eique obſequendum deuinxit: ſecus enim prælatus non foret, ſed tyrannus, ſi ſubdito melior non eſſet. *Plus his*, hoc eſt, quod prælatus cæteris humilitate & manſuetudine prælucere debeat, nunquam enim debite ſuo fungetur officio Dei famulus, ſi credat prælaturam officium adeò altum & ſublime ei ob ſua merita datum. Debet eſſe *plus his* prælatus, hoc eſt, debet cæteris omnibus magis pius maiorique charitate præditus eſſe: non enim ſe bonum habere debet Prælatus, qui charitate caret. Debet *plus his* eſſe prælatus, nempe laborum & pœnarũ cæteris omnibus magis patiens: Sicuti enim incus eſſe debet, in qua elaborandũ & malleo cudendũ eſt ferrũ, ſcopuſq; in qu[...]ollimatur: ſi ſuorum Monachorũ fragilitates & iniurias diſſimulare nequeat, ſemp agitabitur & turbabitur, ideoque nunquam pace & quiete fruetur Monaſterium. Debet *plus*

his esse prælatus, hoc est, in vitæ norma omnibus magis sobrius, magisqúe in cibo temperatus: nullum enim Monasterio maius posset accidere scãdalum, quam prælatum eructantem crapulam, vinoq́ꝫ plenum videre, murmurãtibus interim subditis & fame oppressis vociferantibus. Debet *plus his* esse prælatus, scilicet cæteris omnibus in verbis sagacior, & in orationibus prudentior, ex ore prelati siquidem non solum malitiosum non debet emanare verbum, sed nec otiosum. Debet *plus his* esse prælatus, videlicet in cõuersatione rectior, in affectu complexioneq́ꝫ cæteris tenerior & benignior: huiusmodi enim debet apud subditos esse fidei, vt suas necessitates ei declarare non vereantur probi, & nihil inhonestum rogare peruersi. En hic superabũdãtẽ Iesu Christi in S. Petro requisitũ habes amorem, virtutesqúe prælatis requisitas. Vnde concludimus, in prælaturæ collatione, non quod apparet, sed quod mereatur vita, spectandum esse.

Peri-

Pericula Prælaturas ambientium: peccata, tum negligenter id officij exequentium, tum impositum detrectantium.

CAPVT XIX.

TV *pasces populum meum Israel, & tu eris dux super Israel*, dicebat regi Dauidi Dominus Deus: (2. *Reg.* 5.) quasi diceret, Non te latet Dauid, quod inter duodecim tribus tuam regalem constituerim, & te è septem fratribus elegerim; vt Rex Israel fieres. Quod autem te Dominum constituerim hæc causa est, vt pastor ouium factus, earũ curam geras, ne à lupis deuorentur. Hic duobus verbis complectitur sacra scriptura, quod multi multis scripsere libris & sententijs, hoc est, Prælati esse ouibus quæ ad victum necessaria sunt subministrare & eas è locis periculosis educecere. Sciẽdum ergo imprimis est, quod debebat bonus Prælatus & pastor ad pascendas oues bonis muniri herbis, & vias callere quib⁹ eas ducat & reducat, luposque cognoscere, à quibus eandem

arceat, & vigilare vt sciat qua sint illi lupi venturi. Qui vno horum carebit, videat ne se in pastorali officio decipiat: summæ etenim leuitatis esset se rei impossibili deuincire, & magnæ temeritatis non intelligenti talem conferre curam. Notandum hic quod non dixerit Deus: *Tu pasces teipsum*, sed; *Tu pasces populum meum*; quibus insinuat, quanta Prælato suæ familiæ debeat esse cura, & quam exigua suiipsius: minor enim suiipsius quam aliorum ipsi debet esse cura, cum publicum sit prælati officium. Cuidam Abbati suis voluptatibus addicto scribens S. Bernardus inquit: Te Abba Maure cõiuro, vt tui tantam non habeas curam, quandoquidem mei curam susceperis: quoniam ego vt subditus tibi soli deuincior, tu autem vt Abbas toti conuentui. Super hæc verba: *Simon diligis me*, dicit S. Chrysostomus: Non rogauit sanctum Petrum Christus, num pinguiorem Episcopatum, Abbatiam, aut Prioratum desideraret, sed duntaxat num eum cæteris omnibus magis diligeret: nunquam enim viro maioris

præ-

præsumptionis, sed melioris vitæ confert prælaturam Deus. S. Bernardus super hæc verba, *Pasce oues meas*; dissenrens inquit, quomodo eum Iesu Christi pascere oues credam, qui nullum quærit Episcopatum nisi pinguem, nullam Abbatiam nisi locupletem, qui nullo vult residere loco nisi populoso, qui nullum nisi suum familiarem amicum, vult habere prælatum? Quis eum Iesu Christi pascere oues credet, qui nullam prælaturam in Monasterio, in quo nihil ad expendendum argenti est, nihil annonæ, nulli ad equitandum equi, nulli ad deambulandum horti, in quo nihil ad comedendum grani, & nihil ad bibendum vini est acceptare vult? Quis eum Iesu Christi pascere oues credet, qui prælaturas non vt operetur, sed vt quiescat quærit, & non vt suam salutem procuret, sed vt suo indulgeat genio? Quis eum IESV Christi pascere oues dicet, qui ex pauperum bonis lauta facit conuiuia, & qui è Monasterij reditibus sibi hoc in mundo amicos comparat, & ad quendam suæ

cognationis educãdum ac promouendum, iustam & ordinariam Monachis rescindit portionem? Huiusmodi bestijs suarum ouium curam committi non vult Christus: eo quod boni Prælati & pastoris scopus esse debeat, vt suę animæ, & suæ Reipublicæ saluti inuigilet. Hæc supradicta à S. Bernardo desumuntur. Idem S. Bernardus super hæc verba Apostoli ad Timotheum, 1. *cap.* 3. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, hæc ait: sententia quæ dicit, quod ille bonum opus desideret, quicunque Prælaturam desiderat, tempori isti conueniebat: eo quod in primitiua Ecclesia primo sedens loco, primus martyrium subibat: sic vt ille qui tunc Prælaturam desiderabat, martyrium desideraret. A Iesu Christi morte vsq; ad Constantinum elapsi sunt trecenti & viginti amplius anni, quorum spatio nullus in ecclesia Dei fuit Episcopus, qui nõ graui aliquo malo vexatus, vel martyrij corona sit coronatus: adeò vt prælatorum præcipuus tunc reditus mors foret. Quoniam autem in primitiua Ecclesia prælatis nulla erant quæ mererent,

rent, & in honoris reconderent grana, sed solæ pascendæ oues, ideò eas docere, & ad earum defensionem mori tantum, parati erant. Sed, proh dolor, vbi eos ditauit Constantinus, statim martyrium pati desierũt. Ille equidem *bonum opus desiderat, qui Episcopatum desiderat;* qui Prælaturam assumit, vt operetur, non autem vt liberè viuat: si autem ob libertatem, non verò ob laborẽ illum acceptet, seprofectũ turpiter decipit, & omnium totius mundi maximè seruus viuit: maior quippe est seruitus, animo esse molestia & solicitudine onusto, quàm pedibus cõpedibus. Dum autem dicit Apostolus, quod *bonum opus desiderat, qui Episcopatum desiderat*, innuit eum magnam suscipere curam, qui animarũ regimen suscipit, eo quod toties mori dignus sit Prælatus, quoties suo malo peccant subditi. His verbis, *Bonum opus desiderat, qui Episcopdtum desiderat*, Prælatum perpetuo deuincit labori Apostolus, sine vlla quietis obtinendæ spe. Permittuntur quædam subditis recreationes, quibus vti non sine scandalo possent prælati. Sicuti sanctus ille

Moyses & magnus sacerdos Aaron nunquam tabernaculo egrediebantur, sic nunquam vel rarò bonum prælatum Monasterio egredi decet: si enim quid sibi incumbat videre velit, cognoscet se plane similem ingredienti honestum & religiosum carcerem.

Duo in Ecclesia Dei Prælatorum reperio genera: primi, potiri possunt, & digni sunt, sed nolunt: huiusmodi mereri dicere possumus, si prælaturam humilitatis via acceptare nolint: peccare autē si pigritia & timiditate. Cum enim omnes Domini vineam colere debeamus, non ille vna hora duntaxat laborabit, qui toto potest operari die. Ille cui contulit Dominus Deus laborandi vires, regendi talentum, non minus peccat ad prælaturam vocatus eam renuens, quàm inidoneus eandem procurans. Quemadmodum in corpre humano indecenter oculi pedum fungerentur officio, & pedes oculorum: ita in Ecclesia Dei non potest ille qui idoneus est vt fiat subditus, fieri prælatus, neque ècontra. Horum Exodi cap. 4. exempla habemus, vbi apertè declaratur,

tur, quod magnus ille Moyses se à Prælatura quam ei in Synagogā contulerat Dominus Deus excusaret, dicens se balbum, & illius incapacem: tandem tam post longiusculam disceptationem, & detractationem, vt vidit Moysis capacitatem Deus, & Dei voluntatem Moyses, eam acceptauit. In suo pastorali S. Gregorius inquit, illum, cui contulit Deus cordis humilitatem, amorem pœnitentiæ, in laboribus patientiam, in cibo sobrietatem, in periculis prudentiam, in infirmos benignitatem, in rebelles & indomitos asperitatem, & tamen munitus hisce omnibus gratijs & donis prælaturam renuit, vt tanto quietius & magis odiosè viuat, æquè in die iudicij reum futurum esse, atque qui magna frumenti abundans copia, populum fame ferire finit. Addit insuper ille idem Doctor, quod dum dicit S. Petro Deus: *Si diligis me, pasce oues meas*, idem sit ac si diceret, Dum ego alicui gratiam & priuilegium me amandi confero, dum ad vicariatum meum & pastoratum destino, & tamen qui eo dignus est, illum respuit, indicat se

non amare me, quandoquidem otiosus meæ vineæ fructum comedat.

Per legem suã præceperat (*Deut.25.*) Dominus, vt frater fratris vxorem viduam sine liberis relictam in vxorem duceret: si nollet, vidua de pede eius calceamentum solueret, vocareturqúe domus eius, domus discalceati. Hac in parte Iesum Christum fratrem nostrũ dicere possemus, & viduã matrẽ Ecclesiã, cũ qua matrimoniũ cõtrahere, eiusq; regimẽ suscipere tenemur. Qui verò ab hoc labore non conscientiæ scrupulo motus, sed quod vereatur ne minor aliqua pauperiorúe ei conferatur Prælatura, vel quoniam nõ ita liberè & delicatè viuere posset abstinet, equidem ille vno pede nudo incedit, quãdoquidem sibiipsi soli viuat. Ille in sinistro pede calceos gerit, qui suiipsius duntaxat curam habet, & ille dextro, qui proximi salutem procurat. Ephesijs hac de causa mandat Apostolus, *cap.6.* vt in vtroque pede calceos gerant. Aliud Prçlatorum genus est, qui Prælatura adepta eam neque exercere possunt, neque sciunt, cum tamen prælati esse velint, pro-

prouenienshinc, quod ſtulti & ambitioſi ſint, curam quã ritè vti nõ poſſunt ſuſcipientes, & onus quod geſtare nequeunt humeris ſuis imponentes. Toleratur qui ex paupere diues, ex humili honeſtus, ex aratore eques euadere cupit; ſed eum qui indoneus eſt, & incapax Prælaturæ, neque vlla patientia tolerare poteſt, neque vlla lingua tacere. Non enim ſine euidenti ratione omnium mũdi optimus eligi deberet, quoties Prælatus quiſpiam eſt eligẽdus: iterum iterumqúe dico, quod in quauis electione omnium mundi optimis melior eligendus ſit Prælatus. Vt enim omnes ſimul verum Ieſu Chriſti corpus ſumus, ideò omnes ex parte noſtra vnicum iſtius corporis numerum referimus, ſolus Prælatus integrè Ieſum Chriſtum refert, legem ſuã prædicando, fidem ſuam defendendo, ſanctum nomen eius commendando, ſedens in ipſius cathedra. Vnde concludere poſſumus, tale officium nòn niſi familiari eius amico debere committi, quandoquidem Prælatus ſit Dei vicarius. *Ego ſum paſtor bonus, & bonus paſtor ani-*

mam suam ponit pro ouibus suis dicebat Christus, (*Ioan.* 11.) quasi diceret, Pastor sum, & quidem bonus, quia opera boni pastores exerceo, nulla siquidem in mũdo ouis, licet scabiosissima, pro qua animam meam non ponam. Super hæc dicit S. Chrysostomus, Non dixit Christus, Princeps sum qui impero, Capitaneus qui pugno, generosus eques, nobilis qui seruio, ab officijs sum qui laboro, dicit duntaxat sum pastor, qui greges seruo: docens nos, pastorale officiũ inter omnes Ecclesiæ status & vocationes sublimissimum esse, quoniam eo & non alio functus sit Iesus Christus. Si nos tantum pastores esse voluisset Christus, parum fuisset, sed quod nos oues cognoscere, & ab eis cognosci, immo eas pascere, & animam nostram pro ijs ponere voluerit, hinc verè officium est magis horrendum quam desiderandum.

In quadam epistola S. Bernardus inquit: O quam arcto se ligat ille nodo, qui se pastorem futurum profitetur, quandoquidem publicè honorẽ suum exponat, vitam & animam periculo, & omnis

omnia sua bona litibus, sic vt à die quo prælaturam acceptat, omnia quæ in hac vita habet periculo exponat. Ille inquam honorem suum periculo exponit, quia in ipsum conuitia iactabuntur; vitam, quia eam exponere, & pro subditis perdere debet; bona iurgijs, quia pauperes fouere debet, animam quoque periculo, quia si malus sit, condemnabitur: sic vt si qui tale officium procurat, quid agat sciret, illud etiam oblatum, renueret. Sanctus Gregorius in suo Pastorali inquit, Tunc animam suam pro ouibus ponit pastor, dum eas, vt animam suam amat; dum eas vt vitam suam defendit, dum eas velut propriam personam excipit, dum eas nunquam ne vel ictu oculi deserit. In sanctum Ioannem S. Augustinus inquit; Ille cum Iesu Christo animā suam pro ouibus ponit, qui in periculis primus est in luctu mediator, & qui adulationes flocci pendit: ille inquam, qui pauperes curat, & bonos protegit, è contra malos punit & flagellis excipit. Hugo de Monachorū claustro loquēs inqt, quod

quod Prælatus animam suam pro ouibus donat, dum pusillanimes confortat, debiles solatur, dum ab iracundis patitur, dum cum superbis & ambitiosis dissimulat, dum laboribus oppressos iuuat, & pro ęgris operatur, dum rebelles & indomitos corrigit, & dum in subditos se benigne habet.

Quomodo obligetur Prælatus quid in Monasterio fiat videre, & subditorum lapsus in charitate corrigere.

CAPVT XX.

ECce constitui te super regnum, vt euellas, destruas, ædifices, & plantes, inquit Propheta Ieremias, *cap. 1.* quasi diceret: Tu Ieremia Propheta es super duodecim regna Israel, & istius magni populi Hierusalem prædicator. Quod verò tibi illud officium onusquè cōtulerim, hæc ratio fuit, vt funditus euellas, & destruas quod malum est, cuius loco omne quod bonū est, ædifices & plantes, Hic apertè Prælato finem, cur eum

Præ-

Prælatum constituerit, designat Dominus Deus, & has esse officij pastoralis conditiones dicit. Nihil erit Iesu Christi Prælato, qui hęc intelligere & ruminare voluerit, quod amplius scire vel inquirere necesse habeat: quoniam his verbis quid agere, & à quibus cauere debeat videt. Notandum & pōderandum est, quod Ieremiam ad eradicandum, destruendum & dissipãdum mittens Dominus Deus ipsi non dixerit quid eradicare, demoliri & extirpare deberet: sic vt eum hortulanum esse voluerit, antequam ei hortum assignasset. Hoc mandato nobis declarans, hoc in mundo quouis die tot peruersos reperiri homines, tantaque oriri delicta vt vix mundari possint, multo minus eis remedium adferri, ideoque ille Pręlatorum discretioni, & iudicio relinquit, vt sicuti singulis diebus illa vitia nascuntur & crescunt, ita ab eis eradicentur & dissipentur. *Hoc mare magnum & spatiosum, illic reptilia, quorum non est numerus*, inquit Psalmista: (*Psal.* 103.) quasi diceret, Huius vitæ res consideranti, mihi visa est terra mari periculis plenior,

plenior, & quod plures in ea quam in manis gurgitibus perirent aduerti. Vidi cœli numeratas aues; per terram autem vagantes innumerabiles. Per cœli aues denotãtur iusti, per animalia terræ peccatores. Quod autem dicat Propheta se plura auibus vidisse animalia, innuit quod multo plures peruersi homines per res terrenas ambulent, quam probi & boni per legis Dei mandata. Toto militantis Ecclesiæ tempore farinæ admiscetur furfur, aurum rubigine commaculatur, rosa spinis circundatur, medulla ossibus includitur, vinum spinosis racemis, & peruersus homo bono & probo miscetur: nec enim Prælatus in sua Ecclesia ob alium finem constituit Dominus Deus, nisi vt his malis mederẽtur, hoc est, vt correctionis fornace aurum à rubigine separetur, bonâ disciplinâ rosa à spinis, pastorali cultro ab ossibus medulla, & bonæ vitæ cribro à farina furfur semoueretur.

Porrò qui his malis medendis non se occupat, cur quæso se prælaturis onerat? Hunc potius furem & vagum,

quam

quam verum pastorem & Prælatum dicemus, qui à Deo vt hortulanus fiat vocatus, fit mundanus: & cui vt vrticas euellat præcipit idem Deus, se rebus prophanis tamen occupat, & cui hortum colere, incultum tamen sinit, & cui agrum diligenter conseruare, ne semel quidem eum visitat, nisi dum reditus fructuum est collecturus. Nec quoque sine mysterio non simpliciter Ieremię præcepit Deus, vt euelleret & dissiparet omne id quod malum erat, sed vt sic euelleret, ne vel vna superesset radix, qua cum herbis eradicata nihil amplius cresceret, nedum vlla reliquiarum pars. Hoc adeò notabili exemplo sui officij commonefieri debēt Prælati, quatenus sic grauia peccata puniant, & ita viuaciter enormes extirpēt excessus, vt eorum omnes patratores puniantur & terreantur, ac omnes qui eos viderint resipiscant, & melius agāt. Cùm verò multa sunt peccata, & à personis magnis commissa, si ea corrigi & extirpari non possint, præstat dissimulare, quàm ea punire: si nullum enim ex correctione possit promi commodum,

modum, cauendum est à scandalo. Non est pastor; sed præuaricator qui bona sibi commissa inutiliter dissipat propriamqúe suam personam, non vt subditis remedio sit futurus exponit sed vt inimicos vlciscatur; & quod omnium est grauissimum, qui iniurias Deo illatas dissimulat, sibiqúe illatas nullis ignoscit. Porrò contrarium nos docuit Dei filius, qui proprijs manibus flagellauit, téplo patrē suū offendentes expulit, & in cruce pro crucifigentibus orauit, volens hoc adeò heroico actu omnes prælatos iniuriarum sibi illatarum statim obliuisci, sed vlcisci eas quæ Deo inferrentur: siquidem prælati officium nihil est, nisi æquilibrium pondus iustificans, & amussis recta ædificium pulchrè consummans. Ille profectò reprehensione immo punitione dignus est prelatus, qui inordinata quadam affectione, se inordinate in subditos gereret: eò quod nihil sit vnde de prælatura prælatus deponi mereatur magis, quàm dum in conuentu factiosus & seditione plenus reperitur.

In Domini nostri Iesu Christi Collegio,

legio, illius particulares & familiares amici erant, & S. Petrus & S. Ioannes eius cognatus, quorum vnus dum non quod debebat rogasset, & alter quod non conueniebat dixisset, S. Ioannem monuit dicens: *Nescitis quid petatis*, & S. Petrum arguit his verbis: *Vade retro Sathana.* (*Matth.* 20. *& Marc.* 8.) Hoc exemplo omnes discant Prælati, quomodo se in familiares amicos habere debeant: vt scilicet nullam amicitiæ cum eis legem seruent, dum eos Deum offendere, & regulam transgredi viderint. Habeant illum sibi duntaxat in Monasterio amicum, quem omnium maximè probum nouerint.

Secundum ergo preceptum Domini Ieremiæ factum, debet Prælatus à corde omnem euellere affectionem & passionem: vt verè enim & liberè loquar: Ille potius tyrannus quam prælatus dicendus est, qui ab omnibus sibi obsequium præstari vult, à tribus autem vel quatuor tantum diligi. Propterea quod nullus bonus fieri prælatus possit, nî se à passionibus & affectionibus liberum reddat: ideo etiam aduertere debet, quod

quod statim vt sibi aliquem familiarem amicum elegit, se seruum & mancipiũ efficiat: amoris enim iugum, longè obedientiæ humeris nostris iugo imposito grauius est. Quocirca animo ab omni affectione & passione immuni, seriò sui Monasterij correctioni & regulis inuigilare debet: aduertendo scilicet, num subditi Euangelium quod se in baptismate obseruaturos iurarunt, & regulam quam profitẽdo polliciti sunt, obseruent. In his duobus enim nulla debent dissimulari vitia, neque impunita relinqui. Immò iterum dico, Prælatos verè de vitijs inquirere debere & peccata viuaciter euellere: si enim ea cognoscat, & ijs non medeantur, statim ea ab eis probari dicentur, quandoquidem illa non corrigantur. Sicuti *modicum fermẽtum totam massam corrumpit.* (*1. Cor. 5.*) & olei guttâ tota commaculatur toga, & exigua scintilla tota incendio conflagrat domus, sic consuetudine remissa, vel vitio abscõdito & dissimulato integræ domus & familiæ in interitum proruunt. Dicit in Psalmos S. Ambrosius, Prælatũ magni

ea fa-

ea facere debere quę mũdus flocci pendit, veluti temporis iacturam, inordinatam loquacitatem; nimirum esum, curiosas vestes, dissolutas deambulationes: nam hæc omnia ita Dei famulo ad perfectionem tendere voléti necessaria sunt, sicut Dei mãdata ei qui Christianus fieri vult. In vitæ solitariæ libro reperiuntur hæc scripta verba: nimirum, quod bonus pastor à suo consortio omnem nouam consuetudinem, omnem antiquam passionem, omne inueteratum vitium, omnes incorrigibiles religiosos eijcere debeat, quod vnumquodque horum ad dissoluẽdum & ordinem benè vnitum exterminandum sit sufficiens, quanto magis ergo vnicum Monasterium? *In pectore Aaron erat rationale, & nomina duodecim Tribuum scripta in eo*, inquit scriptura, (*Exod. cap.* 28.) quasi diceret, Magnus sacerdos Aaron, nunquam tabernaculum sacrificia oblaturus ingredi audebat, sine rationali eius pectori adfixo, & duodecim Patriarcharum nominibus scriptis. Super hæc in suo Pastorali dicit S. Gregorius, quod Prælatum

tunc cordi suo rationale imponere, dũ omnes suas actiones rationi submittit; & tunc duodecim Tribuum nomina pectori suo insculpta habere, dum se secundum suorum prædecessorum regulas gerit, quod agendo neq; in mari, neque in terra à vera via deflectere potest.

Lycurgus magnus ille Philosophus suis Lacedæmonijs sub graui pœna prohibuit, non tantum externas consuetudines, sed & extra patriam peregrinationes: dicens, nullas vnquam in Republica oriri seditiones, nisi per eos qui nouas conantur introducere consuetudines. Nulli vel nobili, vel seniori permittet Prælatus, in victus & vestitus communi norma, singularem. Verendum enim est, ne libertatem quærendo, se à conuentu eximant: nobili enim sufficere debet, si ei reuerentia exhibeatur, & seni si toleretur. Videbit etiam prælatus, ne vllo modo eum qui in sua familia nouam quandam consuetudinem introducere vult, audiat: noua enim illa, nunquam inuenta, aut in medium producta sunt, nisi

nisi vel per ambitiosum vt promoueretur; vel per cholericum, vt vindictam sumat; vel per seditiosum, qui sese ostẽtare vult; vel per ignarum, qui quod agit ignorat. Scribens Lucilio Seneca inquit; Ne homines molestos & inquietos ames, te enim decipient: ne te nouis applices rebus, te enim omnino immutabunt, vt verè enim loquar, nunquam in Republica nostra noua vidi quin quoddam generarint scandalum, vel quin ea à stulto inuenta sint. Dum quispiam in Monasterium vestem suscepturus venit, non vt illud reformet ingreditur, sed vt seipsum: & dum profitetur, non pollicetur se eam quam ipsius instituet obseruaturum regulam; sed quam in Monasterio institutam reperit: sic, vt si talis quidpiam noui introducere conetur, hoc non nisi à leuitate & summa stupiditate oriatur. *Cumq; minasset Moyses gregem ad interiora deserti apparuit ei Dominus,* inquit sacra Scriptura, *Exod. 3.* quasi diceret, Cum sanctus Moyses, sui soceri Iethro oues pasceret, ac in interiora deserti introduceret, in rubo ardẽti apparuit ei Dominus, cumqúe tunc tẽ-

poris mille ouium dũtaxat esset pastor, factus est sexcentarum millium animarum postmodum ductor. Porrò cum in tota sacra Scriptura nullum sit non vtile & mysterio plenum verbũ, æquum est, vt ex hoc adeò notabili exemplo aliquem fructum referamus. Notãdum asserò est quod Moysi Dominus non apparuit, nisi cum solus esset, cum in deserto esset, cum pasceret gregem. Quibus insinuatur Dominum non se vitiosis neque vagis, neque ijs qui suo proximo familiariter non vtuntur communicare: non enim nisi ijs qui se familiariter suam gratiam confert Dominus. Gregem suum pascendum Prælato otioso, & rebus mundanis immerso non committit Dominus, neque tali in rubo apparebit, neque talem suæ Ecclesiæ Pastorem constituet, sicuti in sancto Moyse patet, cui sui populi regimen non commisit, nisi cum solum & suo officio fungentem reperit, (1. *Reg.* 16.) Custodiebat David oues dum Rex Israel vnctus est: Pascebat oues Moyses dum Synagogæ cõstitutus est princeps: Vigilabant super gregem pastores, dum

eis apparuit angelus : Conseruabat oues Amos, dum eum Prophetam constituit Dominus. Quibus exemplis cõcludere possumus, Dominum non otiosos, & vagos suæ Ecclesiæ Prælatos constituere velle. Notandum quoque est Dominum Moysi in rubo non apparuisse, neque suæ Ecclesiæ Prælatum constituisse, dum deserto gregem educeret, sed dum in interiora deserti deduceret. Vnde concludere licet, quod sicuti remisso & pigro suarum ouium curam non committit agricola, sic desidi animarum cura non est committenda. Suum gregem è deserto educi non petit Iesus Christus, sed eum in medio illius foueri: hoc est, boni Prçlati esse & pastoris, zelo quodam suos subditos in Monasterio custodire; non aũt pati eos per mundum ad eorum interitum diuagari: voluptuosus enim est mundus, peruersus diabolus, suis appetitibus agitata caro. Dei famulus maius detrimentũ sibi vno die suo Monasterio egrediẽs conciliat, quã decem in illo inclusus. In interiora deserti suum

gregem conducit Prælatus inquit Hu-
go in animæ claustro, dũ plus temporis
in consolationibus spiritualibus, quam
in corporis recreationibus impẽdit, dũ
magis ad subditorum profectum ope-
ratur, quã ad complacentiã: quo sapidi-
or enim est animæ cibus, eo difficilius
obtinetur. Tũc in interiora deserti gre-
gem suum ducit Prælatus dũ suũ Con-
uẽtum & Monasteriũ reformare cona-
tur; bona enim fama coram hominibus
prælucere nõ minus tenẽtur Dei famu-
li, quã corã maiestatis diuinæ oculis bo-
na conscientia. Tum quoq; in interiora
deserti suum gregem ducit Prelatus, dũ
subditos mundi huius negotiationibus
se immiscere non compellit: dum eis
nihil cõscientię noxiũ imperat, dum eis
peccandi nullam præbet occasionem,
dum eis licentiam per mundum diua-
gandi non concedit: eo enim apud De-
um in minori est pretio Dei famulus,
quo apud mundum in maiori est. In in-
teriora deserti inquam suum gregem
ducit Prælatus, dum subditos humilita-
tem in officijs, in laboribus patientiam,
in cibis abstinentiam, in tentationibus
resi-

resistentiam, in virtutibus constantiam docet, sine quibus nullo modo Dei famulus cum fratribus conuenire potest, neque Diabolum superare. O quã multi hoc tempore in Ecclesia Prælati, qui in deserto gregis sui pascendi nullam gerunt curam? vel si gerant, ideò gerũt, vt norint quomodo ouium lac promẽdum, quomodo vellus ab eis extorquẽdum, vel quod grauius est, quomodo pellis auferenda sit. Sic vt illam Ecclesię numero non asscribant, quę nullum casei vel lanæ reditum affert. Hæc supradicta omnia ex libro Hugonis desumpta sunt.

De lingua & malis quæ committit, quæ omnia sacræ scripturæ exemplis probantur.

CAPVT XXI.

A, *a, a Domine Deus: ecce, nescio loqui,* inquit Propheta Ieremias Cap. 1. loquens cum Deo; quasi diceret, O Domine & summe Deus Israel me in matris vtero sanctificasti, ne te offendere valerem, & postquam hunc mundum ingressus sum, me ad annunciandum

verbum tuũ Prophetam ordinasti: sed scias me balbum & lingua impeditum Domine, sic vt neque concionari, neque loqui valeam. Dum cum Moyse loquutus fuisset Dominus Deus, & ei sua arcana communicasset in rubo apparens præcepit, vt ad Pharaonẽ suum populũ captiuitate & seruitute liberaturus accederet: at ille se balbum talisq́ue propter impedimentum linguę officij incapacem respondit, cupiens id officij audaciori & eloquentiori committi. Non sine mysterio loquela caruit Ieremias, dum eum suũ Prophetam constituit Dominus Deus, & loqui non potuit Moyses loquente cum ipso Domino: vnde, quam dispar cum Deo & hominibus sit loquendi modus colligi potest, eo quod cum hominibus verba habẽtes perpetuo loquamur, cum Deo autem taciturnitatẽ addiscamus. Longe ergo Dei agendi modus mundanorum modo differens est: cum in nulla re se sanctificatũ ostendit Ieremias, nisi quod statim mutus factus sit: & se cum Deo loquutũ non aliter ostendat Moyses, quàm quod statim balbus factus sit: nec

nec se sancti Spiritus gratiam recepisse, alio signo demonstrent Apostoli, nisi q. alio quam antea loqurētur modo. His exemplis apertè docet scriptura, primò linguā refrenare maximè necessarium esse ei qui suam vult corrigere vitam: incōpatibilia enim in homine sunt mala lingua & bona cōscientia. *Mors & vita in manibus linguæ* (*Pro.18.*) inquit Salomō, quasi diceret, desiderabiliū, vt vita optimū; ita nihil morte terribilibus est: vincere enim omnia vegetas: mors autem absumit. Dum dicit (*Matt.26.*) Christus *Transeat à me calix iste*, ostendit se mortem timuisse, & dum dicit Apostolus, (*2. Cor. 5.*) *Nolumus exspoliari*, declarauit quantū vitam amaret. Vnde mirum nō esse colligere possumus, si quod amarūt & horruerunt iusti, idem ament & exhorreant peccatores. Quod dicat Salomon mortem quam ita formidamus, & vitam quam vsqueadeo amamus à linua qua loquimur dependere, profectò hoc & experiri dolēdum, & molestum audire est, eo quod illud quod à nobis tanti fieri debebat, poterat tutiori loco quam linguæ manibus committi.

Ad hæc dicit S. Chrysostomus, linguam eodem in ore fungi officio, quo in domo porta. Quod dicat proinde Sapiens, *Mors & vita in manibus linguæ*, hoc est, quod quauis hora ad nos deferendos portæ immineat vita, & quod eidem mors adstet ad ingrediendum. In nulla corporis parte periculosius, quam in ore & lingua collocari potuissent vita & mors, eo quod per illa à nobis sine loquela recedere possit vita, & mors non vocata ingredi. *Habemus thesaurum in vasis fictilibus*, inquiebat (2.*Cor.4*) diuinus ille S.Paulus loquēs vt tristis: quasi diceret, Nobis Christianis admodum graue est, quod in adeò fragilibus & perituris vasis thesaurum nostrum gestemus, in intellectu fidem videlicet, in voluntate charitatem, in oculis notitiam, in auribus auditum, in manibus misericordiam, in ore abstinentiam, in corde & corpore castitatē, in animo amorem, in lingua vitam. Equidē vellemus, si valeremus tam preciosas & exoptatas virtutes in vasis tutioribus, nec ita corruptibilibus velut in membris nostris quę putrefient gerere,

eo quod

eo quod cum summo periculo attingantur illa, & facillimè frangãtur. Profectò sub potestate linguæ constituta vita nostra summopere periclitatur: cum enim ossa quę eam firmam teneant non habeat, sed duntaxat neruum, ideo sæpè neque quod ei imperamus pronunciare valet, neque quod eius fidei committimus conseruare. Quod dicat Salomon, inquit S. Gregorius; *Mors & vita in manibus linguæ*, hoc est, quod quibusdam benè loquendo salutis occasionem contulerit lingua, & quibusdam perditionis: molestum enim quoddam verbum, magis nobilem & generosum animum lædit, quàm rusticum hominem cultri ictus.

Rogante Deo Cain cur fratrem suũ Abel interfecisset, indebitè respondens ait, *Maior est iniquitas mea, quam vt veniã merear*. Super hæc verba dicit S. Augustinus: Mentiris proditor Cain, mentiris; longè enim Dei misericordia iniquitate tua maior est: ipsi enim indulgere proprium est, & vlcisci impropriũ. Euidenter apparet quod longè grauius in suis verbis quã in factis peccarit mi-

ser ille Cain : fratri enim letali verbere vitam ademit, seipsum autē propria lingua iugulauit. Turpe & infame peccare est ; sed de Dei misericordia desperare diabolicū est : eo quod grauius peccemus Deum nimij rigoris accusantes, quam in ipsum quoddam committentes peccatum. Dicit Euangelistarum vnus, (*Mar.*15.) Iesum Christū hora tertia crucifixum, alter verò (*Luc.* 23.) hora sexta. Huius autem difficultatis nodus est, quod hora tertia Pilatum rogarint Iudæi vt crucifigeretur, & hora sexta eum crucifixerunt: sic vt hora tertia eū lingua, hora sexta verò clauis crucifixerint. Graue oportet sit linguæ peccatū, quandoquidē illi qui eum linguis crucifixerunt æque criminis rei sint, atque qui ipso facto cruci affixerunt. Secundum S. Augustnin. verò in Psal. 142. *Domine exaudi orationem meam*; magis rei sunt qui linguis eū crucifixerunt, quam qui clauis, vti apparet ex eo quod pro carnificibus orarit Dominus, quia ignorarent quid agerent, non autē pro Hebræis, qui quod peterent sciebant. Sui exercitus & bonorum, imò honoris &

vitæ

vitæ iacturam fecit rex Senacherib, nulla tamen in vrbem Ierusalem depopulatione & direptione, vel nece facta, non quidem propter acta, sed propter dicta. Plurimi ante Sennacherib illo grauiora multa commisere mala & incommoda: nihilominus non adeo grauiter plexi sunt, quod quamuis lanceis & armis hostiliter egissent, linguam tamen à malis verbis custodissent: sed grauiter ille plexus, quod indecenter loquutus fuisset. Hoc exemplo docemur, æquum & iustum esse, in suo regno Reges, & in suis Monasterijs Prælatos æqua vti iustitia, inhonestũ autem eosdem peruesis vti verbis: Frequentius enim de verbis iniuriosis illatis cõqueruntur subditi, quam de disciplinis acceptis. Dicebat Nicias dux ille Atheniensium, boni esse militis se suo gladio formidabilem exhibere, & lingua laudabilem. *Pater Abraham, miserere mei,* inquiebat Patriarchæ Abrahæ diues ille epulo: quasi diceret, Pater Abraham miserere mei, impera dilecto tuo Lazaro, vt extremam digiti sui partem in

aquam intingat, qua linguam quæ hac in flamma vritur refrigeret. Hic conſi deranda epulonis exigua petitio, quamqúe exigua re contentus foret ponderandum; ſola ſcilicet aquæ gutta, qua linguā ſuam exardeſcentē refrigeraret: ſed Deus iuſtus eum exaudire nolens, petitioni non acquieuit: æquum enim erat ei tātillum aquæ denegare, qui micas de menſa cadentes Lazaro denegauerat. Myſterio plena res eſt, quod de nulla re ſic conquereretur infelix ille diues, & in nullo membro ita loqueretur, ſicut in lingua, cauſa erat, quod grauius lingua, quam alijs membris peccaſſet. Mirabile eſt, diuitem illum non de oculis quibus reſpexerat conqueri, neque de auribus quibus audiuerat, neq; de gutture quo ſe repleuerat, neque de manibus quibus palpauerat, ſed de ſola lingua qua offenderat. Vnde quantopere ab iſto declinare vitio debeamus ſerio monemur, cū illud adeò grauiter in alio mūdo puniat Dominus. A multo & quidem antiquo tempore moris fuit à refectione ludere, nugari, ridere, & genio indulgere, viuos vt aiunt ſepeliendo,

peliendo, & mortuos infamijs & detra-
ctionibus è terra educẽdo: sic vt sæpius
in mensa non amplius quam tria cibo-
rum sint genera, cum tamen amplius
quam sex, dentibus deuorentur, perso-
næ. Huius diuitis epulonis æmulatores
hodie in mundo multi reperiuntur di-
uites: hoc est multi sunt edaces, pota-
tores, loquaces & detractores, qui ad
eum locũ in quo nunc est cum eo ituri
sunt, cum hic eum sequantur: æquum
enim est, vt qui eum in culpa sequũtur,
eadem & pœna puniantur: Agens de
lapsu Luciferi S. Augustinus inquit:
Quod dixeris Lucifer te in cœli empy-
rei culmen conscendere velle, & te illic
sedem tuam collocaturum, tequé fu-
turum altissimo similem, æquum fuit
te è tuo statu labi, quandoquidem vo-
lueris quod nõ eras esse. Addit insuper
S. Augustinus quidpiam nobis notan-
dum, scilicet quod Lucifer non è cœlo-
rum culmine delapsus sit propter gulã
aut auaritiam, aut acediam, sed ob ni-
miam superbiam: vnde quod ex angelo
diabolus euaserit, non ei propter acta
hoc accidit, sed ꝓpter dicta, idololatriæ

Babylonj dixerant (*Genes.* 11.) se turrim adeò altam structuros, vt cœlum tangeret, qua se imposterum à diluuio liberarent, asserentes se propria virtute mortem euasuros, & Dominũ non amplius ipsis vitam ademturum. His porrò notandum, quod Dominus Deus pro tã enormi facinore, eos in proprijs personis, & bonis punire noluerit, noluit eorum agros deuastare, neq; eis vitam adimere, sed eos in linguis duntaxat punire. Vnde concludere possumus, Dominũ Deum non ita eis succensuisse ob ædificatam ex parte turrim, quam ob verba superbè ab eis prolata. Priusquam fatui illi Babylonij turrim erigere, & dicta dicere præsumpsissent; vno eodemque modo loquebantur omnes: sed commisso peccato statim eis vsum loquendi ademit Dominus. Poterat Dominus Deus eos omnes aquis immergere sicuti Aegyptios, vel excęcare sicuti Sodomitas, sed hoc ei nõ placuit, voluit eos duntaxat in lingua, qua eum mirum in modum læserant, & non in alio aliquo membro punire. Sed vtinam

nam atque vtinam omnes loquaces & obmurmuratores eodem in lingua plecterentur modo, quo isti Babylonij: asseuerarim: ego miser peccator, plures tribus linguas suas refrenaturos, & à multiloquio cessaturos. Iuueni Amalechitæ regis Saulis ei mortem annuncianti dixit David Rex: (2. Reg. 1.) *Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuũ loquutum est aduersum te, dicẽs: Ego interfeci Christum Domini:* quasi diceret, Hic coram Maiestate diuina protestor, ne me vitæ tuæ reum condemnet, quandoquidem te tuo ore morti adiudicaueris, dicens: ego interfeci Christum Domini, cuius togam ne quidem tangere debebas, multo minus ei vitam adimere. Notandum quod dum iuuenem illum Amalechitã morti tradi præcepit bonus ille rex David, hoc præceperit nõ tam propter homicidium ab eo patratum, quã propter gloriam, quam ex eo facinore sibi attribuebat: sic vt si miser iuuenis ille lancea regem Saulẽ occiderit, seipsum quoq; propria lingua enecarit. Supradicta itaq; recolligẽtes, dicim⁹

inui-

inuidum illum Cain, & superbum Luciferum, vanum Sennacherib, Babylonios, iuuenem Amalechitã forsan vita non priuandos in hoc mundo & in alio gloria fuisse, si suæ vitæ malo regimine contenti, insuper mala & iniuriosa verba non protulissent.

Quod malæ linguæ quæ in mundo sunt, sint ranarum plagis, quas Deus in Aegyptum misit longè peiores, & quid super hac re dicant Doctores.

CAPVT XXII.

EGo percutiam omnes terminos Aegypti ranis, inquit Dominus Deus Moysi, (*Exod.* 8.) quasi diceret; quandoquidem mandata mea rideat rex Pharao, nec dimittat populum meum, effundam omnes ranas quæ in lacubus & stagnis, in fluminibus & riuis sunt, in eorum domos, & in populum: sic vt comedere cogitantes suas mensas eis refertas, & dormire volentes ijsdem cubilia plena

sint reperturi. Hoc sine magno mysterio factum non fuit: quandoquidem enim veneno quo obsint, dentibus quibus mordeant, vnguibus quibus decerpant, cornibus quibus nocent careant ranæ, cur quæso eas ad puniendos Aegyptios misit Dominus, cum eis nullo modo nocere possent? Ad hoc respondeo & dico, quod quamuis armis nociuis careãt ranæ, linguis tamen quibus molestæ essent, non carebant. Vt enim clamosæ sunt (præter quod eorum domus, & arces eis repletæ essent) ita tamen Aegyptios suis clamoribus vexabant, vt neque seipsos audire, neque conuenire possent. Quod ad me, hanc Aegyptiorum plagam, hodiernam malarum linguarum plagam non incongrue puto dici posse, quæ non adeò exigua est, quin Aegyptiorũ plagam superet: tolerabilius enim est ranarum rumores audire, quam malarum linguarum detractiones. Ranæ conditio ad malæ linguæ naturam conuenienter referri potest; sicuti enim non in nitidis, sed immũdis & surdidis

aquis

aquis clamat, ita garrulus homo non de bono quod videt, sed de malo quod scit simpliciter loquitur & obgannit. Atque vtinam ranarum more dũtaxat diceret, nec ita clara voce publicaret: sed proh dolor ita enorme est malum, vt loquax, neque quod agit tacere valeat, neque quod in amicis videt dissimulare. Solet quoque rana tam de die quam nocte clamare nulla intermedia quiete aut somno, imò nec patitur alios dormire: quæ conditio etiam malæ linguæ conuenit, quæ nunquam loqui aut oblatrare cessat. Lucilio scribens Seneca inquit: Passeres sub vesperum in nidos suos secedunt, & cętera animalia ferocia in cauernas suas, probi verò homines in domos suas, solus homo malam linguam habens, non cessat neq; quiescit, sæpius loquendo dormitat, & obganniendo ieiunium soluit. Insuper addit Seneca: Amicus tuus & vicinus meus mihi aliquando lepidè respondit: vt enim sæpius eum à cibo abstinere quo liberius loqueretur vidi, seriusque ad lectum properare, vt commodius

mur-

murmuraret, obiurgare eum cœpi dicens, hoc illi malè cedere: respondit, tace pro me Seneca, & ego pro te loquar: ille enim gaudia non nouit, qui murmurare nescit. Pythagoram Græcũ summopere laudat magnus ille Plutarchus & Herculem Thebanum, Sertorium Romanum, Lycurgum Lacedemonium, aliosq́ue quod ita breuitatis amatores essent, & prolixitatis inimici, vt maiora multo signis quam verbis docuerint & dixerint. In Prophetam Amos scribens S. Hieronymus inquit: Si rectè aduertere velis, videbis Dominum Deum, non aliã ob causam adeò emmenti loco posuisse linguam, nisi quod ei sublime cõmitteret officium. Infra cerebrum, in quo residet intellectus collocauit, & supra cor in quo dictamen & rationis origo est, ne quid loqueretur nisi quod intellectus ei suggereret, & nihil diceret nisi quod præciperet ratio. Considerandum quoque est, quod natura homini duos pedes, duas aures, duos oculos, duas manus cõtulerit, sed vnicam linguã duntaxat.

Vnde

Vnde inferre poſſumus, quod nobis multa videre, multa audire, & multa operari licet, ſed pauca loqui. Nihil in aurium, manuum, pedum cuſtodiam contulit natura, linguam verò circumuallauit maxillis, gingiuis, labijs & dentibus: quaſi quidpiam foret quod magna egeret clauſura, dum ſolet ſtulteſcere. Prudentum eſt cogitare prius quàm loqui: ideoque dicebat Macrobius, quod dũ lingua præcederet mentem, ſtatim ſubſequeretur pœnitentia. Hæc ſupradicta ex S Hieronymo deſumuntur. Antiqui Lacedæmonij, qui ſuis virtutibus tanta vicerunt regna, & quorum memoria in ſæcula ſæculorum diffuſa eſt, quamuis Græci forent, nihilominus in ſuos fines Rhetoricę artem nunquam admittere voluerunt, dicentes Reſpublicas non eloquentię, ſed malorum actionũ defectu perire. Cuidam græco Philoſopho dicenti Lycurgo, ſe Reipublicæ ipſius ciues elegãtem eloquentiæ modũ docturum, eo quod ruſtica nimis foret eorum lingua, reſpondit Lycurgus: Vade frater, vade in Lycaoniam, vbi ſubtiliter & artificiosè

ciosè loqui moris est, quod ad me & meæ Reipublicæ ciues, malumus prudentiam rusticam quam vanam eloquentiam. Hoc responsum profectò tali dignum fuit viro: magna enim est affinitas & similitudo inter id quod arte fit, & deceptione: ideo prudentium verba cum simplicitate proferri debēt, non autem cum compositione & arte. Magnus Orator Sophista publicè ab vrbe Athenis in exiliū missus est, quod nunquam in sua Academia suos discipulos bonam benè viuendi normam docuisset, sed eloquentiam duntaxat. Si vigeret adhuc, & hoc nostro tempore in praxim redigeretur Græca ista lex, equidem certo certius sciremus multos litterarum professores in exilium mittendos, quod maxima professorum pars in suis Academijs curiosius artem periculosæ litis defendendi doceant, quam Iesu Christi legem obseruandi. Habuit quondam quidam Abderitarum Legatus ad Regem Agrin orationem longam & prolixam: petebatqúe suæ legationi responsum: respondit Rex, Reipublicæ tuæ incolis

dices,

dicer, respondere mihi non licuisse, quod tuis verbis finem non feceris. Apud Aristotelem Philosophum dicenti cuidam, suo iudicio, verba quædam magni ponderis & momenti, petentique ab eodem Aristotele, num ea verba magni faceret, nec ne: respondit Philosophus, se non ea mirari; sed mirari hominem pedes ad fugiendum habentem, posse tam prolixos audire discursus. In solemni quodam conuiuio quo Lycaonios legatos excipiebat Senatus Atheniensis, omnibus lepidis & iucunda proferentibus solus tacebat Zenon Philosophus, cui legati dixerunt: Quid de tua persona Zenon Regi nostro referemus? respōdit Zenon, Regi vestro dicetis vos vidisse senem in conuiuio iucundum, vitris circundatum, & non bibentem, loquacibus & non loquentem. Narrat Quintus Curtius quēdam Regis Darij ducem, eiusdem Darij familiarissimum amicum in Alexādrum magnum murmurasse: cum hoc ferre non posset Rex, lanceæ cuspide eū percutiens dixit: Sile, sile, non tibi in Alexandrum murmurandi & obblaterandi

licen-

licentiam concedo, sed cum eo decertandi. Narrat in quadã Comædia Plato de quodam coquo, qui in solenni quodam conuiuio multa verba habuit, cui dominus qui eum eo duxerat, dixit: In nomine Dei nos hic loqui permitte; tu verò ad culinam tuam perge. non enim linguam tuam qua hic vtaris, conduximus, sed manus tuas quib⁹ cibos pares. Ferunt Epiminondam græcum sæpius dixisse, omnium hominum inutilissimnm huuc esse, qui sua lingua eo tempore quo manibus vti deberet vtitur. Prudentum hominum est, tempore pacis consilium quærere, & periculi remedium. In libro iræ dicit Seneca: Meo quidẽ iudicio, inquit, nullus lingua sua molestus esse deberet, cui sua lancea resistere nullo modo potest: timidi enim est animi quidpiã aggredi, vnde felicẽ non possit reperire exitum. Consulẽtibus quibusdã Alcibiadi, diuersis modis, negotijs belli periculoso in statu existẽtibus, dixit: Si in verbis & nõ bello consistat victoria, ne animo deficiam⁹, ecõtra vires duplicemus: multi.n.qui cõsulant sunt duces, sed pauci qui dimicent: si au-

si autē belli neruus in armis & non verbis consistat, inite bellum, & à consilijs abstinete.

Laudabant quidem mirum in modum Ciceronis eloquentiam eius amici, vt refert Plutarchus, nihil tamen ei secreti aut magni momenti communicare audebāt propter suam linguam, dicentes illic prudentiæ & constantiæ nihil esse vbi magna erat eloquentia. Narrat Plato omnes homines in suis actionibus constantes, & in suis dictis eloquentes, natos ad magnum patriæ commodum vel incommodum: sicuti videre est in Alcibiade, Themistocle, Catilina, Dionysio tyranno, Cæsare, Alexandro, quorum aliqui ita patriæ pernitiosi fuere, vt eos non natos præstitisset; cæteri verò ita boni, qui mori non debuerant. *In ore fatuorum cor eorum*, inquit Sapiens, *& in corde sapiētium os illorum*. Quibus innuit quempiam tunc animum in lingua habere, cum quid agat nescit, & tunc linguam in animo, dum quid loquatur verè scit. Dicit S. August. nullū esse in mundo venenū, in quo remedium nō sit adinuentū,

præ-

preterquam in murmuratoris linguam contra quam in hunc vsq; diem remedium deficit. Ad hæc dicit S. Bernard. multas prouincias venenum ignorare, sed nullum in toto mundo esse angulum, qui malis linguis non sit plenus. In suis Etymologijs dicit S. Isidorus, nullum animal venenosum aliud venenosum mordere, excepto homine loquace & malitioso, qui amicum perdere mauult, quã vnicum sui oris verbum. Dicebat Philosophus Bias omnes homines vitiosos suis vitijs frui, exceptis maledicis & loquacib. quos omnes vt pestem fugiunt: quod enim omnes omnia scire velint, ideo nullus eorum suomet socio fidit. Poetã Philippidem tantopere amabat Lysimachus Rex, vt ad mercedem petendam eum impulerit, quam ei pollicebatur, dummodo peteret. Cui Poeta, nullam inquit in obsequiorum meorum satisfactionem mercedē peto, nisi vt nihil mihi secretũ reueles: eo quod in Principum domibus nullus magis pericletur, quam qui à secretis est. Mirificè Socratis dictum laudatur, qui dũ corã illo quidã scitus

puer statueretur, vt physionomiæ & continentiæ consideratione eius naturam & inclinationem cognosceret, Loquere inquit, vt te cognoscam; insinuans, hominem melius verbis quã vultu cognosci.

Periculosum esse cum multiloquo & malitioso verba habere: & tutissimum, huiusmodi homines fugere.

CAPVT XXIII.

ISti de mundo sunt: ideò de mundo loquuntur, dicebat suis Euangelista Ioannes, (1. Ioan 4) quasi diceret, Nolite mirari amici, mundanos de mundo loqui, & diuinos de Deo. nam in nulla re melius quam in lingua animæ potest bonitas vel malitia cognosci. Docemur hic modum, bonum aut malum hominem cognoscẽdi: ex verbis quæ profert scilicet, & non ex veste quam gerit: sicuti enim corpus tegunt togæ, ita animum detegũt verba. Quod dicat Apostolus: *Qui de mundo sunt, de mũdo loquuntur*, hoc est,

est, non nisi de superbia & ambitione loquitur superbus, de malitia inuidus, de vindicta cholericus, de gula gulosus; vnusquisque de re quam magis diligit, loquitur, quia lingua nihil agit, nisi quod ei imperat animus, ideò pauciloquium, sapientiæ est indicium, & multiloquium stultitiæ. Narrat Plutarchus, magni istius censoris Catonis pretiosiora fuisse verba omni merce, quæ in officinis Romanis venalis prostabat: tamen quæ dicebat, quamuis breuia forent, erant auditoribus gratissima. Sit licet quis maximè animosus & liberalis, castus, in pauperes liberalis; si tamen garrulus & maledicus sit, hoc solo vitio magis vituperatur, quam alijs omnibus virtutibus laudetur. ita enim est pernitiosum linguæ vitium, vt denigret & omnes cæteras virtutes deleat. Interrogatus Pittacus Philosophus, quam de lingua haberet opinionem, dixit: Lingua meo iudicio similis est lanceæ ferro, sed est ipsa lancea periculosior. solam enim carnem vulnerat lancea, maledica verò lingua animum tangit, & conterit.

Sum eiusdem cum hoc Philosopho opinionis: nullus enim est, qui in sua carne minus gladij ictum non faciat, quam in sua fama linguæ: tãdem enim serius aut citius, sanatur plaga; sed infamiæ nota nunquam deletur. Benè facit homo qui propè ignem nimium non accedit, ne comburatur, vel bellum non aggreditur, ne moriatur: sed melius multo, qui se à mala lingua abstinet, ne bonam famam lædat: honestus enim & generosus animus, pluris muscæ pũctum facit, quæ eius honorem tangit, quam lanceæ ictum qui vitam adimit. Huius erat opinionis Iudas ille Machabæus, qui suadẽtibus quibusdã Bacchidem & Alcimũ, vt è bello quod in Demetrij duces gerebat fugeret, dixit: (1. *Machab.* 9.) *Si appropiauit tempus nostrum, moriamur: & nõ inferamus crimen gloriæ nostræ*, quasi diceret: Non vult me fugere Dominus, neque me hinc secedere: si nunc nostræ mortis hora est, moriamur, & adinstar generosorum militum dimicemus. minus est enim mori, quam gloriæ nostræ crimen inferre. Rogatus Phormio philosophus, cur

cur homines fugeret, & cur inter animalia siluestria in montibus deambularet, respondit: Animalia siluestria me tantum dentibus aut cornibus offendunt, homines verò omnibus suis mébris. vident me enim inquit oculis, & pedibus trudunt, manibus percutiunt, animo deijciunt, lingua me infamia afficiunt: ita tutior inter animalia siluestria sum, quam inter homines malitiosos. Nihil hoc in mundo periculosius, quam pro vicino linguam malam habere. Si enim cum ea verfaris te oblatrare docebit: si eam fugias, te infamia afficiet. In suis moralibus inquit S. Gregorius: Non eum bonæ conscientiæ habeo hominem, qui malam debet linguam. Si .n. vt inquit Christus, (*Matth.* 12.) de omni verbo otioso reddenda sit ratio, quantò strictior de malitioso? Dicebat Dauid, *Cum sancto sanctus eris.* Dic quæso mihi, Si cum sancto sanctus fias, nunquid cum garrulo garrulus, & cum malitioso malitiosus euades? Si diu maledico & malitioso aures præbeas, qui grauius peccat, tu qui audis, & eius verbis fidem adhibes, an ille qui solũ dicit?

Porrò si benè viuere velis, fuge malè loquentem. bona etenim vita, facilè amicitia & malæ linguæ conuersatione corrumpitur. Hæc ex S. Gregorio. Lex apud Lydios erat, in detractores & malitiosos loquaces ad triremes dãnari, vel certo quodam tempore in populo silere. Narrat Plutarchus plurimam eorum partem maluisse tribus annis in triremibus agere, quam vno anno in Republica silere. Secundum hanc legem Senatori cuidam intemperantioris linguæ, Tiberius Imperator præcepit, vt vnius anni spatio signis tantum loqueretur. fama est illum reuera plura signis præstitisse, quam alij omnes verbis. His ex exemplis colligi potest, nulla meliori iusta ratione huiusmodi hominum malitiam corrigi posse, quàm eorum verbis fidem non adhibẽdo. linguis namque eorũ nullimode imperari potest, nec silentio, nec triremiũ minis. Vbi ceperit in populo alicuius fidei esse impudens quispiam garrulus, statim omnia incendio, & sanguini exponantur. Sobrio non conuenit

uenit cum ebrio. inuidus cōtendit cum eo qui magis abundat, cholericus cum eo qui ei grauis est auarus cū eo qui ex-pēdit: garrulus autem & inquietus homo omnes accusat, de omnibus conqueritur, & in oēs insurgit. ita vt non parū lucri fecerit, qui ab eius lingua se redemerit. ℞ Possunt quidē, in suo capitulo Prælatus, in Collegio Rector, in Monasterio Abbas subditos tolerare, & eorum quasdam dissimulare fragilitates; sed nullo modo malam linguam. Aequum est enim, vt eorum carpantur inprimis, & curentur vitia, qui aliorum vitam non curant, sed carpunt. ℞ Magnus ille Orator Demosthenes magnæ in suis actionibus grauitatis erat: magnæ virtutis & efficaciæ erant eius verba; sed cum in ijs quæ aggrediebatur nimium audax foret, & in ijs quæ dicebat nimium pertinax, certum salarium ex Reipublicę ærario ei contulit Senatus Atheniensis, vt taceret. Famosum illum Ciceronem in bello dexterrimum Reipublicæ amicum, linguæ latinæ principem

pem tandem enecari iuſſit eius amicus Marcus Antonius, non propter facta, ſed propter dicta. Narrat Plutarchus Lydios æquè morti adiudicaſſe honorum fures atque homicidas: paria reputantes vitia infamiam & homicidiũ. Imperatori Theodoſio ſcribens Ambroſius, inquit: Quam benè illuſtriſſime Princeps ageres, ſi vt arma abijci imperas, ita & malas linguas putari & circumcidi præciperes: nam in aulis & palacijs, plura è verbis gignuntur mala, quã ex actionibus malis. Nihil in mundo peius, quam conditionis eſſe feruentis & calidæ, & verborum multorum. Loquitur quis de omnib. male? omnes de illo. Non ſolum ergò male, ſed & multum loqui vitandum tibi frater: multiloqui enim raro magnæ fidei & reputationis ſunt. Narrat Plinius quadam in epiſtola, magni principis Pithiæ omnes, illuſtres victorias nimia loquacitate ſubuerſas fuiſſe, quamuis tamen ſapientiſſimus, & ad regendam Rempublicam prudentiſſimus, & ad ſuſcipienda bella expertiſſimus foret. Loquacibus & magniloquis non creditur, neq;

eis

eis à quoquã fides adhibetur: eo enim quo loquuntur tempore, omnes eos rident. Omnes rabulam rident, quidam à tergo, alij oculorum signis, alij asini auriculas digitis imitando, alij eius verba referunt, non vt ea laudent, sed derideant. Iure profectò ridetur homo loquax: nullus enim ante ipsum, licet de materia admodũ peregrina & paucis nota, loqui audet, quin statim de ea suã opinionem dicat: ad quam probandam in medium profert exemplum, quod se vidisse aut legisse asserit, aliquid ad rem fingens, vt mentiatur. Rogatus Athaicus philosophus, cur in conuiuijs & congregationibus non loqueretur, dixit, se plus temporis ad cognoscendũ loquendi tempus impendisse, quam ad disertè loquendum, eo quod facunde loqui Oratoris sit: loqui tempore & loco, solius prudentis viri. In chalybe vicio, solius prudentis viri. In chalybe videnda est temperatura, & in potu medicinali tẽporis punctũ: ita qui aliquid proponit, tempus oportet, & occasionẽ obseruet: quod enim tempore oportuno non fit, importunum habetur. Rogantibus quodam die obnixè Epimeni-

 dem

dem pictorem Rodijs, vt quid per maria & terras vidisset & legisset, enarraret, respondit: Duobus annis per mare piscationi vacans erraui, per Asiam sex annis, vt picturam addiscerem, octo annis Athenis mansi, vt silentium docerer: plures à me eieci mœrores silendo, quam sim in arte picturæ denarios lucratus. ideò rogo vos ô Rodij ne in officinam meam nuncios sciscitatum mittatis, sed picturas meas potius empturi. Non est dubium, quin ille Epimenides post tantorum regnorum circuitionem quædam digna recitatione & auditione vidisset, sed vt prudẽs homo ea enarrare noluit, multo minus referre, ne fidei suæ iacturam faceret, neve de narrantis fidelitate dubitaretur. Hoc Epimenidis exemplum sæpius animo reuoluere debent, quicunque peregrinas terras inuiserunt, ne multa aliena & inaudita enarrent, qui enim enarrabit illa, noua quædam & rara se enarrare rebitur, auditores autem illa vt fabulosa habebunt. Decet quoque prudentem in ijs quæ proponit

nitconstantem esse, & in ijs quæ dicit breuem: si enim eius inexcultus sit sermo, isti medebitur si breuiter eum proferat: si autem excultus, saporem in ore relinquit, vt alias libentius audiatur. Quidam ea conditione sunt homines, vt in medium prolatum verbum, dirigere aut finire non possint, donec fessi dormitent auditores, aut tristes recedant. Videmus temporis successu omnia in homine præter cor & linguam inueterascere, quæ indies magis quasi renouantur: & quod omnium grauissimum est, audet publicare lingua quicquid mali cogitat animus. Rogatus Pythagoras Philosophus, cur in sua Academia suos discipulos duorum annorum spatio silere vellet, respondit: Non sine causa discipulos meos taciturnitati assuescere compello, & silentium doceo, cum nulla in mundo sublimior sit Philosophia, quam suæ linguæ refrænatio. Ille reuera nō solum Philosophiam callet, sed & sublimem & profundam Theologiam, qui benè suā nouit refrænare linguā: experientia siquidem cernimus maximam pœna-

rum, & laborum partem hominibus accedere, non quod audiant vel videãt, sed quod loquantur.

De pluribus & diuersis modis quibus suos conuocat Deus: & quomodo quoque suos diabolus vocet, & qua in re hi ab illis dignosci possint.

CAPVT XXIV.

NOn enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in iustificationem, inquit S. Paulus Apostol. (*Thess.* 4.) Ecclesię Thessalonicensi scribens, quasi diceret: Scire vos volo ô Thessalonicenses, Dominum vos non ad suam Ecclesiã vocasse, vt mali essetis, sed boni: licet enim in Iesu Christi lege quædam mala, & imperfectiones tolerentur & dissimulentur, tamen non ideo approbãtur. Licet hæc Apostoli verba omnes fideles Christianos concernant, pręcipuè tamen solitarios & perfectos tangunt: quibus satis esse non debet, si ab impudicis & scandalosis operibus abstineant: quoniam

niam ceteris suis heroicis& perfectis operibus prælucere debent. In quadam epistola S. Bernardus inquit: Mũdanis satis est, vt mandata obseruent, & Christiani dicantur: nobis verò, nobis inquam Monachis non sufficit, si mãdata seruemus; sed vt boni religiosi debemus Euangelica consilia obseruare. illa siquidem non est dicenda religio, vbi nulla est perfectio. Non sine mysterio nõ fuit Apostolo satis dixisse nos à Deo vocatos, sed insuper prosequens addit causam, propter quam & ad quã simus vocati: scilicet vt mundi, pacifici, iusti & perfecti, sicuti Dei electi simus. Cassianus in libro collationum patrũ dicit homines perfectos tribus modis vocari, à Deo tantum scilicet sanctis inspirationibus, vel ab hominibus suis cõsilijs, vel coguntur inquit religiosi desperatione quadam ex infortunio fieri. vnica est quidem Euangelica perfectio, sed plures ad eam consequendam viæ. Prima vocatio est planè diuina, quæ fit dũ animum tangit Dominus, vt quæ agit non agat, & quod debet, exequatur. Hoc modo piscans à Iesu Christo vocatus

tus est S. Petrus, & similiter S. Paulus Damascum proficiscens.

Secunda vocatio humana est, quæ fit dum quis ex malo & peruerso homine, viri sancti consilio ad Deum reuertitur, sicuti sanctus Hypolitus, qui ad fidem sancti Laurentij consilio conuersus fuit. Tertia dicitur coacta, quæ fit dum quis infortunio quopiã adactus fit religiosus, quemadmodum sanctus ille Moyses Abbas, qui ob commissum homicidium in Monasterium secessit. Porrò ex his tribus vocationum generibus colligi potest, neque primam, neque secundam, neque tertiam aliam alia vtiliorem, aut inutiliorem Dei obsequio: quippe multi propria voluntate religionem ingressi condemnati sunt, & multi necessitate compulsi salui facti sunt. A Iesu Christo electus est infelix ille Iudas, S. Paulus in terram ex equo prostratus, veluti necessitate conuersus fuit: & tamen Iudas ad honorem euectus, corruit; S. Paulus autem in terram prostratus, euectus est salutem. Sanctus Augustinus in sermone quodam ad Eremitas inquit: Nete

magni

magni feceris, quod à Deo in religionem vltro vocatus sis, vel quod coactus veneris: non enim quomodo à Deo vocatus sit videre debet Dei famulus, sed ad quid vocatus sit. Multi se magni faciunt, quod ab infantia religionem ingressi sint, alij quod in Monasterijs reformatis sint, cęteri quod sanctorum virorũ discipuli fuerint, quidam quoque reperiuntur qui gloriantur, quod à quadraginta siue quinquaginta & amplius annis in ordine sint, alios ideò nouitios vocantes, se autem solos senes habentes, qui (quod sine lachrymis dici nõ potest) omnẽ suam perfectionem in eo collocãt, quod diu in Monasterio degerint, parũ interea aduertẽtes quos fructus fecerint. Non est profectò magnifaciendus à pueritia, vel à senectute religionis ingressus: Dei enim famulo non quam diu in Monasterio manserit videndum, sed quã debitè vel indebitè Deo inseruierit. In sacro Iesu Christi collegio trib. annis fuit proditor Iudas: bonus aũt latro in cruce cum illo tribus horis duntaxat: tres tamen illæ horæ multo magis boni latroni profuerunt, q̃

Iudæ

Iudæ tres ſui apoſtolatus anni. In parabola pręcepit Chriſtus mercedem dari ijs qui toto die in vinea laborauerant,& ijs qui ſub finem diei: vt intelligeremus noſtrum meritum vel demeritum non in obſequijs quæ ei exhibemus cōſiſtere, ſed in feruore & charitate qua ei exhibemus. De laudibus S. Pauli agens S. Chryſoſtomus, inquit, Chriſtū omnes ſuos ante ſuam mortem vocaſſe Apoſtolos, ſolum S. Paulum poſt mortē, nihilominus nullo modo negare poſſumus illum nulli ſecundum in perfectione fuiſſe, licet in vocatione vltimus fuerit, ratio eſt, quod plus cæteris laborauerit. Laudatur quidē & approbatur ille, qui ab infantia religionem ingreditur, & qui ab adoleſcentia Ieſu Chriſti iugum gerit: ſed non propterea ꝙ honoratior ei locus, quod melior in refectorio portio detur magni ſit, ſed quod omniū Monaſterij ſit humillimus, gaudeatqúe infimus edere, & primus orare & canere. In ſua prima regula inquit S. Baſilius: Cauete fratres ab inimici deceptionibus, qui in diuturni obſequij tui mercedem in dormitorio commodius

dius vult tibi conferri cubiculum, & primā in Capitulo vocem. fugere hæc omnimode debes. siquidem inter Dei famulos ille perfectissimus futurus est, qui consolationibus carebit. Non gloriandum religioso, quod in Monasterio reformato aut dissolutiore vestē susceperit, alios claustrales appellando, se autem obseruantem, monasticanamq; perfectio non in Monasterio, quod ingredimur consistit, sed in bona aut mala qua viuimus vita. In Aegypto vnicū Deum adorabant Israelitæ, sed postquā terram promissionis adierunt, illum spreuerunt. Vnde colligere possumus, quod quouis modo & quolibet loco à Deo vocati debeamus ita bonam agere vitam, vt se nos fouisse gaudeat Monasterium, non autem nos quod in eo vestem susceperimus gaudeamus. Inter Aegyptios Ioseph, inter Chaldæos Abraham, inter Babylonios Daniel, inter Assyrios Tobias viri sancti & beati fuêre vt docerent nos hominem perfectum è mundo Mōnasteriū facere, profanum autem & peruersum è Monasterio mū-dum. Cuidam Monacho scribens S.
Ber-

Bernardus, inquit: Monachus qui de loco in locum tranſmigrare cupit, tum quod ei non ſatis placeat Prælatus, tum quod non ſatis bonis imbutum ſit moribus Monaſterium, ille hoc agit potius tentatione quam perfectione motus: nullus enim vſqueadeo profanus eſt locus, in quo quis Deo obse qui non poſſit. Non debet quoque magni facere religioſus, quod pro magiſtro religioſum magnæ ſanctitatis virum vel peccatorem habuerit: vltimum enim ſummo dedecori verteretur, primum malo eſſet exemplo, quod magiſtri doctrinã oblitus de eius virtute glorîaretur. Moyſis fuere diſcipuli Dathã & Abiron (*Num.6.*) Heliæ rex Achab, (*3. Reg. 8.*) ſancti Petri Ananias & Saphira (*Actor 5.*) Ieſu Chriſti Iudas, (*Luc.6.*) omnes magiſtrorum doctrinam auribus exceperunt, non magnos tamen fecere fructus. In rebus mechanicis prius operis magnitudinem & pulchritudinem extollimus, quam opificis inuentionem & induſtriam. Parum enim admodum diſcipulo profuturum, ſi ſe magni faciat, quod bono vſus magiſtro,

gistro, si tamen de male morato discipulo conqueratur magister. Eodem modo seipsum magni facere non debet Dei famulus, vel gloriari, quod potius in vna quam in alia viuat religione: post sacrum baptisma enim & Christiani nomen adeptum, nulla in Dei Ecclesia est vocatio, in qua saluari non possit probus, & damnari malus. Parum certè prodest si sancti Benedicti vel sancti Augustini, sancti Dominici, siue sancti Francisci, aut Mercenariorum habitum sumpseris, qui habitus omnes sancti sunt, & à viris sanctis instituti: Deus enim noster potius animum quo ei inseruimus, intuetur, quam nigrum aut album quem gerimus habitum.

Conare frater mi ante omnia bonus fieri Christianus, & digne sanctum obseruare Euangelium: hoc si egeris, quam voles poteris ingredi religionem, & quemuis suscipere habitum: vni enim potius quam alteri inclinari religioni, hoc potius deuotioni, quã perfectioni tribuitur. Nullo modo negare possum⁹ alias alijs pfectiores esse religi-

religiones, in quibus bonis maioris sanctitatis præbetur occasio, & minoris malitiæ malis libertas: dico tamen Monasterij perfectioem aut imperfectionẽ non in habitu quem gerimus cõsistere, sed in Monachis qui eo vtuntur. Vanitatem & leuitatem sapiunt religiosi, qui inter se de habitu & nomine decertant: decertẽt potius quis eorum suam melius obseruet professionem, non autem de meliori religione. *Tonso capite & mutata veste obtulerunt Ioseph Pharaoni,* (*Genes*.41.) dicit sacra scriptura: quasi diceret, Dũ è carcere quo captiuus est, abscissi sunt eius capilli, & immutata vestis quod in palatium deducendus esset, vt eum loco domestici haberet rex Pharao. Porrò qui huius mũdi carcere educuntur, quique Domino in suo palatio; quod est Monasteriũ inseruire volunt, primo & ante omnia vestem immutare, & capillos resecare debent, hoc est, non solum facto mundus per vestem significatus deferẽdus ipsis est, sed & cogitatione quæ per capillos notatur. Religiosus in Monasterio manẽs, qui ijsdem quibus in mundo vtebatur
moribus

moribus vtitur, ijſdemqúe cogitationibus quas è mundo attulit, veſtem non mutauit, neque caput totondit. Meminiſſe debet, quod S. Ioſeph veſtes, quas in carcere gerebat, in palatium deferre non fuerit permiſſum. Quodam in loco dicit vitæ ſolitariæ liber: Semper regalem illã cum mundo cõmutationem in memoriam reuocemus, diemq; illũ quo in Monaſteriũ admiſſi ſumus, dum humilitati ſuperbiam, iræ patientiam, amori inuidiam, gulæ abſtinentiam, paupertati abundantiam, ſeceſſui libertatem, crudelitati charitatem, loquacitati ſilentium, aſperitati delitias, & patientiæ vindictam poſtpoſuimus. In ſua regula dicit S. Hieronymus: Monachus qui in religione pauper & patiens fieri cupit, libere in quocunque Monaſterio veſtem ſuſcipere & viuere poteſt: ſi verò impatiens & incontinens ſit, tali ſuademus in mundo remanere, & ne vlla ſit ei eremi cura. Voluptuoſis admodũ dura & aſpera eſt vita monaſtica: diſſolutis mirum in modum contraria: in temerarios magna eſt vtens iuſtitia, in puſillanimes valde ſcrupuloſa, in loquaces vehementer taciturna.

In libro doctrinæ nouitiorum inquit S. Bonauentura : Tu qui in Monasterium venis, caue à mundo, vide sedulo ne ei obsequium præstes, est enim ingratus; vide ne ei fidem adhibeas, est enim fallax; vide ne ames, mendax enim est: ideoque hoc à me scias velim frater, quod si te amet, amat, vt decipiat: decipit, vt te laqueis intricet: te laqueis intricat, vt te non dimittat. Insuper addit. Multo inquit Dei famulo vno solo die mundum eiusqúe stultitias pati grauius est, quam anno integro Monasterium: qui secus iudicat, quid deserat, quidve suscipiat nescit. Eremitis scribens dicit sanctus Augustinus: Miseri qui mundum non norunt, amant, mundo fauent & seruiunt, mundum desiderant, & in eo pereunt. Econtra prudentes & benè educati Monachi illum æquis non possunt videre oculis, eum fugiunt, illiusqúe solo audito nomine se crucis signo muniunt: *Quia occidisti fratrem tuum Abel. eris vagus & profugus super terram*, dicit Deus ad Cain: quasi diceret; Ego te specialiter non procul à paradiso

meo

meo collocaram, tu verò vt pessimus homo fratrem tuum Abel occidisti: ideo tota tua vita vagus eris super terram, capite tremebundo incedes, viuesqúe inquietus. Summus est timorato Monacho paradisus Monasterium: econtra, maximus dissoluto infernus, cui se subditum videt. adeò vt vita monastica campi flori similis sit, de quo mel sugit apis, & venenum ad enecandum aranea. Si nō ita turpiter fratrem prodidisset Cain, non tantam à Domino recepisset maledictionem: hoc est, non fuisset passus religiosum ita deprauari, nî in Monasterio graue quoddam commisisset peccatum. Quidam in vita Patrum fuit Monachus, qui Abbati Sisoy dixit: Quid pater mi ita tristis & desolatus & vsqueadeò in Monasterio inquietus faciā? Cui sanctus senex respōdit: Confitere, & cum proximo, si quæ cum illo habes iurgia in gratiā redi: in vita siquidē monastica nulla potest esse tristitia, vbi tuta est cōscientia. Rustico Monacho scribēs S. Hieron. inquit: Ad comparandā Dei gratiā in ordinē venimus, tamen tristes & mœsti simus, eò
quod

quod eam non adepti simus: probis enim religiosis semper satisfit, dissolutis verò nunquam. Indubie crede frater te cum Cain maledicendum, si cum eo enorme committas peccatum: & hæc erit tua maledictio quod omnibus religiosis futurus sis grauis, tibi autem inquietus. Ille cum Cain eandem maledictionem incurrit, qui quouis capitulo locum mutat, qui singulis annis nouam fabricat cellam, qui quolibet mense aliud quærit Monasterium, qui quauis hora alium exoptat Prælatum. Quod agit, nõ vt melius sed vt liberius viuat: sic vt nunquam sit liber, nisi à Prælati subiectione liber. Ille similiter cũ Cain maledictionem incurrit, qui si cantaturus chorum, oraturus oratorium, lecturus bibliothecam, secessurus cubiculum non ingreditur, quemque actorum & vitæ non pœnitet: seu qui de dormitorio in dormitorium discurrit, suspirans & omnibus quos obuiam reperit de seipso conquerens, vt ab eis auxilium accipiat. Ille quoque cum Cain maledictionem incurrit, qui nullimodis in Monasterio, vel cum Prælato pacificus

cificus esse potest, mundum frequentandi perpetuo veniam rogās, & negotia quibus illic negotietur procurās, cui si illud agendi potestas denegetur, statim obmurmurat, & si forsan ei concedatur, statim ad interitum ruit. In vitæ solitariæ libro dictū est, monasticæ vitæ perfectionem nō tantùm in habitu aut mundi egressu, aut in Monasterij clausura consistere, quantum in laborum patientia, appetituum resistentia, & perpetua fratrum concordia. In ordinem venire facilè est, sed illic permanere difficilè. Multi in religionem à Deo vocati veniunt, & à diabolo multi: hæc eorum est differentia, quod à Deo vocati ad finem perseuerent: à diabolo autem, in peius progrediantur, vel rursus mundū reuisant. Nulli mirandum si intelligat non omnes qui in Monasteriū veniunt à Iesu Christo cōductos; certum enim est Spiritum sanctum Iesum Christum in desertum duxisse, & diabolicum spiritum eundem in templi pinaculum: illi ad ieiunium; hic verò ad pręcipitiū. Longè alia loca istis ad quę Iesum Christum deducebat diabolus erā: altiora;

sed nolebat Dominus aliũde, quam à templi pinaculo se præcipitaret; vt intelligeremus diabolum longe pluris viri Deo consecrati casum facere, quam centum aliorum mundanorum. Quod Iesum Christum non à monte in quo ieiunarat præcipitem dari voluerit diabolus, sed à templi pinaculo in quod illum euexerat & duxerat, docere est, Monachi in monasterio casum longe animæ periculosierem esse, & conscientiæ inquietiorem, omnibus Reipublicæ casibus. Combusti duo Aaron filij fuere, quod leue quoddam in templi ceremonias commisissent vitium: vt sciremus nostrum statum adeò sublimis & raræ perfectionis esse, vt quod in mundo exigua est ceremonia, in religione perfectio sit, quodque est mundo veniale, sit nobis religiosis mortale.

De

De duabus professionibus quas profitetur religiosus; quarum vnam vt Christianus profitetur, aliam verò vt religiosus: & quod profitens debeat esse sufficientis ætatis.

CAPVT XXV.

SI quid vouisti Deo, ne moreris reddere, quia multò melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere (*Eccles. 5.*) inquit Salomon, quasi diceret: Vir siue mulier quæ propria voluntate Deo solenniter vouet, statim suo voto satisfacere debet: secus enim, satius multo foret nihil fuisse pollicitum, quam pollicitis non stare. Notandum hic, quod dum à sancta matre nostra Ecclesia baptizamur, & ipsi incorporamur, iuremꝰ & solenniter voueamus nos omni vitę nostræ tempore appetitibus carnalibus non condescẽsuros, neque sathanæ deceptionibus fidẽ adhibituros, & mundi huius pompas & vanitates nõ sequuturos: sic, vt nõ solũ nos Christianos futuros iuremus, sed bonos Christianos. Lex Hebræorum adeò exigui valoris erat,

adeoque paucis data vt nullus eam obſeruare teneretur, exceptis Iudæis, qui ſe eam aſſeruaturos polliciti fuerant; totus mundus verò ſacram Ieſu Chriſti in legem tenetur iurare, immò & eam obſeruare: nullus enim Princeps ſiue Rex vlli priuilegiũ in Ieſum Chriſtum non credẽdi, vel Chriſtianiſmum non amplectendi conferre poteſt. Hoc gentiles & Paganos perdit, quod ſe Chriſtianos vouere nolint, & in hoc pereũt Chriſtiani quod voueant, & votũ non ſeruent. Secundum ad Romanos cap. 2. ſcribentis Apoſtoli dictum, nõ ſaluantur qui legem recipiunt, ſed qui eam obſeruant. *Non enim*, inquit, *auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* Si malis & infidelib⁹ Chriſtianis Mauri & Iudæi comparentur, in die iudicij minus quã Chriſtiani iſtius criminis rei erunt, immò & in inferno minus puniẽtur. Gentiles & Mauri, iuſiurandi non facti accuſabuntur, Chriſtiani verò iuramenti & periurij. Apud Ezechiel. cap. 9. quotquot ſigno *Thau*, nõ erant ſignati, minatus eſt De⁹. Et Exodi capite 12. morti addicti ſunt quot-

quotquot domuum ſuperliminaria, & vtrumque poſtem ſanguine non aſperſerant. Quibus intelligimus nullum in die iudicij ſaluandum, qui Ieſu Chriſti ſigno & charactere animæ impreſſo nõ fuerit ſignatus. Religionis Chriſtinæ Abbas & Prælatus Ieſus Chriſtus eſt, & non alius. Ille in ſuum ordinem admittere non vult leones, qui ſuperbos denotant, neque tigres quæ inuidos, neq; lupos voraces qui guloſos, neq; ſimias quæ auaros, neque porcos qui adulteros, ſed ſimplices & mites oues, hoc eſt pſonas bonas & virtute prẹditas. Quod ſe oui comparet Chriſtus, dicatque ſe ſolas oues in ordinem ſuæ religionis admiſſurum, ratio eſt, quia ſicuti ouis animal ſimplex lacte, carne, corio & caſeo abũdat, quibus omnibus ſeruiat, caret autem cornibus, vnguibus, dentibus, veneno, quibus noceat, ita vult ſuæ Eccleſiæ & domus miniſtros charitatem, qua quid ſuorũ bonorum pauperibus elargiantur habere, & tanta temeritate non vti, vt fratribus furentur. In religione Chriſtiana duodecim articulos credere, decem mandata obſer-

uare, septem peccata mortalia nõ committere, quinque sensus custodire, tres facultates animæ rectè dirigere, opera misericordiæ adimplere vouemus. Porrò licet se quid magnũ polliceri opinetur, qui se Christianũ futurũ pollicetur, profectò Iesu Christi merces & pretium quod ideo ei confert, longè promisso illo maius est: ab instãti enim quo quis Christianus fit, statim patris filius, filij frater & Spiritus sancti pupillus, Angelorum comes, Ecclesiæ membrum, & gloriæ hæres euadit. Totius mũdi sacratissima & sublimissima perfectio est Christianismus, & Iesu Christi lex & vita; hac enim lege & non alia Dei adoptiui filij, & regni cælestis hæredes euadimus: *Gaudete & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis*, dicebat discipulis suis Christus, hoc est, Gaudete & exultate, non quod vos à piscatione eduxerim, siue quod Hebræi sitis, vel quod vos in discipulos meos assumpserim, sed quod vos Christianos effecerim, & iustorum libro inscripta sint nomina vestra. Dignitas & merces est, quam pauci consequuntur,

imò

imò pauciores merentur. Non quotquot Christiani dicuntur, verè Christiani sunt, certũ hoc est, non enim voluit Christus eos gaudere quod Christianorum libro inscripti essent, sed quod iustorum. Vnde inferre possumus rem exiguam non esse, libro pastoris in quo baptizatos describit, & Iesu Christi in quo saluandos asscribi. Quid habet ille qui fide caret? Cuius indiget, qui fide non eget? Cur operatur ille quæso, qui in Dei Ecclesia non operatur? In quamcunque religionem obseruantiæ regularis liberum est hominibus ingredi; in religionem autem Christianã oẽs ingredi necessario tenẽtur, cui ita oẽs deuinciuntur, vt nullus in alia religione religiosus esse possit, nî prius in Ecclesia Dei Christianismum professus sit. *Paulus vinctus in Domino,* (*Ephes.* 3. 4.) inquiebat Apostolus: quasi diceret, Paulus sum Tharsi natus, Gentilium Doctor, veritatis prædicator: in carcere detentus, ita gaudeo, & tanta consolatione ferreis vinculis pro Iesu Christo circundatus afficior, quanta suis coronis Reges & Principes terræ.

Si igitur tanti se S. Paulus faciat, quod pro Iesu Christo carcere detétus foret, nunquid æquum est te maiori affici lætitia, quod te Christianum videas? scis enim præstantius esse in frõte chrismate signari, quam ferreis vinculis pedibꝰ vinciri. *Fratres iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici De*, inquiebat idem Apost. ad Ephesios cap. 2. id est, Agite Deo qui vos fecit & formauit gratias, fratres Ephesij, & Iesu Christo qui vos redemit; sui etenim sanguinis merito, Synagogæ non amplius dicemini hospites, neque peregrini Ecclesiæ catholicæ; sed cœlorum ciues & incolæ, sanctorumqúe familiares domestici. Fallaces hæretici & peruersi pertinacesqúe Christiani in ecclesia Dei habentur peregrini & vagi, quandoquidem iusiurandum factum violent, & iuramento non obediant, & quod grauius est, se sacris immisceant scripturis, quæ ignorant defendentes, & quæ non intelligunt exponentes. Peregrinus est homo, qui in Ecclesia Dei sacrum suscipit Chrisma, quiq; Ecclesiæ Catholicæ mandata se obseruaturum promisit, & tamen

tamen ita in suis cõceptionibus est pertinax, & in actionibus dissolutus, vt iuste illum nomen Christiani quidem gerere, sed vitam Pagani agere dixeris. Ex his ergo concludendũ est, quod sedulo promissa adimplere conari debeamus, cum nos religioni Christianæ deuouerimus, illamq́ue professi simus: proditorium enim facinus foret, nomen Christiani gerere, & Antichristo interim inseruire. De religionis votis

Sed sat de votis, quæ vt Christiani vouemus: pauca de religionis votis disseramus, quæ obseruare non minus tenentur religiosi, quam priora, cũ vltro ea vouerint, & ijs non coacti se deuinxerint. Dicit S. Anselmus quod sicuti qui totam arborem dat, plura confert, quam qui solum fructum: ita plura meretur ille, qui votis bonũ exercet opus, quam qui sine voto; talis enim non solũ Deo voluntatis fructum offert, sed & totam suæ libertatis arborem. Debet quisque quid promittat videre antequã promittat: eo quod si iam semel polliceri decreueri:, nullus sit amplius pœnitentiæ locus. Si in Republica enim

quis ad verbi fui, & promiffi adimpletionem cogi poffit, multo magis poteft Dominus Deus profeffionem ipfi iuratam à religiofo repetere, Nulli rei magis quam Chriftianæ fidei nos deuincit Dominus Deus, nihilqúe magis fuadet, nifi vt in viros perfectos euadere conemur. Si ergo frater melioris vitæ Chriftianæ defiderio, & maioris perfectionis zelo rigorem & auctoritatem vitæ monafticæ elegeris, cur conquereris fi ad obferuationem illius compellaris? Dic quæfo mihi, tui ordinis Prælati, tene ad maiora quam vouifti deuinciunt? tene ad alia quam quę promififti cogũt? tene aliud quam iufiurandum tuum rogant? Nullus te ad religionem conuocauit præter teipfum, qui illuc properafti: nullus te præter teipfum ad perfectionis ftatum coegit, cur non adimples quæ cum Deo folenniter pactus es? Cur non adimples quæ in Prælati manibus vouifti? Inter fæculi iudices punitur ille qui in vanum per fui Principis vitam iurauit, & erit religiofus impunitus, Deo periurus & fallax? *Non enim mentitus eft hominibus, fed Deo, &c.*
inquit

inquit S. Petrus (*Act.* 5.) Ananiæ: quasi diceret, Iudaismum deseruisti, & Christianismum amplexus es, patrimonium pauperibus distributurus vendidisti, meliorem tamen & maiorem pecuniæ partem pro te condidisti & reseruasti, quod agens non mihi qui peccator sum mentitus es, sed Deo qui iustus & sanctus est, & qui promissa quæ promittuntur adimpleri vult: quandoquidem & id nobis conferat, quod vt voueamus non imperet. O quam multis hodie religiosis obijcere possemus: *Non es mentitus hominibus, sed Deo*, cum te minus pudeat promissum quod in tua cõscientia Deo præstitisti transgredi, quã fidem tuam hominibus frangere. Si in religione religiosus in memoriã reuocaret, quod profitens non dicat: *Tibi qui Abbas meus es promitto, sed promitto Deo qui Saluator & creator meus est me omnibus diebus vitæ meæ futurum obedientẽ, pauperem & castum*, credo equidem quod maiori cum diligentia promissa obseruaret, & iusiurandũ non ita impudẽter solueret. Sed ꝙ timeat magis suũ Prælatũ, eũ obiurgãs quã Deũ quem offendit, .i. quod Prælato potius quã Deo placere malit.

Ad hæc dicebat Abbati Roberto scribens S. Bernardus: Si in religione prodesse velis, & illic pacifice viuere, singulis diebus imò quauis hora memineris, qua voluntate mũdum deserueris, quo zelo in religione sis, quo animo religionem professus, & quod hæc tria nullus te eligere coegerit. nũquid ergo æquum & necessarium est teipsum obiurgere & cogere vt ea tria adimpleas. Insuper addit, à tempore quo me in baptismo bonum Christianum futurum iurasse memini, & inter Prælati manus me bonum religiosum futurum voui, & in tremendo iudicij die vtriusq; voti mihi reddendam rationem recordor, neque in mundum regredi desidero, neque per Monasterium deambulare præsumo. Rogante quodam religioso Abbatem Serapionem quem librum legere posset, dixit bonus & sanctus senex: Ego fili mane sanctũ Euangelium quo Christianus sum lego, vesperi sancti Basilij regulam qua religiosus sum. hic abundè mihi est, quo oculos diuertam ad implenda mandata. Cuidam peruerso & indisciplinato Monacho scri-

ſcribens S. Hieronymus inquit: Si vocis dicentis, *Surgite mortui venite ad iudiciũ*, ſi ſtrictæ regulæ & profeſſionis in Monaſterio promiſſæ meminiſſes, crederẽ te à Deo deſertum, & ideò tantæ audaciæ, vt Monaſterio egredi auſus fueris: ſed quod libertatem in virtutis præiudicium quęſiturus Monaſterio egreſſus ſis, peccata tua tuæ religionis abnegationem, & profeſſionis ſolutionem meruere. Antiquus & beatus S. ille Baſilius in ſua regula dicebat, Tribus nouitiatus annis completis, ſi profiteri cupiat nouitius, primo quid polliceri debeat illi declaretur, ſit ætatis conuenientis, & ad promittendum ſufficientis. Quandoquidẽ enim ita auſterus ſit vitæ monaſticæ ſtatus, ęquum non eſt quẽpiam ad illum vocari vt decipiatur, eo quod antea non benè ſibi præcauiſſet. Et in quodam alio ſuæ regulæ capitulo dicit: Antequam promittat nouitius, vt ſe noſtræ regulæ obſeruantiæ deuinciat, volumus illum illam non ſolum ſcire, ſed & ei declarari labores, quos vt eam ritè obſeruet ſufferre debet: nã (quod meminiſſe debet) adeò admirandũ & in-

comprehenſibile prȩmium ſalutis nulli ſunt aſſequuti ſancti, niſi ſummorum laborum vi. Si rectè S. Baſilij verbis attendere velimus, dicit nullum nouitiorum ad profeſſionem faciendã admittendum, nî prius rectè ſuam regulam calleat, & niſi ſufficientis ſit ætatis, vt voueat. Porrò ſi hoc noſtro tẽpore illa fuiſſet obſeruata regula, non tot in Monaſterijs negligentiæ, neque pœnitudines, neque inſipientiæ cõmiſſæ fuiſſent. Pudendum profectò dicere, ſed magis pudendum eſt Abbates hoc agere. neſcio an ob aliquod cõmodum, an ob aliquam obligationẽ hoc agant. In profeſſionem quoſdam iuuenes, & iuuẽculas filias tenerrimȩ ȩtatis admittũt, maximè indignas & incapaces, quȩ nõ ſolũ regulam quã promittunt non capiunt, ſed nec eã legere ſciunt, nec poſſunt. Inhumanum profectò eſt paruulos filios, aut filiolas in religionẽ admittere, imò tyrannicum, profiteri ante tempus permittere: poſtquã enim ad perfectam & competentem pertigerunt ætatem, ſtatim vt à diabolo tentãtur, & à carne vexantur, promiſſa ſua rident, & de ijs vehemen-

hementer qui eos profiteri voluerunt cōqueruntur. Narrat in vita Patrū Cassianus, quod sanctū senem religiosum interrogarit, num eum vnquā suæ religionis pœnituisset, qui respondit se 52. annis in eremo Thebarum habitasse, & quod gratia Dei nunquam eum habitus sumptionis pœnituisset: sed credite inquit, si Abbas meus qui me à iuuentute profiteri fecit, hoc in senectute fecisset, nunquā me tantæ rei deuinxissem, nec adeò magnū meis humeris imposuisse onus. *Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua*, ait in suis lamentationibus Propheta Ieremias: q.d. sanctū & vtile admodū opus est, ab adolescentia Iesu Christi iugo assuescere, eo quod nunquam vel serius, bonę vel malę quę in iuuentute addiscuntur cōsuetudines à memoria recedant. Porrò hic notandū quod hominis ætates sic diuidātur: scilicet infantia vsque ad 7. annū, pueritias in decimum quartū, adolescentia in vicesimū quintū, iuuētus virilis in quadragesimū, senectus in octuagesimū, & decrepita ætas in finē vitæ. Secundū hāc ætatis diuisionē notandū serio est, quod

Pro-

Propheta non dixerit bonum esse ab infantia vel puerili ætate iugum ferre, sed ab adolescentia quæ est inter decimum quartum, & vicesimum quintum annos: nam ista ætate iuuenis fit ad laborandum robustus, & prudens, vt benè eligat. Dum iuuenis perfectæ ætatis est vt profiteatur, & capax vt intelligat quid sit religio, potest imò debet cogi ad promissum seruandum: *Deus enim non irridetur.* Ille Deum ridet, qui suam non obseruat regulam, quãdoquidem non dicat dum profitetur, & religioni se deuouet. Abbati meo vel Priori promitto me futurum religiosum, sed Deo promittit & iurat, & omnibus sanctis eius se regulam obseruaturum. & in vita monastica perseueraturum. Ausim audacter dicere, quod Deum rideat Monachus, qui suam non obseruat regulam. Nihil aliud est, monasticam profiteri regulam, & se deuincire ordini & religioni, quam Deo pacisci, cui perpetuum deuouet obsequium: ideoque ei in sua gloria & regno mercedem promittit Dominus Deus. Credendũ tibi est frater, quod non solummodo illud

pactum

pactum Deo promittas, sed etiam iures, siquidem illo ipso tempore, quo illud manibus Prælati committis, dicis te vouere & Deo promittere, quasi hoc modo diceres: *Promitto, & Deo creatori & redemptori meo voueo, me nunquam id quod cum sua maiestate sum pactus transgressurum, neque semper promissis staturum.* Qui fieri potest, quod Monachus qui adeò magnum facit iusiurãdum, & qui verbis adeò firmis & solidis se deuincit, audeat vel vnicũ suæ regulæ punctum transgredi? Porrò nescis fili, etiamsi magnum præstes promissum, longè tamẽ tuo labore quem pateris maiorem esse mercedem tuam? Iam ergo compertum habes, quod quàm mox votum transgrederis, nõ solum irritus sit cum Deo contractus tuus, sed periurus & condemnatus sis. Si regulam periures & Deum fallas, cur quæso de hominibus conquereris si tibi diffidant? Cur fides adhiberetur ipsi qui suam fregit fidem? Quid non faciet, quid quæso non audebit, qui in Deum insurgit, qui eum fallit & prodit? In secundo libro Regum scriptum est, quod Deus Regi Dauidi

Dauidi preceperit vt filios Saulis ob patris culpam cruci affigi iuberet, eo quod Saul esset iusiurandum transgressus, quod cum Gabaonitis infidelibus & barbaris pactum erat. Hinc omnes religiosi & Dei famuli exemplum sumere debent. Si enim Deus iuramentorum & transactionum cum infidelibus factarum transgressionem tam rigidè puniri velit: quantò magis volet puniri Monachos, qui sua iuramenta & quæ vouerant vota flocci pendunt. Dicebat S. Hieronymus se semper auribus excipere hanc terribilem vocem: *Surgite mortui, venite ad iudicium*: ita religioso vox qua dicit: *Voueo & promitto*. in auribus semper resonare deberet; quoniã minor non habebitur suæ professionis ratio, quam vt religiosus professus est, quam mandatorum vt Christianus est transgressus.

De

De excellentia virtutis abstinentiæ, vbi multæ sacræ Scripturæ exponuntur authoritates.

CAPVT XXVI.

NAbuzardan Princeps coquorum destruxit muros Hierusalem, inquit Ieremias, quasi diceret: Multi insignes Principes, multiq́ue potentes Reges in Palestinam venerunt, & toti Asiæ dominati sunt, tandem Nabuzardan coquorum Princeps funditus Hierosolymæ muros destruxit. Dicit historia sacra, permissione diuina merentibus hoc populi peccatis, Chaldæos obsedisse Hierusalē: eorū dux Nabuzardā, ita re ssuas viriliter egit, vt Regē captiuū abduxerit, populum captiuitati subegeritt, templū deuastarit, muros destruxerit, otā terrā deleuerit, & direptioni dederit. Porrò dū hæc fierent captiuus detinebatur Ieremias Propheta in vrbe, eo quod publicè isti misero populo captiuitatem & seruitutem futuram declarasset. Sed & post carcere liberatus, & à Chal-

à Chaldęis libertate donatus, nihilominus solus in illa Hierusalem desolata ciuitate remanebat, Hebræorũ peccata & murorum destructionem lugens. Profectò si huius figurę nodus denodetur, videre erit per Hierusalẽ intelligi animam nostram, & per muros omnes virtutes quæ non custodiunt & conseruant, per Nabuzardan coquorum principem, ventrem & stomachum, in quibus omne quod edimus recipitur, & per Prophetam Ieremiam, cui non est adhibita fides, licet istam ruinam prædixisset, Synderesin aut conscientiæ & rationis remorsum, quibus fidem adhibere nunquam volumus, donec inimicos per portas intrantes videamus. Sciendum vobis est fratres omnes animæ nostræ virtutes, nihil aliud esse quam magnam gentium cohortem quę est in Republica: & huius Reipublicæ murus est abstinentia quæ eam custodit & seruat: destructis & ruinam passis mœnibus, inimicorũ iniuriæ subiacẽt ciues & incolæ: ita vt eo ipso tẽpore quo à nobis abstinẽtiam abigimus, anima nostra & omnes eam concomitantes virtutes, inimi-

inimicorum ditioni tradantur. Experientia videmus fructus quosdam sola purgatione & palpatione mareescere, arborem sola corticis detractione siccari, ciuitatem murorum destructione periclitari. Mea opinio est, Dei famuli anima ad interitum proruere, cum ab animo paupertatem expellit, & parui abstinentiam facit: Quemadmodum enim summæ corporis delitiæ sunt cibus & potus, ita animæ ieiunium & abstinentia. Tunc ergo sanctæ ciuitatis muros deuastat Nabuzardan, dum à nobis abstinētiæ virtutem expellimus. quod enim ad bellū spirituale spectat, nullus victoriæ palmam assequi potest ni prius à ventre gulā arceat. Medullam teneram & delicatam conseruat os durum, rosas recentes acua & pungens spina fouet, nucem sapore plenā asseruat putamen nucis durum, pretiosum iaspidem concha marina. Dico itaque peccatricem animam nouam assumere vitam & animum, dum aspera pascitur abstinentia. Omniū inimicorū Hebręorū lethalissimus hostis fuit Nabuzardan: eodem modo vēter & stomachus

capi-

capitales nostri sunt hostes, qui nobis plurimos & maximos infligũt labores: nã cœtera vitia in nos aliquibus duntaxat téporibus insurgunt, gula autẽ omni momento. Princeps & coquorum magister Nabuzardan, muros Hierusalem destruit dum nobis repletis & ebrijs, aggrauantur oculi & stupescunt, stomachus nimium plenus euomit, aggrauatur corpus, lingua turbatur, sepelitur denique iudicium sine vllo sensu & ratione. Si nostros abstinẽtiæ muros à Nabuzardã, hoc est à nostro ventre proditore destrui nolumus, necessariò fomẽta subtrahere debemus: adeò peruersę enim conditionis est nostrum corpus, vt quo plures ei conferimus delitias, eo lethalior noster sit inimicus Porrò si domesticus noster hostis primo non debelletur, quomodo exteros aggredi audebimus? Quâ fronte animoq́ue audebit in inimicum foris insurgere, qui se à vili gula domi suæ superare patitur? Quam de te spem concipiemus, qui superbiæ magnitudinem. iræ impetuositatẽ, concupiscẽtię stimulos, pigritiæ remissionẽ, auaritiæ putredinem,

dinẽ, inuidiæ ſecreta arcana debellare debebas, quãdoquidem te nunc à gulæ pedibus contritũ videamus? Velut ſine nauigio nullus portum, ſine pugna victoriam, ſine labore prȩmium aſſequi poteſt, ita impoſſibile eſt quenquam vitam contemplatiuam adipiſci, imò ſi in vita monaſtica conſeruare, nî prius à ſe gulæ radicem & vitiũ euellat. In Monaſterio meo & ordine multos noui inſignes viros maximè ad prædicationem dignos, & ad cantũ in choro, ad orationem in oratorio, ad lectionem in ſacra ſcriptura idoneos, & obedientiæ addictiſſimos, quos omnes vt apoſtatas vitã monaſticã deſerere non aliã ob cauſam vidi, quã ob neglectã abſtinẽtiæ virtutẽ. Hæc omnia ex S. Greg. *Declina à malo & fac bonum, inquire pacem & perſequere eã,* inquit inſignis ille Rex Dauid: quaſi diceret, Omnis qui in vita pacẽ, & in conſcientia tranquillitatẽ optat, prius à malo declinare debet quã bono adhȩrere ſecus .n. ſuas vitia agerẽt radices, priuſquã ſuos producerẽt flores virtutes. In ſe tantȩ debilitatis, & adeò exiguȩ capacitatis eſt human⁹ anim⁹, vt in eo aut ſit
vitio

vitio tantum, aut virtuti locus. Ideò dicit Propheta: *Declina à malo & fac bonum*, ita enim in ſe delicata eſt anima, vt ſimul ac ſubintrat vitiū virtutes omnes deſerat. Quod dicat Propheta: *Declina à malo & fac bonum*, docere eſt, nos humilitate frui non poſſe, nî ſuperbia liberati ſimus, neque charitate niſi auaritia, neque abſtinentia niſi gula priuemur: ſuis ſiquidem malis ſanari non poteſt anima, nî prius humorem culpæ peccaminoſum euacuet & mūdet. Sciendum quoq; quod ſanctus ille Dauid non ſuadeat nobis bonum audire, vel de bono loqui, ſed facere bonum: non enim dicit audi bonum, ſed *fac bonum*, innuens quod in virtutis materia non ſufficiat eam oculis cernere, vel de ea lingua loqui, neque eam animo deſiderare, immò nec eā manibus palpare, ſed neceſſarium omnino eſſe eam ſummis laboribus quęrere, & lachrymis Dominum rogare. Quin & notandum, non dicere Prophetā; ne facias malum, ſed *declina à malo*: docens, non ſolum non committendum peccatum; ſed bonis operibus operam dandum, Tunc à malo de-

lo declinat & facit bonum Christianus, dũ mala fugit consortia & probis se cõiungit viris, in quorum cõsortio & pręsẽtia conatur resipiscere, & nõ labi. Hęc omnia dicimus fratres vt intelligatis, si post mundum desertũ, & eremi ingressum hanc sententiã adimpleueritis, *declina à malo*, conemini & hãc adimplere *Fac bonum.* alioqui alterius & noui cuiusdam generis essetis quasi homicidæ & malefici, qui nunquã Ecclesiã ingrediũtur nisi vt se à iustitia liberẽt. Abstinete vos vt facili⁹ vacetis orationi, inquiebat S. Paulus Corinthijs scribens, quasi diceret, Quandoquidem sine lachrimarum & precum effusione viuere nullo modo possimus, ideo debẽt à blasphemia blasphemi, & ab adulterio incontinẽtes, & à cibo gulosi abstinere, eo quod stomach⁹ multis cibis repletus Deo preces & oblationes offerre nõ posit. Non immerito beatus ille Apostol⁹ dicebat, *Abstinete vos vt facilius eretis*, eructatio .n. & oratio non bene consonant. Deinde quandoquidẽ nunc quadragesimale sit tempus, ęquum vt paululũ de abstinentia corporali agamus; quamuis in rei ve-

ritate me illam ieiunare præstaret, quam cōcionando differere Scitis fratres omne vitæ nostræ tempus nihil nisi longam, atque illius adeo solemnis festi quam in gloria expectamus esse vigiliam. Eia agedum, quandoquidem adeò solemmis sit vigilia, nullus à ieiunio abstineat: quoniam quo plus in hac vita à cibis abstinebimus, eo magis gloria in gloria replebimur. Dei mater & Dei filius non solum abstinentiam coluerunt, sed & per totam sacram scripturã commendarunt: his verbis mater, *Esurientes impleuit bonis*: & his filius: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*: quasi clarius diceret, Si Dei ministri esuriẽtes beati sint, non ob famen quam patiuntur beati sunt, sed propter refectionẽ quã spectãt. Porrò cibus qui eis conferetur, adeò bonus erit vt eo in æternum omnes saturandi sint. Si sciretis fratres quã magnum & pretiosum munus sit abstinentia, & quantis à sanctis commendentur laudibus, profecto ieiunantibus inuideretis, & comedentibus compateremini. Filius enim Dei ipsa immẽsa veritas, non eos qui Hierosolymis erant sati-

tiauit, ſed famelicos in deſerto duntaxat. Cum mundo ſacra abſtinentia creata eſt, & velut alter pretioſus theſaurus in paradiſo terreſtri collocata: ſicut prima fuerit virtus quæ ſe homini obtulerit, & in qua primum lapſus eſt: nam ab ijs quibus vti poterat abſtinuit, ſed non ab ijs quibus debebat. Ante legem Moyſis viguit abſtinentia, eam in lege conſeruauit Helias, poſt legem eam exercuit Ieſus Chriſtus: in Euangelij initio eã prædicarunt Apoſtoli, deinde eam conſeruarunt ſancti viri. Quæ cum ita ſint eos ieiunantes ſequi debemus ſi gloriæ comparticipes fieri velimus. O miſera Eua, tuque miſerrime Eſau: tu prima tecum toto mũdo pomi commutatione peccato & diabolo vendidiſti: tu lenticulæ eſu perdidiſti primogenita. O quam bona & ſacra eſt abſtinẽtia: per eã facie ad faciem Deum videre Moyſes meruit, Ieruſalem manibus Sẽnacherib liberari, à ſubuerſionis terribili ſententia Niniue, & diei prolongation Ioſue vt inimicorum victoria potiretur: felix proinde admodum ille qui abſtinentiã amat, & felicior qui eam frequentat. Hæc ex S. Auguſtino.

Inter omnes tentationes nulla, quam gulæ eſt periculoſior, & quæ S. Hieronymi ſententia.

CAPVT XXVII.

ET *ne nos inducas in tentationē, ſed libera nos à malo*, inquit ſancta mater Eccleſia in oratione Dominica, quaſi diceret: Quod à te in hac oratione petimus Domine, illud eſt, vt nos nomen tuum laudare patiaris, & tuo ſiamus digni regno, vt ad tuam voluntatem agendam nos dirigas, & nobis panem quotidianum conferas, & quæ in te committimus debita dimittas, ne in tentationem incidamus: & poſtremò nos à ſummo malo liberes. tentatione gulę ſcilicet & delitiarum & intemperantiæ quotidianæ liberari cupimus. Non temerè profectò gulæ tentationem quotidianam dixi: nam non ſolum ſingulis diebus nos tentat, ſed quauis hora aggreditur. Multæ maiores & minores gulæ tentatione ſunt tentationes, ſed nulla æque nobis grauis aut moleſta eſt, ſiue à qua magis nobiſcum importune agatur. I-

deo-

deoque in ipsam velut in publicam pestem suas orationes de more dirigit sãcta mater Ecclesia Seriò nobis considerandum est quod Deum non ab ista gulæ tentatione liberari rogemus; sed tãtum ne nos in eam incidere patiatur, quam diu enim hac in mortali carne sumus, à cibo abstinere non possumus: in multi autem vel exigui cibi sumptione consistit peccatum vel non peccatũ. Quod à tentatione defendi cupiat mater Ecclesia, nec addat à qua, ratio est, quod vt Deũ nominando, Iesum Christum quoque intelligimus; & Apostolum, S. Paulum; & Philosophum; Aristotelem; ita tentationem simpliciter dicendo sine vlla alia adiunctione, gulæ tentationem intelligere debemus, quæ (quod ita longè & late distendatur in singula videlicet regna singulasque domos & personas, æquè domesticas atque alias) prima est & primo loco inter omnes alias tentationes constituta. O bone Iesu si nos à gulæ tentatione non liberes, quis digne cum illa & satis moderatè se gerere poterit? Quis perfectè scire poterit num satis nec ne comedat? vel

vel num prohibita vel permissa, ne tua bonitas vel cõrporis sanitas lædatur? Debet serio & sedulo à tentationibus cauere homo, præsertim à gulæ tentatione, quoniam vltra quod importuna & grauis est in quibus aggreditur, valde etiam cauta & subtilis est & in petitionibus admodum astuta : sic vt multi eam sentiant, & pauci intelligant. Quis eam perfectè cognoscere poterit, quandoquidem quandoque à nobis quædam quibus se sustineat exigat, quæ tamen suis voluptatibus solummodo deseruiunt. Quis tãtarum viriũ quibus adeò familiari & domesticæ tentationi resistat, cum vix bolum quem in ore habeo absorbuerim, quin cogitem quid crastina die sim esurus? Quid isti maledictæ tentationi & guloso isti ventri agam, cum cibus quem heri concupiueram nunc stomacho meo nauseet? Ergo *ne nos inducas in tentationem*. O bone Iesu, infirmor quoties multum comedo : animo deficio quoties non satis competenter. Si aquam hauriam, oppilor; si vinum, inebrior; si insipi-

dos edam cibos, statim ab ijs abhorreo; si delicatos, statim alios appeto: sic vt delitiarum vi isti importunæ gulæ nullo modo satisfacere possim, neque lachrimarum copia eam à me abigere: hic enim meus cupidus stomachus vult, etiamsi nolim, modo carnes, modo pisces, modo legumina, modo fructus, modo crustas, modo micas, modo assatas carnes, modo elixas, modo serius, modo citius: vt ei satisfaciam non tantos sustineo labores, neque in tantum torqueor quæ edere debeo quærendo, quam ea vt palato placeant condiendo. *Ne nos inducas in tentationem*: maledicta enim illa gulæ tentatio non solum molesta & peruersa est, sed & diuturna: incedere enim aut operari sine cibo non possumus, immo nec viuere: nunquam à nobis illa tentatio recedit, donec à corpore migret anima. Quis ille qui hanc audebit amare vitam, cum in ea permanere non possit, sine detrimento tertij & præiudicio? Dic quæso mihi, si in flu-

minibus pisces non caperes, & terræ fructus non colligeres, si animalium fœtibus non vtereris, si arborum fructu non vtereris, quomodo in terra viuere posses? Quam hac in vita voluptatē sumere quis potest, alterius cū iactura, cùm viuere debeat? Equidem, ni diuinam voluntatem nos ita viuere velle scirem, dico & fateor me nullius animalis intueri sine fletu posse occisionem. *Et ne nos inducas in tentationem*: nisi enim nos sua gratia præueniat, & sua manu pia dirigat Deus, ab ea summa cum difficultate abstinebimus. certum est, immo nobis impossibile erit in eam non incidere: ita grauiter ab ea tentamur, & adeò malè dirigimur. Dicite ergo cum Ecclesia fratres, *Et ne nos inducas in tentationem.* nostro gutturi siquidem inseruientes & satisfacientes distendimur & obstruimur, phtisi laboramus & hidropisi: medicos arcessimus, mane pharmacopolarum officinas inuisimus, herbas quærimus, nimia sanguinis euulsione venas confringimus.

Quod

Quod ad abstinentiam spectat, non solum illa ad expellenda ab anima peccata prodest, sed ad corporis infirmitates vitandas: eo quod corrupti qui in nobis generantur humores, non à labore quos facimus emanent, sed à cibis tantum quos comedimus. In Palestinæ Monasterijs inquit S. Hieron. educatus fui, & in Aegypti desertis habitaui, quibus in locis multos ægros & periclitantes non aliam ob causam quam ob intemperantiam vidi. Tunc quoque temporis Romæ multos diuites mirum in modum podagra laborantes adspexi, qb⁹ neq; vlla exposita pecunia, neq; vlla voluptas vnquam ad sanitatem profuit, donec tandem in miseriam & paupertatem incidissent, quæ eis postmodum ad sanandum podagram medicina fuit. O sacra & benedicta abstinentia, quid de te dicam? quibus verbis æquabo laudem tuam? Fugas audaciam an præsumptionem: diabolum terres, periculis es remedio, valetudini tutaméto, vitia purgas, iudiciũ acuis, memoriam fortificas, linguã liberam reddis, familiam regis & annuos auges

prouentus. multis annis exercitam sunt qui laudãt abstinentiam, alij multis mẽsibus, cæteri aliquot septimanis: ego autem dico, & certo certius teneo, nullam quotidiana maiorem abstinentiam, quę exercetur cum progressu de virtute in virtutem, & cum quotidiana cibi nostri restrictione. Quod Domino precor obsequium præstas integra ieiunans die, si sub vesperum domum ebrius & vino plenus reuertaris? Quam pro ieiunio tuo mercedem speras, quandoquidem vna istius diei refectione plus comederis, quam alias duabus? Quomodo Deo tua accepta foret abstinentia, cum de die nihil nisi delitias quæras, & nunquã fortassis sis lachrimarũ memor? Testis est mihi Deus, quod in Aegypti desertis commorantes, ex solis adustione Aethiopes potius videremur, quam candidi Asiæ viri, & tamen in tanta siccitate & isto montium rigore, Monachos hic residentes, etsi ægros, ægros vidi eodẽ modo condemnari quod recentem aquam biberent & aliquid coctum ederẽt, ac si fornicationem commisissent. Per totam sacram scripturam nullum

Regem neque Prophetam aut Sanctũ reperies, qui ieiunij tempore templum non adierit, vel cilicio se non induerit, vel capiti cineres non apposuerit, vel qui à cibis non abstinuerit & lachrimis non se dederit. Dum Regis & totius populi mortem post quadragesimum diẽ Niniuitis Propheta Ionas annunciauit, non solum ieiunarunt illi, sed & animalibus pascua & infantibus vbera abstulerunt: quod ieiunium ita Deo acceptum fuit, vt non solum veniam meruerint, sed & à Iesu Christo summam pænitentiæ & ieiunij receperint laudem. Dic quæso mihi frater, putas eos qui equis pascua & infantibus vbera ademerant delicatos pro se quæsijsse cibos? infantes enim naturaliter deficiente cibo lachrimantur, ideo eorum lachrimas Deo offerre voluerunt parentes, vt earum meritis veniam consequerentur. O quam felix foret ille, qui in ieiunio Niniuitas imitaretur: non equidem lac infantibus adimens, sed sua membra vitijs enormibus assueta domans, quibus

toties cibum conferimus, quoties ea labi & peccare patimur. Quandoquidem infantibus vbera Niniuitæ abstulerint, aufer frater ab oculis ne huc illuc voluantur vbera, aufer cogitationibus ne commaculentur, linguæ, ne se ita liberam reddat; ventri, vt ieiunet; animo, vt tranquillus sit. Hoc si feceris, cum Niniuitis veniam consequeris, & cum Christianis iustificaberis. Hæc ex sancto Hieronymo.

Quod non multum prosit stomachum ieiunare ni à peccatis abstineatur, & quid super hac re dicat sanctus Ambrosius.

CAPVT XXVIII.

HOc genus dæmoniorum non eÿcitur, nisi in ieiunio & oratione. (*Matth 17.*) inquit suis discipulis Iesus Christus: quasi diceret, Ita potentes & fortes sunt diaboli, peruersi homines autem ita impotentes & subditi, vt nullo modo detrudendi & debellandi sint, nisi oratione & ieiunio. Quod dicat Dominus noster sine oratione

& ieiunio

& ieiunio dæmones non velle corporibus egredi, dicere est, parum admodũ esse à cibis à Deo creatis abstinere, ni simul à peccatis abstineatur. Christianus qui magnum ieiunium facit, non autem peccata, Iesu Christi amicus esse non potest, sed diaboli discipulus: à ieiunio etenim etsi abstineat, nõ tamen à peccato. Quid prodest corpus abstinentia macerare, si animus malitia plenus remaneat? Quid prodest à vino, quod inebriare potest abstinere, si ab ira quę te offendere facit non abstineas? Si solus peccauit venter, ieiunet venter, sed si & cætera peccarint membra, cur quæso à ieiunio abstinerent? Ieiunent manus, si furatæ sint, ieiunent pedes, si ad luxuriam perrexerint, oculi si concupierint, animus si mali quidpiam cogitauit, memoria si benè agere non meminit. Non sine iniuria enim solus pateretur stomach⁹, cum cætera peccato obnoxia membra sint. *Tu autem cum ieiunas vnge caput tuũ, & faciem tuam laua* aiebat Iesus Christus de ieiunio agens, quasi diceret; Dum pro peccatis à cibis abstinere volueris, sedulo curabis ne sine ieiunio te vngas,

& ne sine vnctione ieiunes, neque tibi caput vnges, nî prius faciem tuam laueris. Hæc secundum litteram ad Pharisæos hypocritas confundendos dicebat Iesus Christus, qui ieiuniorum diebus per plateas tristes, discalceati, capite demisso, pallida facie, & laceri, tacentes & plorantes (omnia hæc non ad acriorem pœnitentiam agendam exequentes, sed ad maius nomen in Republica sibi comparandum) incedebant. Sciendum quoque est quod in Palestina in qua sita est Judæa, moris esset bonis se vestire togis, faciem lauare, & solemnioribus festis caput vngere, & hoc modo cũ familia diem festum agere & frontem exhilarare. Volens ergo ab errore ieiunantes reuocare IesusChristus, ne ad vanam gloriã ieiunarent, sed ad abstinentiã seruandã, pręcepit eis vt caput vngerent, & faciem lauarent, quæ actiones tunc in exultationis & gaudij indicium fiebant. Litteræ ergo corticem omittentes, & spiritus medullam assumentes, dicimus nõ sine magno arcano & commodo, Iesu Christo nostra ieiunia & vnctiones non satisfacere, ni ijs lotiones adhibeamus.

Quid

Quid enim nostri muneris & obseruãtiæ sit hoc mysterio docet Iesus Christus. Qui caput suum vngit capiti quidpiam apponit quod antea non erat, qui verò faciem suam lauat, aliquid adimit, sordes videlicet quæ faciei inhærebant. ieiunium proinde non admodum fructuosum, quin omnino infructuosum est & siccum, ni cum eo capitis vnctio iungatur (quæ fit boni alicuius operis executione) vel faciei lotio, quæ fit resipiscentia & notabilis vitij correctione. Notandum profectò serio est quod vno die vno eodemque loco, vna concione & vno discursu simul ieiunium, vnctionem, & lotionem præceperit Iesus Christus. Quibus innuit quod à vitijs declinantes, statim virtutibus inhærere debeamus: frustra enim nostrum stomachum affligeremus, si nullum ex ieiunio referremus fructum. Putas frater ieiunij perfectionem in carne quam relinquis vel in legumine quod edis consistere? Verum ieiunium est capitis vnctio, & integra faciei lotio, hoc est, virtutis operatio, & vitij fuga: in domo enim illius qui verè abstinẽs est, statim saturatur spi-

ritus, vbi famelicum est corpus. Quod non pedes, neque manus, neque corpus vngere nos vult Iesus Christus, sed solum caput, docet, omnia opera nostra bona si quæ fortasse exerceamus, in memoria recondenda esse & capiti nostro apponenda, vt Iesu Christi, qui nos bonum facere præstitit, & à quo gratiam recipimus, non obliuiscamur. Sciẽdum quoq; quod in hominis capite tres animæ facultates & potentiæ resideant, & quinque corporis sensus. Tunc caput vngimus, dum nihil nisi Deum cogitat intellectus; dum Dei tantum meminit memoria; dum non nisi Deum amat voluntas. Dic quæso mihi cur te abstinentia maceras, quandoquidem tuum non sit vnctum caput? Nihil nisi mundum cogitas, nihil nisi mundi meministi: Putas quæso te à Iesu Christo quicquid voles consequuturum ob ieiunium male ieiunatum? Si ad solum ieiunium nos hortaretur Iesus Christus, si nos lauare & caput nostrum vngere nõ vellet, profecto solius ieiunij substantiã magni facere possemus: sed scias ipsum nobis aliud præcipere, ideoque æquum

est vt illud adimplere conemur. nostræ enim abstinentiæ meritum, non in herbis malè coctis, neq; in inconditis quæ comedimus folijs cōsistit, sed in pietatis operibus, quæ ieiunij die exercemus. Nō sine mysterio nobis vultum lauare, in quo sunt oculi quibus videmus, nares quib⁹ odoramus, os quo comedim⁹ lingua qua loquimur, honestas & decus quæ nobis in pretio sunt. præcipit Iesus Christus: sic vt hæc omnia lauanda tibi sint, si vt Christianus ieiunare velis. Quid prodest homini si à piscibus abstineat, & non à peccatis? Quid prodest animæ crudas herbas comedenti, si lingua nihil nisi malitiam proferat? Quid tibi proderit, si in Quadragesima à te odorifera reijcias aromata, cū à vitijs putredine plenis non declines? Loco summæ rusticitatis tibi est, si singulis diebus faciem tuam nō laues, & tamen tuæ te non pudet diuturnæ in peccatis perseuerantiæ. Magni te facis si totam Quadragesimam ieiunes, & tamen ne vni quidem iniuriæ indulgere vis. Laua te frater, laua. In Iordane ante inceptum ieiuniū à sancto Ioanne to-

lotus fuit Iesus Christus, vt intelligeremus summam & perfectam esse abstinentiam, prius peccata quam cibum deserere. Quod eheu hoc tempore non fit: à cibo quidem cessant homines, sed nunquam à peccatis. Sicuti mala quandoque contrarijs curantur, velim te à licitis abstinere, eo quod illicita patrare ausus fueris: cuperemqúe te quæ tibi permissa sunt, rescindere, quandoquidem prohibita transgredi præsumpseris; & vero non pudet minimarum rerum abstinentiam tantum agere, qui magna transgredi ausus es? Hoc consilium adeò excellens vitiosis & corruptis hominibus non do; sed perfectis, eo quod peruersi cor malitia induratum habeant, probi autem à recta virtutis semita non deuiant, ne vel in vno otioso verbo.

Litteræ S. Basilij ad Iulianum apostatam in abstinentiæ commendationem & fauorem.

CAPVT XXIX.

ILlustrissime & serenissime Princeps, dice-

dicebat Iesus Christus. *Matt.5. Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum*: quasi apertius diceret, Quod ad mundum, nullum hominem infeliciorem putat homine auxilio destituto; è contra ego nullum feliciorem eo reor, qui à tyrannis punitur, & ab iniquis torquetur, dũmodo illius persequutio ad iustitiam tuendam fiat, non autem ob malum crimen aut peccatum. Summum nobis est bonum, nobis inquam Christianis Iesum Christum pro Deo nostro habere, qui diligenter quid patiamur aduertit, quomodo, & ob quam causam, & in quo pondere, numero & mensura patiamur, vt postea in generali iudicij die, vel vnum gloriæ nobis ab eo conferendæ diem, longe obsequijs totius vitæ nostræ pretiosiorẽ esse sciamus. Quandiu in fluuiũ iaciuntur retia, in terrã semina, rosa adnascitur spinis, voluox adheret vuis, à capris non recedit ouis, boni & mali simul iunguntur: sed indicium est, quo dignoscãtur. Malos signat diabolus eis delitias & voluptates conferens, & bonos Dominus Deus eos

pœ-

pœnis & laboribus onerans. Dominus noſter Ieſus Chriſtus nullas in mundo habuit diuitias præter miſeriam & inopiam, multis ſimul pœnis & laborib⁹ coniunctis, ideò ſuis familiaribus amicis hos theſauros diſpergit, ſic vt afflictiſsimus ſit amiciſsimus. Quod ad me, etſi non ſim de numero eorum quos maxime amat, vel eorum quos in ſua ſancta domo recreat, needum aſcribar, multum quippe mihi parcit & modicè me punit; tamen reuera, videtur me ſuorum collegio aſſociare velle; quandoquidem cum illis me patiatur affligi. Hæc dico ſereniſſime Princeps quod Ampronianus Capadociȩ Prȩtor, ſummuſque totius Aſiæ quæſtor mihi epiſtolã à te datam dederit, qua quid à me peteres expoſuit. Sed licet Ieſus Chriſtus, & tuus quoque Ampronius videat, me ſcilicet tuæ petitioni non poſſe ſatisfacere & mandata tua adimplere, nihilominus me cõpedibus vinctum in carcerem detrudi iuſsit. Iubes illuſtriſsime Princeps vt ex Epiſcopatus mei prouẽtu mille tibi auri libellas tradam, equidem eas lubens ſi valerem darem, quod non in-

inhibeat Christus Deus noster, ne Principibus Christianis obedientiam exhibeamus, vel bona nostra erogemus. Mei Episcopatus reditus in sola agri parte in decem oleastris, decem apium aluearibus, vna mola, vna domo, quadraginta ouibus, octo palmis dactiliferisque arboribus, tribus ficubus & exiguo horto consistit, quorum bonorum nõ me proprietarium dominum habeo, sed Apostolicum dispensatorem: nam ea colligendi mihi cura data est & recõdendi, vt pauperes foueam. Jesus Christus Dominus noster pauper natus, pauper vixit & mortuus est pauper, nobis ideo præcipit, nobis inquam ministris, vt omnia suæ Ecclesiæ bona omnesque ei oblatas oblationes tũ miseris orphanis & egenis, tum miseris, afflictisque qui nihil lucrari possũt erogemus. Scio me non Apostolũ, sum tamen eorũ successor, & mihi quamuis indigno eadẽ data est cura: ideoque huic adeo strictę dispensationi deuinctus sum, non autẽ vt thesauros congregẽ, serenissime Princeps: mihi enim thesauros habere non licet nec congregare. nostra hæc vocatio &

Apo-

Apostolicus status apeò arctˀ est & strictus, & si qs nostrũ fortasse thesaurorũ cõgregat oni se daret, vel si bona cõmissa dilapidaret ea non ritè expendens, talis sacrilegij furto commissi condemnaretur. Altari furamur quicquid pauperibus non impartimur: in nostra siquidem lege ille sacrilegium committeret & Iesu Christi famulus non esset, qui bis nudum pauperem reperiens, illum vel prima vice veste non donasset. Quod ad me illustrissime Princeps, pluris me facio quod Monachus sim, quam quod Episcopus. Rogo vt Deus eis qui me ab eremo eduxerunt vt me medijs iterum mundi in tumultibus constituerent, ignoscat: nam mihi Monacho sola orandi & corbes vimineas cõficiendi cura erat; nũc verò mihi animarũ regimẽ est cõmissũ. Ex quo tempore non licuit in eremo residere, sanctorum Monachorum consortio vtor, qui mihi suis consiliis quibus me regam, suis orationibus quibus mihi salutem comparem, & suis manibus quibus me foueam præsto sunt: maxima enim nostri cibi pars laboribus nostris comparatur.

Sit mihi Deus testis serenissime Princeps, si aliquando vel in monastico statu vel Episcopali dignitate, meę argentum tractauerint manus, vel si aurum portas meas sit ingressum. ego enim cum meis pluris glutcum globum ad tugurium meum occludendum facio, quã Nili ad texendas coronas aurum. Si quę offeratur eleemosina, vel si quidpiã ex prouentibus nostris recipimus, eius receptio & expẽsio penes vnũ ex nostris est, qui pauperibꝰ primo, deinde nobis distribuit: Dei si quidem ministro mẽsæ nõ assidẽdũ nĩ priꝰ erogarit eleemosinam. Si quem mellis fauum, si aliquas ex nostris oleastris oliuas, si quem manibus nostris confectum cophinum, si quas radices quibus pro cibo nostro vtimur desideras, illa tibi per officiarios tuos subministrare poterimus, sed aurum aut argentum non agnoscimus. Quomodo aurum aut argentum tibi conferrent illi, qui nunquam nisi Dominico die vtuntur lumine, qui nunquam carnes edunt, nisi in Paschate, qui nũquam aquam dulcẽ bibunt, nisi semel in septimana? Quomodo tributũ dabũt illi, qui nisi cãpi fructibus vescun-

cuntur? Quomodo mille libellas aureas darent illi, qui exiguo oratorio carentes, diebus Dominicis sub vmbra castaneæ communicant? Putas promptuaria nostra magna esse? nullus vnquam culinam nostram ingressus est coquus. Quod ad culinæ apparatus, mēsæ stratores, expensæ prouisiones, vinum alexandricum, & alia delicata huiusmodi, vocationi monasticæ prorsus sunt ignota: ad puram quippe conscientiam conseruandam parum conueniunt. Quomodo reberis illos minas aureas detegere conari, qui pro suis delitiis lactucis siluestribus vtuntur aceto acerbissimo mixtis? Hac in eremo quatuor miliaria ad aquam dulcem nobis comparaturi & tria ad salsam progredimur. Quomodo ergo tibi persuadere facile erit quod aurum aut argentum congregemus? Ne nos ergo Princeps illustrissime aurum aut argentum quæso roges mei enim mecum Monachi pluris diuitiarum quarum cupidus es contemptum faciunt, quam thesauros, cū præsertim hoc in aspero & arenoso deserto habitent, vbi delitiarum vsus licet

re-

requisitus non conceditur, neque vllus reperitur thesaurus etiamsi satagetur. Ita paupertati assueti sumus, & ita odio nobis est auaritiæ vitium, vt quadam ab vno religiosorum meorum reperta auri massa non fuerit ausus illam è terra tollere, quod si postea in suo tugurio reperta fuisset, se sepultura Ecclesiastica priuandum sciret. Hæc scribo serenissime Princeps, vt videas quā iniqua cū ratione tuus Amponius me in carcerē detrudi iusserit. Monachos meos operi manum admouere feci, qui in redemptionem meam suas cusullas, quibus se tegunt, mittunt, iunctis simul quibusdam calathis, quos suis manibus confecerunt, teq́ue hoc scire volo ô Iuliane, quod illas exiguas corbes mittentes omnes vultus sudores mittant, & quod vt se & me foueant diuturnos patiantur labores. Nudi tamen incedēt, & multam patiēter famem dummodo me his vinculis ferreis liberent. Obsecro Domine, vt hoc quod tibi mittitur ęquo suscipias animo, quod magni non fiant munera, quæ diuitijs magnis & pretio fiunt, sed affectio qua illa mittun-

tur. Si corbiculas spectes, non eas magni pendes, sed si lachrymas quibus illę confectę sunt consideres, magni facies: hoc enim in his desertis opus nostrum est, pro pauperibus vimineas corbes contexere, & peccatorum peccata deflere. Dico ergo illustrissime Princeps, Iesum Christum captiuum detinuit Pilatus, (*Matth.* 27.) S. Petrum Herodes, S. Paulum Festus, (*Act.* 12. *&* 25.) nunc me Amponianus: si Domino non placeat, vt me liberes, & tuo vicario vt redimar, fortasse ex malo Monacho bonū martyrem Episcopum feceris. Hæc ex S. Basilio.

Dei famulo mundi epulas & conuiuia fugienda: sæpius enim istis assidere diabolum.

CAPVT XXX.

M*Elius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij*, inquiebat Sapiens: (*Eccles.* 7.) Sensus est, si quos flentes videas, alios autem edentes & ridentes, satius est tę domum luctus adire quam con-

conuiuij. cum tristibus enim tua deflebis peccata, cum conuiuis peccata peccatis iunges. Huic sacro cõsilio auscultamus, quã inuiti ad conuiuia accedere debemus? nemo .n. in fletu peccat, & vix sine peccato cõuiuia frequẽtantur. Rogatus Philosophus Chilo, quid ab amico ad cõuiuium vocato agendum, respondit: probi nomen & Philosophi famam conseruare volenti, templum adeundum libenter, & ex necessitate bellum; sed domus conuiuij neq; propria voluntate neque coactè. Rogatus Imperator Augustus, cur & ludos, & vrbis Romanæ conuiuia prohiberet, respondit: se ludos inhibuisse quod Dij in ijs blasphemarentur, & conuiuia quod in ijs vicinis & conciuibus detraheretur. Marcus Antius Consul, qui legem Antiam instituit, sub graui pœna Romanis inhibuerat, ne ciuium vllus alium sine venia Censoris inuitaret. Si quis inuitare aliquem vellet, debebat inuitans inuitati in domũ cœnam vel prandium mittere. In vita Patrum narratur, quod cuidã Alexandriæ nobili ægrè ferenti, quod cum

ſancto Arſenio Abbate menſæ aſſidere non poſſet, reſpondit S. Senex: Neque tecum edere, neq; me à te inuitari permittere ſum auſus: nullus etenim noſtrum hac in eremo reſidentium in alterius mēſa edere ſine magna ſuæ libertatis iactura, & ſine virtutis periclitādæ poteſt periculo. imò addit: mea eremo non egredior, & in Alexandriam non venio, vt frōtem vobiſcum exhilarem, ſed vt vos ad laborem horter. non venio ad prandium vocandus, ſed ad ieiunium vos inuitaturus, vt veſtra abſtinētia à domibus veſtris gulā expellatis. Qui profectò curioſe conſiderare & legere voluerint, videbunt vix vllum parari conuiuium, cui non adſit diabolus: vnde & præſenti ſemper fere adportat infortunium. Et ne videamur verba futilia proferre, quædam ſacræ ſcripturę in medium producemus cōuiuia, in quibus adeò mira & enormia acciderunt, vt ea perpetua memoria & fletu digna ſint.

Primus qui in mūdum conuiuia adduxit maledictus ſathanas fuit, dum primos parentes noſtros ad inhibitum fructum

fructum comedendũ impulit, & huius conuiuij fructus fuit, deceptio Euæ, originalis iustitiæ & innocentię priuatio, & totius generis humani in mortis aliarumqúe ineuitabilem seruitutem pręcipitatio. (*Gen* 3.) Sancto illi Isaac, (*Gen.* 27.) oculis & orexi præ nimia senectute priuato Rebecca fecit ex hædis cibos, quibus libenter vescebatur. Illud conuiuium adeo vni filiorum profuit, & alteri vsqueadeo obfuit, vt primogeniti perdiderit benedictionem Esau, quæ fratri suo data est: & sic deceptus & illusus fuit miser senex. Absolō 2 *Reg.* 13. Regis Dauidis amantissimus filius adeò formosæ faciei puer, nunquid & solénе suis fratribus in villa tondentibus gregem pastoribus cōstruxit conuiuium. Porrò quis conuiuij finis? fratris Ammon ob violatam Thamar occisio, exilium Absalonis, dolor Dauidis, regni totius turbatio. Magnus ille Assuerus qui centũ & viginti dominatus est prouincijs, vt suarum diuitiarum & suæ potentiæ magnitudinem ostentaret, superbum in regiæ domus suæ hortis celebrauit conuiuium, ad quos omnes

Susę ciuitatis, in qua habitabat incolas, omnesq; suos Principes & aulicos inuitauit. & hoc quàm infelix conuiuium! repudiata enim fuit Regina Vasthi, Eunuchi nobilissimi interempti, morti adiudicati omnes Hebræi, & vehementer rege Assuero irato, suspensus fuit familiaris amicus eius Aman, & omne regnum turbatum. (*Esther* 1. *& seq.*) Inter filios Iob natu maior conuiuiũ quoque extruxit, sex ad illud fratres suos & tres sorores conuocauit: & huius conuiuij finis fuit, quod vno die, vna hora, vna eademquę in domo, ante expletas epulas mensasquę remotas ad vnum omnes ruina domus oppressi sunt, quãuis tamen singulis diebus eis benediceret, & pro eis oraret pater, (*Iob* 1.) Magnus ille princeps Regis Nabuchodonosor filius Balthasar, à Dario & Cyro Persa obsessus, principibus sui exercitus, & palatij Dominabus solenne construxit conuiuium. huius miseri & infelicis conuiuij quis finis? Rex in sui conuiuij medio eadem nocte interfectus fuit: concubinę captæ, surrepti thesauri, deletus exercitus. & omne regnum

regnũ diuisum; & ad interitũ redactũ. Dic precor mihi, nónne omnes quos hic recensuimus, & infiniti alij quos omisimus, tutius domi comedissent soli, quam in suis conuiuijs tantis comitati viris? His exemplis in mediũ productis Dei famulũ monemus, ne facilè Monasterio egredi ad edendum presumat, neve temerè se in huius mũdi conuiuijs ostẽdat: ita enim ab istis diligenter, & ab ijs qui in istis viuunt cauere debet. vt nõ solum cum istis & in istis non conuersetur; sed ne istorum quidẽ libenter mentionem fieri audiat. Solent mundani post lites simul edere aut bibere, vt in amicitiam pristinam redeãt: sic vt ciuiũ amicitiæ nullæ sint, nisi scyphis confirmatæ & signatæ. Cum ergo mundũ vt bonus Christianus & religiosus abnegaris, quid aliud est quęso conuiuere mundanis, quã in mundũ negotiandi causa reuerti? Sodomã respiciẽs si ita grauiter punita fuit misera vxor Loth, quomodo tu miser Monache punieris, si ad potum & cibum vt profanus & fallax reuertaris, cum à Domino huius mundi oblectamentis,

& periculis liberatus sis? Non aliam ob causam Israelitas puniuit Dominus, (*Num. 11*) quam quod in Aegyptum allia & cepas esuri reuerti cuperẽt: tibine quæso putas illum indulturum, tibi inquam, qui cum mũdanis commessaris & potitas? impossibile est bonæ conscientiæ & verecũdiæ religiosum, bonam cum mundo sumere refectionem: si enim pauci sit cibi, illum hypocritam habebit: si magni, gulosum: & quod grauius est, omnes haustus, & omnia verba quæ profert notat. Deinde modo seriò, modo ironicè inuitamur. Certò scitote fratres, & nullatenus dubitetis parẽtes nostros, quamuis nobis amici & affines sint, malle nos in Monasterijs nostris ieiunare, quã in domibus eorum comedere. Quamuis te obnixe rogẽt amicus, & quidem importune, vt domum eius adeas, vel mensæ eius assideas, scias illum hoc potius ciuilitate motum agere, quam vt tua pręsentia fruatur. Deinde, de more cupiunt sęculares nos magis eorum peccata cum ipsis deflere, quam eorum cibos comedere. Adolescenti se sequi volẽti, (*Matt.*

(*Matt*.8.) domũ reuertendi, vt patrem ſepeliret, licẽtiam dare noluit Chriſtus: tibi ne putas, vt cum mundanis lætitia afficiaris facultatem concedet? Compara peccatum peccato, & culpã culpæ: nonne fortaſſe minus erat peccatum mortuos ſepelire, quam cum mũdanis edere & bibere? Hanc tamen ſepulturam prohibuit Jeſus Chriſtus, vt intelligeremus multa mundanis eſſe licita, quæ Monachis ſunt illicita & inhibita. Monachus qui vltro mũdi delitias deſeruit, ſeque vt religioſæ perfectioni obtulit, non exiguum quid, aut leue cõmittit, dum epulis intereſt, non aliam ob cauſam quam vt animum exhilaret. & delicatos edat cibos. in rei veritate enim inter homines vanos & mundanos parui fit ille cui ita conuiuia ſunt cordi. Si inuiteris, & vrgaris, caue addicas & conſentias: verus enim Dei famulus nunquam ſui Monaſterij clauſtris egreditur, niſi ob exequenda negotia, ad quæ conſcientia adſtringit, ſiue vt obedientiæ mandatis ſatisfaciat. Vereare igitur, vereare, ne ad huiuſmodi cõuiuia inuiteris, mundanis conuiuere formida,

mida, eò quod vix vllum ſit cõuiuium mundanum, in quo non hallucinentur oculi, vel rationis limites non tranſgrediatur gula, vel in quo temerarium non proferatur verbum, in viri honeſti pręiudicium. Cur ad illa conuiuia inuitari deſideras, cum in Monaſterium tuum ſine ſcrupulo regredi non valeas? An neſcis menſæ alterius aſſidẽs, ad omnes quos adis cibos laudãdos te deuinciri, & ad contemnendum omne quod alij contemnunt etiamſi bonum? Sed dices, nec Dei mandata, nec religionis ſtatuta ſolui cum amicis cõuiuando: concedo quidem non eſſe peccatum: ſed nullo modo negare poteris te in peccãdi periculo temetipſum exponere: nam ſub multarum voluptatum prætextu, vitia tecta & laruata oriuntur. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos*, dicebat Apoſtolus Theſſalonicenſibus, quaſi diceret: Vos moneo fratres, quod à tẽpore quo ſacrum ſuſcepiſtis baptiſma, & Euangelium obſeruaturos vos polliciti eſtis, non ſolum à peccatis abſtinere teneamini; ſed & ab omni peccati ſpecie, præſertim cum ad lapſum valde procliues

cliues simus, & ad resurgendum admodum imbecilles. Mirum in modum huius Apostoli doctrina sublimis & profunda est: non enim ei satis est, si à peccatis abstineamus, sed vult nos omnia loca in quibus ad peccatum allici possemus subterfugere. Qua in re profectò probè monet Apostolus: in locis siquidem occasione plenis maximè periclitantur probi. Lusus illicitus peccatum est: adire locū in quo aleis alijsqúe modis illicitè luditur, species est peccat, nimns esus peccatum est, cum gulosis edere species peccati est. Ideoque qui Apostoli consiliū sequuntur, ne in peccata incidant peccatorum conuersationem euitant. Mundanis sufficit si non peccent, sed non religiosis. peccati enim occasiones subterfugere debent, quod à guloso & delicato Monacho non fit, seipsum enim inuitat, licet à mundanis non inuitetur. apartum est: nam sæpius deambulat, nihil aliud agit quam bonum prandium quærens.

Porrò Dei famulus, ne vel progredi debet pedem, nisi eum

obediētia, nec vel vnum proferre verbum, niſi ſanctum, nec vel vnā niſi ſanctam habere cogitationē, nec vel vnum niſi meritorium exercere opus. Dic quæſo quid mundum ad prandium vel cœnā inuitandus inuiſis? incurris enim in ebrietatem incidendi periculū, cum ſobrius & probus Monaſterio egreſſus ſis. Si de Deo cum conuiuis agere velis, non te audient; ſi vana quædam eparres, ſcandalizabuntur; ſi eos nuncia roges, habeberis curioſus; ſi petitionibus eorum non reſpondeas, habeberis ignarus: vt incepiſti menſæ aſſidere, vitam tuā examini præbuiſti. Si natura ſis temperatus, quietus, in Monaſterio tuo mane: ſi guloſus & vorax, eò minus vt conuiuia adeas ſuadeo. Scias bonam & delicatam refectionē magis orexim excitare, quam concupiſcentiam domare. In cœnobio tuo comedens, ſanctorum conſortio conuiuis, cibos benedictos, cibos ſalubres, hora conuenienti, ſub diſciplina regulari, ſub merito obedientiæ, ſacram ſcripturam auribus excipiens, comedis. Si in mundo edas, ſerius edendū, vorandū celerius,
inter

inter loquentium ſtrepitus, cachinnos: ridendum, ſi rideatur. interrogaris? reſpondendum. læderis? diſſimulandũ. Huiuſmodi menſa adeò corpori periculoſa eſt, animæ ita periculoſa, vt nec acceptari, nec illius quidem mẽtio fieri deberet; exigua enim & ordinaria cœnobij portio ſuperat omnes mundi delitias.

De honeſtate & ciuilitate quam præſe ferre debet religioſus, extra Monaſterium comedens.

CAPVT XXXI.

SI charitate motus, aut humanitate deuictus conuiuium adis, fac ex obedientia & venia. ſi enim ſine ordinis licentia Prælato inſcio hoc ageres, non ſolũ culpa erit, ſed & apoſtaſiæ ſpecies. Nec ſatis ſi à Prælato veniam impetraris, ſed & tibi honeſtum & religioſum debet adiungi conſortium: Religioſus enim qui ſolus deambulare audet, nullius apud ſuos eſt fidei, & alijs malo eſt exemplo. Non temere tibi bonum con-

ſortium eligendum eſſe dicimus; ſi e-nem comes tuus in potu & cibo diſſolutus ſit, nec edere nec bibere tibi lubebit. Conuiuijdie antequam egrediaris, miſſæ interſis, diuinum imple officium, ſolitæ pietatis memor ſis, nec ita mature eo properes, vt exſpectes, nec ita ſero vt exſpecteris. ſic te adueniens & reuertens gere, vt eo potius te pietate motum, quam recreatione appareat adiſſe. Cum fuerit diſcumbendi tempus, primo cibis benedic, neque leuiter te primo patiaris ſedere loco: hoc enim agens, & tuam demonſtrabis grauitaté & humilitatem. Hoc vnum ſcias velim frater, quo probior es religioſus, eo te in omnes honeſtiorem & ciuiliorem geras: bona enim ciuilitas rectæ conſcientiæ nunquam impedimento eſt. Ne niſi cum alijs comedas, ne niſi alijs bibentibus bibas, ne lances omnino euacues, ne in ſorbitionem diſſolute irruas, nihil delicati petas: licet enim regulam non tranſgrediaris, bonæ ciuilitatis tamen legem ſolues. Caue ne bibens pateram exhaurias, vide ne comedens ſuper te effun-

effundas, & te coinquines. Memineris multum aquæ vino tuo miscere, in manibus scyphum habens vinum expetere, gulosi indicium foret Monachi: non peccatum solum, sed & ebrietas posset dici, quod est summum sacrilegium. ne mantili manus purges, ne lingua digitos lambas, ne nares tuas emunctorio resonare facias, & vide ne multum tussias & spuas. Ne in modum Simiæ duabus maxillis edas, ne ossa medullam euulsurus contundas. in his enim omnibus exiguum reperturus es, alijs autem malo futurus exemplo. Caue ne in mensa multum nugeris, neve nuncia expetas. Si rogatus respondere compellaris, ne in tuis responsionibus te rusticum præbeas. Sic respondeas, ne in tuis verbis prolixus nimium sis, neque in tuis propositionibus nimium pertinax, capitosus enim & pertinax Monachus stulti cognatus, & fatui frater est germanus. Moris est in mundi conuiuijs, vino calidos de aliorum vita non sine detractione loqui. Caue hic abripi, tuamve opi-

opinionem edicere. maius alioqui tuæ conſcientiæ afferes detrimẽtum, quam menſæ cibis. Si menſæ fœminæ aut puellæ aſſideant, vide ne cum eis multa facias verba, vel eas nimium aſpicias: ſcias enim illas magis à planta pedis ad verticem vſque ad videndum te eſſe intentas, quàm tu tuo cibo, quin & inde tibi ipſe offendiculo eſſe poſſes, maloq; cæteris exemplo. Si vinum quod mẽſę apponitur palato non faueat, diſſimula: ſi faueat, ne laudes: nã ſiuę laudaueris, ſiue vituperaueris, merum iudicaberis bibiſſe. mundanis ſiqu idem conceditur vino aquam miſcere; at religioſis vix aquæ vinũ. Ne velut ſenex pectori in formã barbulæ mantile apponas, ne ve humeris vt aulicus: ne vt œconom⁹ manibus carnem decerpas: ne vt puer panem comminuas: ne vt fatuus edere feſtines. ſecundum externam enim in menſa grauitatem, in anima iudicaberis. Si multi apponantur cibi, licet eos guſtare tibi, imò eoſdẽ laudare teneris: ſecus enim in malam interpretaretur partem hoſpes, ſi tibi apparatum diſplicere intelligeret. Ruſticitatis eſt,

tri-

tribus digitis manum in lancem mittere: hebetudinis, salem cultro non accipere: inciuilitatis, ore bolum tenendo loqui. quin & impudentiæ est, vinum purum & aquam recentem rogare. Memineris post cibum mensæ micas purgare, tuumqúe recte complicare mantile, & à cultro pinguedinem emũdare: tui habitus manicas adinstar boni religiosi teq; honestate compone. Vt enim lautum fiat conuiuium debes lautos mensæ apparatus laudare; cęteri verò tuam honestam educationem & ciuilitatem magni facere debent. Si forsan comedẽs, vel post esum quosdã videris iocosa quædam dicentes, vel te ad risum prouocantes, ne in iocis & risu rationis limites transgrediaris: prudentes enim & docti hac in re nihil honoris assequi possunt, nisi vt inter stultitias aliorum se stultos præbeant. Ne ad lauandas manus aquam petas, imò oblatam respue, secundum legem enim & ciuilitatis priuilegium, nulli lauandis manibus affertur aqua, nisi totius consortij honestissimo & primũ occupandi locum. Insuper sicuti Dei famulũ non

facta

facta benedictione mensæ assidere non decet, ita à mensa non actis Deo ob refectionem sumptam gratijs recedere dedecet: isti siquidem magis quã mortalium vlli gratias agere tenemur. Caue ne in conuiuij dati mercedem tuum ad tractanda aliorum negotia offeras obsequium, quo postmodum & tibi summã distractionem & Prælato molestiam pareas. Præstitisset enim symbolum contulisse, quàm id incommodi retulisse. Religiosorum parentes & amici non semper eos inuisunt, vt frontem cum eis exporrigant, sed quod eorum opera egeant. Quod patet: religiosi enim qui solitarie viuunt, & in mundi negotijs non admodum versati sunt, nunquam à sæcularibus importunè inuisuntur. A cibo & valedictione, ne per plateas & populum incedens titubes, ne diuageris: secundũ enim religionis & perfectionis legem non decet oculis videndi, pedibus ambulandi, linguæ loquendi facultatem dare, cum stomacho & ventri edendi & exultandi veniam concesseris. Tempus erit ergo vna atque altera post refectionem hora

hora hoſpitibus valedicere, & in Monaſterium regredi: ad quod vbi appuleris, ſi ſtomachum nimio cibo & conſcientiam oneratam ſenſeris, ſtatim confiteberis, & diſciplinam ſumes, qua tua caſtigetur caro, & purificetur anima. Indiſciplinati Monachi qui huiuſmodi audient vel legent, illa, vt & ſcriptorem ridebunt: probus autem & reformatus lachrimabitur, quod partim ita à mundo ſe importune agitari, & partim adeò in iſtis ſe periclitari conuiuijs videat. Nullus enim vnquam ita ſibi benè cauet, quin in vno aut alio decipiatur. Neque has quæſo frater omnes regulas mireris, ne has exiguas monitiones & conſilia obſtupeſcaas: teneris enim ea non tãtum vt Monachus, ſed vt homo obſeruare. omnibus enim grata eſt humilitas & modeſtia, ingrata autem inuerecundia & inciuilitas.

Quod ad edendum refectorium semper adire teneatur Dei famulus, & hospitia vitare.

CAPVT XXXII.

QVæ autem sunt à Deo, ordinata sunt, inquiebat Apostolus scribens Romanis, cap. 13. quasi diceret: Sciendum vobis est ô Romani, quod omne quod ex Deo est, & eius obsequio dicatum, sit sua æterna sapientia directum, & suæ infinitæ potentiæ amussi deductum, sic vt impossibile sit, illud confundere cui semel manum admouit & imposuit. In Exodo, cap. 28. præcepit Dominus Moysi, vt duodecim filiorum Israel nomina duodecim lapidibus pretiosis insculpi faceret; & id ex ingenio proprio non ageret, sed ex dictamine Dei: volebat enim primogenitos primo loco poni, & vltimos vltimo. Eodem quoque libro, cap. 37. & 40. scriptum est, quod tabernaculo & candelabris, quę sanctuarij luminaribus deseruiebãt completis, Sanctus ille Moyses omnes suo ordine constituerit lucernas: alias scilicet

ſcilicet ſublimiſſimo loco, & alias infimo: ſic vt maiori mirationi foret ille in iſto candelabro pulcher ordo, quam illud ipſum candelabri pretium. Tertio quoque libro Regum (*Cap.* 10.) legimus Reginam Saba magis ordinem in menſa Salomonis ſeruatum admiratam, quam omne aurum & omnes domus diuitias.

His ergo notabilibus exemplis colligere & conſiderare poteris frater quam inordinatarum rerum inimicus Dominus Deus ſit, & quam ordinatarum amicus, quandoquidem ita vehementer non ſolum lucernas in Synagoga ardentes, ſed & ordinem in Salomonis ſumptibus ſeruatum approbet & laudet ſacra ſcriptura. Quid aliud quæſo iſtæ per ordinem in tabernaculo diſpoſitæ lucernæ ſunt, niſi Monachi & religioſi in Monaſterio ſub bona norma viuentes? Noluit Dominus Deus in antiquæ Synagogæ nominum regiſtro confuſionem eſſe: velletne quæſo in Eccleſia Catholica religioſos ſine ordine viuere? Quoniam itaque dicit Apoſtolus, *Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt*, icuius

erut

erunt quæso omnia inordinata nisi diaboli? Sanctus ille Iob inter Dei & diaboli famulos, beatos & damnatos differentiam ostendens, dum de inferno agit, cap. 10. inquit: *Vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*: quasi diceret, in diaboli domo & Barrabæ familia omnes inordinatè & confusè viuũt: Sicuti suas oues viuere & foueri vnanimes vult Dominus Deus, ita suas capras diuisim & inordinatè vult viuere Diabolus. Et sicut pater veritatis est Iesus Christus, mendacij autem diabolus; ita sathanas discordiæ origo est, concordiæ & vnionis Deus. Ideoque omne quod ordinatum est, dicitur religio, & omne inordinatum confusio. Sententiarum igitur Iob & sancti Pauli consideratione, vnusquisque ex seipso dignoscere potest, num diaboli congregationi adscribatur, aut Iesu Christi familiæ: suos enim in ordine bono, & confraternitate recta conseruat IESVS Christus, diabolus verò in discordia suos, immò familiares amicos fouet. In primitiua Ecclesia Apostoli & Iesu Christi discipuli simul edebant, simul

deam:

deambulabant, simul habitabant, & simul orabant, ideoque traditor ille Iudas quod se à sacro illo Collegio semouisset, magistrum suum Iesum Christum abnegauit & vendidit. Hoc exemplo mirum in modum moueri debemus, seduloqúe hac in parte vigilare, ne vllus in religione à conuentus corpore se separet, & particularia quędam pro seipso procuret: timet enim diabolus conuentum aggredi, sed audacter solus solum aggreditur. Euam matrem nostram solā in paradiso aggressus est, sanctum illum Iob in fimo solum iacētem inuasit, Iesum Christum solum in deserto tentauit, & infelicem illum Iudam à cæterorum Collegio segregatum decepit. E quibus intelligimus religiosum à fratribus & conuentu separatum, statim diaboli tentationibus seduci. *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret,* inquit nos monens Apostolus, (*1. Petr. 5.*) quasi diceret: Vigilate fratres, diu noctuqúe orate, diabolus enim lethalis vester inimicus qualibet hora & omni momento cuilibet insidiatur: vt cum

vt eum in peccatum induat. Mirum in modum notandum est quod non dicat Apostolus, hinc inde discurrit & vagatur quærens quos deuoret; sed in singulari, circuit quærens quem deuoret: hoc est, quod diabolus hinc inde discurrat non multos quærens quos tentet, sed vnum quem decipiat. optime hoc Apostolus: certò enim credere debemus diabolum nunquam vel rarò chorum in quo canitur, neque oratorium in quo oratur adire; sed Monachum qui huc & illuc potaturus & esurus, vel qui de cubiculo in cubiculum discurrit, aggredi. Dum dicit Propheta: (*Psal. 32*) *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum*, apertè videre est, eum non Monachum deambulantem vel solum manentem aut manducantem laudare his verbis, sed approbare, immo sancire, vt omnes in cõuentu simul edant: insinuans Dominum mirifice conuentum redamare, & singularitatẽ odio habere. Porrò fratres, hæc dico vt vos moneam, neminem vestrum debere à choro abesse, in dormitorio nõ dormire, in refectorio non edere, postquam

quam à Deo in religionis perfectionem & adeò sacræ congregationis consortium vocati estis: nullus enim perfectè religiosus dici potest, nisi qui Monasterij conuentum sequitur. Caue ne modò vno, modò alio edas loco: vltra enim quod hoc suam irregularitatem & singularitatem sapit; insuper Prælato molestiæ materiam, & murmurationis fratribus occasionem præbes. Vt particularius loquar, Dei famulus se quamdiu sanus & incolumis est, ad edendum & bibendum in refectorio cogere debet: ordo enim monasticus hunc locum, & non alium ad edendum & bibendum simul destinauit, sicuti ad orandum oratorium consecrauit. Extra altare celebrare si mõstruosum sit, scandalosum quoque est extra refectorium edere: vt ibi in sacræ communionis reuerentiam offenditur, sic hic in sacræ religionis detrimentum peccatur. Scimus à Iesu Christo omnia quæ in refectorio edit religiosus esse benedicta, & Prælatum inde summa ideo affici consolatione: sic vt omne quod illic editur, sine pudore & conscientiæ scrupulo edatur. Ideò

imprimis moneo, ne (quamuis in Mo-
nasterio ab officijs sis, licetque cum
Prælato occuperis) mensæ in refecto-
rio assideas, ni prius chorum ingressus
sis, nique tuum adimpleueris officium;
religiosi siquidem qui mensam non
absolutis horis adeunt, sunt vt fures
qui sine labore aliorum comedunt bo-
na: Monacho etenim non sufficit, si
quod debet peragat, si diuinum quo o-
neratus est adimplet officium, debet
insuper pro purgatorij animabus ora-
re, non enim sui ordinis deuotionibus
tantum (quæ pro viuentibus orationes
sunt) se deuinxit, sed & pro defunctis
orare tenetur, secundum quod eum sui
memores esse voluerunt. Conare quo-
que, nî in occupatione quadam à Præ-
lato detinearis, maturè ad refectorium
esurus ire: si hoc siquidem egeris, lecti-
onem audies, tempore comedes op-
portuno, alijs bono eris exemplo, offi-
ciariis grauis non eris, qui de more de
ijs qui sero ad cibum properant, con-
queruntur. Conare benedictioni men-
sæ, cõgregato conuentu adesse: si enim
seriò aduerteris, prius benedicendo di-
citu

citur: *Benedic Domine nos*, quàm *benedic Domine tua dona*, hoc est quod prius benedicantur religiosi, quam cibi, quam benedictionem à Deo libenter conferri credimus, quandoquidem pro tanto bono expetatur.

Prosequitur suam materiam author, & de maledicta superbia & ambitione differit.

CVm ergo refectorium ingrederis, deputato sede loco: quæ tibi apponentur, etsi pauca, comede: caue ne te molestum exhibeas, quoniam labores te probiorum comedis, nō autem tuos. Quod ad te, ne si tibi alto aut infimo cōcedatur sedere loco, aduertas, hoc ægrè ferens, eò quod cæteris prior habitum sumpseris: nulla enim maior vanitas aut turpior leuitas, quam post abdicatos ob Iesu Christi amorem honores, eosdem rursus in refectorio quærere. Patiuntur de more vani & mundani homines se in mundi conuiuijs sæpius orari antequam primis sedeant locis: tu inquā qui Monachus es, vt oneri tuo sis

Prelato totique Monasterio scandalo, curabis num in scammi fine aut medio sis sessurus? Qui in mundo consequi volunt honorem, illum laboris, sudoris siue pugnæ, siue remigij per media maris pericula vi assequuntur, non autem vt tu, qui otiosus eum in refectorio comedens vis assequi. Vel solo auditu scandalo id plenum: in hunc enim diem nec lectum nec auditum est quempiam propter honestũ sedile in pretio habitum fuisse. Si honorari cupias, gere tecum honorem, neque eum in sedili in refectorio quæras; debet enim à te locus siue sedile honorari, non autẽ tu à sedili. Si infimo sedeas loco, sublimi dignus, ob humilitatem laudaberis: si sublimi, infimo dignus, habeberis superbus. Ideoque tutius est honorem mereri & eo non frui, quam frui & non mereri. Si altiorem aut commodiorem in refectorio fortasse quæras locum, te ideò Abbatem aut Prælatum Capitulo futuro eligendum credens, longe deciperis, & toto aberras cœlo: in religionibus enim & Monasterijs in quibus ordo & regula viget, non qui sibi magis præsumit, caput aut Prælatus eligitur, sed qui magis meretur,

tetur, nec in eum qui altiori ſedet loco conijciuntur oculi, ſed in cæteris perfectiorem. Ne ergo ſimilibus im moreris vanitatibus, neue adeò vilibus te commacules rebus: etſi enim te generoſum, grauem, & reuerendum habeas, & altiori loco antiquis aſſideas Patribus, non ideò tamen plus cibi quam ſi nouitijs aſſidees tibi cõferetur. *Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro.* (*Matth.* 23. *Marc.* 12.) dicebat Chriſtus in Phariſæos inuehens, quaſi diceret. Dum cum Scribis & Phariſæis verba habebitis, quod ſuadent agite, ſed videte ne vitam eorum imitemini, eo quod ouium veſtes exterius gerant, intus autem ſint lupi rapaces. Quod apertè declarant, ſi enim prima eis in Synagogis non concedantur loca, ſiue ſi reuerendi magiſtri non dicantur, ſtatim ſuccenſent, & in vnumquemque inſurgunt. Secundum quod hic & alibi ambitioſos redarguens, dicit Chriſtus, auſim audacter dicere, religiosũ clauſtralẽ primatũ in Monaſterio & prima loca in congregationibus quærentem

non esse Ecclesiæ, sed Synagogæ alumnum, non esse religiosum, sed Pharisæum, non esse Iesu Christi discipulum, sed Antichristi sectatorem, quandoquidem ambitionis sequatur iter, à Domino tamen ad perfectionis viam vocatus. Negare ne poteris te maledictæ ambitionis iter sequi, siquidem primus in refectorio sedeas, & vltimus oratorium ingrediaris? Dic quæso mihi cum in te nullam particularem abstinentiam, neque vllum disciplinæ rigorem aduertant cæteri Monachi, cur nominari non vis, nisi paternitate aut reuerentia intituleris, siue nisi ante te caput detegatur? Si honoris cupidus sis, si tibi honorem exhiberi velis, primus chorum ingredere, & vltimus oratorium egredere, Prælati acquiesce mandatis, rarò Monasterio egredere, cum charitate ægris obsequium præsta, cum fratribus pacificus esto, cum ceteris manum operi admoue, & sic à Deo amaberis, & ab hominibus tibi exhibebitur honor. Ad honestum fortasse in religionis statu, siue astu & subtilitate, siue donis & muneribus, si fue-

si fueris promotus officium, poterit iste honos ad tempus durare, certo tamen sciás te illo aliquando spoliandum, teque tuumque officium interitui proximum esse, in religionis enim ordine quandoque id quod non est in veritate fundatum dissimulare nouit Dominus Deus ; sed illud in finem fouere non vult . In sacra scriptura & sanctorum cathalogo antiquiori primus non assignatur locus , sed probiori duntaxat, quod apertè in summo illo Patriarcha Abraham videre est, qui longe Dauide senior est : non enim dicit sacrum Euangelium Iesum Christum esse Abrahæ filium, sed Dauidis , iuniorem natu primo nominans , deinde maiorem . Notum est Ismaelem natu priorem Isaac fuisse, & Esau Iacob , Ruben Iudæ: in sanctorum tamen cathalogo minores natu maioribus præpositi sunt, iisdemque dominati sunt. S. Andreas Apostolus ante S. Ioannem ad apostolatum vocatus est, Sanctus Marcus tamen quemque suo nomine secundum ordinem dirigens , sanctum Ioannem tertio, Lucas secundo collo-

cauit loco, licet secundum suam vocationem quartum solummodo mereretur. *Act.1. Matt.*10. *Luc.*6. In magna illa à Iesu Christo denunciata vineæ parabola, magni illius oraculi ore determinatum fuit, vt operarijs qui sub finem diei venerant prius satisfieret, quam ijs qui à mane ad vesperum operati erant, & sic sæpius in Ecclesia facti sunt nouissimi primi. Ex his omnibus exemplis colligere possumus, nullum in religionis statu mirari debere si Prælati Monasteriorum rectores quandoque ei qui vltinus vestem sumpsit altiorem conferant locum, & si ei qui nouissime religionem ingressus est aliquod committant officium, id enim in sacra scriptura non est determinatum, & hæc & similia agendi potestatem non denegauit Iesus Christus. Primi Iesu Christi discipuli de primo loco inter sese disputauere (*Matth.*20.) (*Luc.* 22.) (*Marc.*10) qui postmodum magni causa fuere scandali, de Prælatura & honestiori loco inter se contendentes: quam quæstionem & contentionem resoluit Iesus Christus dicens, illum

à Deo

à Deo maxime diligendum & honorandum qui cæteris cum humilitate inseruiret, non autem qui ambitiose mensæ assideret. eum qui in Ecclesia suscitat scandalum anathematizat Iesus Christus: nunquid & iustè frater anathematizabitur ille qui exigui cuiusdam officij ministerio, & primi loci ambitione, toti Monasterio scandalo erit? (*Matth. 18*) (*Marc. 9.*) (*Luc. 17.*) Eia agedum frater aut bonus es & probus, aut superbus & peruersus: si bonus & pacificus sis, nihilominus tamen venêris officium, vt honestum quempiam obtineas locum, nescis te iam illo ob illam tuam ambitionem indignum? Et si forsan peruersus & dissolutus sis, cur quæso probi hominis locum quæris? Ignoras te Iesu Christi consilio non satisfacere qui dicit, *recumbe in nouissimo loco?* (*Luc. 14.*) nunquid aperte vides in nullum ita sicuti in ambitionis vitium inuexisse Iesum Christum, nihilominus quod damnat probas, & quod probat damnas? Velle haberi perfectus & ab hominibus magni fieri, illa frater Deo

acceptanon sunt : & tales superbos in suo sacro collegio non tolerat Christus. *Charitas non æmulatur , non agit perperam , non inflatur , non est ambitiosa* inquit Apostolus Paulus Scribens ad Corinthios , (1. *Cor.13.*) quasi diceret , Charitate præditus & Christianus animus nemini inuidet, nemini nocet,nulla re deijcitur, nulla licet honestissima re ambitiose erigitur: sic vt in religione Christiana nullus possit charitate præditus esse , ni prius humilis sit . Hæc duo Apostoli verba serio ponderanda & notanda sunt, scilicet: *Charitas non inflatur, non est ambitiosa*, hoc est, quod vero religioso & Christiano vbique satisfiat , vanæ gloriæ autem & honoris cupido nusquam, nec quicunque talis est , omnibus est solum grauis, sed sibiipsi , ita vt nunquam quietus sit. Dic mihi precor frater, putas te ob magnam præsumptionem , obloquacitatem & frequentes orationum effusiones , ob multas querelas & varias hinc inde cursitationes, variasque in Prælatum insultationes ideò totius Monasterij summum & li-

berrimum futurum? Jesu Christi vices cum gerat Prælatus, sanctum spiritum in religionis regimine illum illuminaturum credendum est. Debes ideò frater illius te submittere iudicio, & loco tibi assignato sedere, certò tibi persuadens te alto non mereri sedere loco cum eo te conscendere non faciat. Sciendum quoque est Prælatos se omnibus eosdem præstare debere, cum omnium patres sint: ideoque eis nobiles, litterati, & ij qui in religionis officio suo munere diu & benè functi sunt, immo & senes annis pleni, iuxtà curæ sunt: vt horum singulis in Capitulo & refectorio secundum qualitatem locum digne conferre possint. Inquietus profectò Monachus, & qui in Monasterio ægrè se gerit, non aliam ob causam quam ob ademptum sibi officium, vel ad voluntatem non ei assignatum locum, à diabolo regitur, eiusque est discipulus & familiaris amicus: Sicuti enim humilitas clauis est quæ omnes virtutes includit, ita ambitio porta est qua om-

nia in animum ingrediuntur vitia. Dicit in quadam epistola S. Bernardus; Sicuti vulpi nihil nisi malitiam & astutiam inesse creditur, oui autem solam simplicitatem, ita Monacho ambitioso solam malitiam, humili solam bonitatem. S. Basilius, Dissolutus inquit Monachus coercendus est incontinens includendus, loquax refrænandus, gulosus abstinentia domandus, impatiens pœnis, piger ad nouum animum assumendum incitandus, ambitiosus autem & præsumptione plenus eijciendus & extrudendus est. cuidam enim discipulorum Domini dictum, nullum ad religionem extirpandam pernitiosius esse vitium ambitione. Hęc quoque sequentia in solitarię vitę libro reperiuntur verba: religiosus qui impudenter particulare cubiculum vel singularem vestem Abbatem aut Prælatũ rogat, qui ab eo importunitate quadã Monasterio egrediendi facultatẽ efflagitat, qui ambitiosus agnoscitur, Prælatus statim eum à conuẽtu segregare & oratorio excludere debet, talis .n. potiꝰ flere quã orare meretur, S. Augusti-

nus ad Eremitas verba habens inquit: Sicuti in antiqua lege exercitui populi leprosis adesse non licebat, sed extra castra extra vrbes residere tenebantur: ita Monachis superbis & ambitiosis cæteris cohabitandi potestas nullo danda modo: leprosi enim multo quam honoris cupidi tolerabiliores sunt. Secundum ergo horum sanctorum virorum dicta, sedulo nobis elaborandum est ne seditioso Monacho, aut ambitioso fidamus religioso: talem enim potius Deum & rectam suam consciẽtiam desertu rum credere possumus, quã vel vnico honoris puncto cessurum.

Religiosum in cibo & vestitu singularitate vti non debere, sed communem conuentus sequi methodum.

CAPVT XXXIII.

QVare ieiunauimus & non aspexisti: humiliauimus animas nostras & nescisti? Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra aiebat Dominus Deus per Isaiã,

(*cap.* 28.) q. d. Asperi bone Deus Israel nobis animum tuum, cur tibi tam misericordi & vsqueadeò clementi, multis ieiunantes diebus & nostras diu affligẽtes animas cernens, nihilominus accepta nõ sint ieiunia nostra, & à te exaudiri non mereamur? Cui planctui satisfacit Dominus Deus dicens, quod ieiunia vestra & pœnitentiæ vestræ mihi ingratæ sint, hæc est ratio, quia quicquid vobis lubet agitis, non autem quæ debetis, voluntati vestræ potius quam legis mãdato obsequentes. Seriò notanda est hominum proposita querela, & Dei responsio, qua aperte docemur quod sæpius sine causa de Deo conqueramur, & quod exigui valoris admodum nostra sint merita, quandoquidem nullum meritorium sit opus ni Deo acceptum sit. Ex natura operis simpliciter Deo grata est castigatio corporis, ieiunia, animus humiliatus: dictum enim est *cor contritum & humiliatum Deus non despiciet*, sed more Hebræorum sanctitate ficta non autem vera humilitate Deo quidpiam offerre, non modo acceptum illi non est, sed nec

adſpicere quidem dignatur. Quod dicat Dominus Deus, ſe Hebræos ieiunātes non aſpexiſſe, & eos humiliatos neſciſſe, videtur dubio plenum eſſe verbum & difficilis ſententia, cum eum nihil lateat: ſed hoc piè intelligendum & ſanè: eſt enim ſacræ ſcripturæ loquēdi modus, quæ dicit Dominū Deū illud non vidiſſe & ſciuuiſſe quod ei ingratū eſt, & quod ſua bonitate non probauit. Ideoque quamuis opus ſanctum & virtus verè heroica ſit ieiunium cum humilitate, illud Deus tamen in Hebręis non approbat: quin quaſi quēdam ironiæ in modum, in ſui notitiā nec veniſſe aſſerit. Aperte inſinuans ſe non tam opus noſtrum, quam voluntatem qua illud agimus ponderare. Ieiunabant quidem Hebræi & vouebant, ſed non vt debebant, ad voluntatem & non ad legis mandatum ieiunantes. Ieiunabant inſuper non ad peccatorum pœnitentiam agendam, ſed ad famam proborū hominū cōparandā. Propterea ſimile ieiuniū ſibi diſplicere nō ſolū aſſerit Deus, ſed de eo conqueritur eoq; offen-

fenditur. Ad rem ergo redeamus. O quot religiosi siue religiosę hoc responsum audituri sunt: *In die ieiunij inuenitur voluntas vestra*, & quibus neque abstinétiæ neque disciplinæ supputabuntur, nō quod opus in se inualidum sit, sed quod illud vana gloria moti exercuerint. Verè religiosis obijci potest *in die ieiunij inuenitur voluntas vestra*, dum scilicet potius de sua in die ieiunii adimpleta volūtate delectantur, quam de fructu quem ex ieiunio expectant: qui insuper, quod grauius est, non tam ad abstinentiam quam ad sancti nomen acquirendum ieiunio vacant.

Quod dicat Dominus Deus Hebræis, *In die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra*, fructuosa nobis ne decipiamur admonitio est, docés religiosum nō posse Deo gratius offerre ieiunium quam se sui Prælati iudicio regendum offerre: religionis enim perfectio non in abstinentia quam agit consistit, sed in obedientia quam suo superiori exhibet. Adamo & Euæ in paradiso dixit Dominus: (*Genes.* 1.) *Ecce dedi vobis omnem herbam in escam*. Noe autem egredienti

entiarcanũ, *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum.(Genes.9.)* hoc est, omne quod comedi potest, eius comedendi dedi vobis potestatem. Quæ cum ita sint, nunquid non maior foret abstinentia ab his quæ liberè agere posses abstinere, quam à cibo quo vesci posses? Facile est à cibo abstinere, sed difficile est appetitus corrigere: ideoque satius est famelico esse animo & saturo corpore, quam saturo animo & corpore famelico; non enim ita ciborum es auidus vt voluntatem cupidus est Dominus. Ciborum abstinentiam carnis duram macerationem, particulares abstinentias in religioso non damno, quin mirum in modum laudo & approbo, dummodo tamen nulla vanæ gloriæ in ijs sit commixtio, & hæc de superioris licentia agat: magis enim in licentia petita, quam in abstinentia meretur Dei famulus. Quamuis summa sit quam agere voles pœnitentia, & secretissima quam suscipere intendis abstinentia, tamen quicquid acturus es age de Prælati aut eius vicarij licentia: nul-

nullum enim in mundo maius antidotum contra vanæ gloriæ virus, quam omnium rerum actio in obedientiæ merito fundata. *Singularis ferus depastus est vineam tuam Domine* inquiebat Dauid: *Psal.* 79. Syluestris ferus, indomitus inquam ferus Domine vineam tuam deuastauit, ille inquam tuæ vineæ palmitem adhuc virescentem vindemiauit. Mirum est Prophetam non dixisse vaccarum armentum, siue arietum, siue porcorum, siue caprarum gregem vineam destruxisse, sed singularem duntaxat ferum vineæ maceriam confregisse & destruxisse. Innuit, nos in Ecclesia Catholica à nullo ita cauere debere, sicuti ab eo qui in sua vitæ norma singularitates sequitur, quique sua doctrina noua quædam in lucem profert. Dum simul in prato deambulant greges, eaudem mandentes herbam, idem haurientes aquæ genus, hora certa simul decumbentes, eos facilius tuetur pastor, tutiusque à lupo arcet. Hinc consequens in nullum ita valere dæmoné, sicuti in eum qui sub perfectionis

præ-

prętextu se à Prælati disciplina liberum reddit, quique suo proprio se regit iudicio. Fuere ille singularis ferus omnes antiqui hæretici, qui aliorum more credere, aut idem sequi iter, siue eodem modo quo cæteri sentire nolentes, sed proprio iudicio & voluntati subiacentes, tandem à vera Ecclesiæ Catholicę semita deflexerunt, quos tandem vt hæreticos, peruersos & infelices illa eadem damnauit Ecclesia. Dic quæso mihi, nunquid Ebion, Marchion, Cerinthus, Mahumet, Arius & Lutherus superbi, fuere singularis & siluester ille ferus, qui non zelo reformationis Ecclesiæ, sed nominis acquirendi cupiditate inter fideles zizania superseminarunt, ideoque sibi æternam damnationem compararunt? Ego re diligentissime considerata & multis ea gratia reuolutis libris certo reperi nullum in hūc diem in hęresim incidisse, nisi ob hasce duas causas, nēpe quod vel ignarus & indoctus esset, vel ambitiosus. Quod olim vitio superborum hęreticorū in Ecclesia ac-

ci-

cidit, id nunc in religione monaſtica euenit: ſiquidem capitoſi & ambitioſi quidam religioſi, qui ad vlciſcendam eis illatam iniuriam, vel quod parui in religione fiant, in potu & cibo ſingularitatem quandam ſequuntur, & nouam veſtium inducunt inuentionem, quæ mirum in modum Prælatis graues ſunt, & in religione multas gignunt diſcordias. Tolerabile eſt ſi in potu & cibo veſtiumque mutatione vnum ab altero differat Monaſterium; ſed damnabile plane, dum eaſdem intra portas & clauſtra vnus ab alio differt: locus enim ille dicitur conuentus, in quo omnes vno eodemque viuunt modo: ſed vbi quiſque ſequitur ſingularitatem quampiam, ſtultitiæ dicetur & leuitatis locus. In Monaſteriis ritè ordinatis omnes vno eodemque veſtiuntur colore, omnes certa comedunt hora, omnes pariter ſimul ad lectum pergunt, vni prælato omnes obedientiam præſtant: ſecus enim non foret religio, ſed confuſio. S. Bernardus cum religioſo, in ſuis actionibus ſingulari & indiſciplinato agens, in libro de ſtatu Monachorum

ait,

ait, Dic quæso mihi per fidem tuam ô Monache, qui fit quod aliis pedibus nudis incedentibus audeas calceis tuis incedere, & econtra? Cur aliis, cucullis panno aspero & vulgari contextis vtentibus, vestibus panno subtili & magni pretij vteris? Cur alijs in Monasterio ieiunantibus vis edere, aliis edentibus vis ieiunare? Dic ergo frater mi cum sancto illo Ioseph: (*Genes.* 37.) *Quæro fratres meos*, dic te eos imitari, vt eodem quo ipsi vtaris habitu, vt eadem comedas hora, vt ijs vigilantibus vigiles, ijsdemq; ieiunantibus ieiunes: hoc enim si feceris, neque ordini molestus, neque in tuis agendi modis singularis eris. Hactenus S. Bernardus. In sua regula S. Basilius inquit, Volumus, & Abbatibus successoribus nostris mandamus vt inhibeant, & Monachos in suis abstinẽtijs singulares corrigant, eosque qui suas disciplinas male condiunt, & qui inusitatas gerunt cucullas, deniq; eos qui nouas & peregrinas inducunt ceremonias, vt in suis susceptionibus corrigantur, & eis quid libet agendi potestas non concedatur: re-

ligiosus enim qui in similibus rationis limites transgreditur, stultitiæ aut vanæ gloriȩ nota notari debet. Sicuti lupus raro gregem benè vnitum inuadere audet, sed animal solum aggreditur & enecat; ita diabolus inimicus noster nullos Monachos simul vno eodemque modo viuentes tentare audet, præter eum qui extra conuentum vitam agit. O quanto se exponit periculo Monachus, qui neque cum fratribus viuit, neque comedit, neque dormit: potest enim eum tentare diabolus, ille econtra nullius est vt ei resistere possit virtutis. Diaboli tentationes & insidiæ adeò numerosæ sunt, eremi asperitates, corporis miseriæ, vndique pericula adeò magna, vt non solum multis alijs Monachis circundatum, oporteat esse religiosum, sed multis sanctis viris, qui erectum sustineant, & collapsum erigant. Hæc ex S. Basilio.

Dic

Dei famulo corpus castigandum, non interimendum.

CAPVT XXXIV.

Ignis Domini deuorauit extremam partem castrorũ, inquit Sacra scriptura: *Num.* 11. quasi diceret, In deserto murmurabant Israelitæ, quod annona carerent, & graui torquerentur calore. Sed eis succensens Dominus, ignem in eos misit, qui non eos qui in medio exercitus, sed qui in illius extremitatibus consistebant combusit. Quibus aperte docemur, Dominum magni eos qui fratribus conuiuunt facere, grauiterq; eos qui in singularitate quapiam, quasi extremitate ac exemptione viuunt, punire. Hæc est ratio, quod manducaturus aut verba cum discipulis habiturus nunquam in fine, sed medio semper sederet Christus. S. Augustinus in quadam concione quam ad fratres in Eremo habuit, dicit, Dei famulos nunquã à fratrum consortio abesse debere, neq; alio quo antiqui Monachi viuere modo: si secus enim viuãt,

sub-

ſubtilis eſt diabolus, qui ſe eos in perfectionis iter dirigere fingit, quos tamen ad deſperationis viam deducet. *Fratres obſecro vos, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum* inquiebat Apoſtolus ad Romanos ſcribens, (*Cap.12.*) quaſi diceret: Obnixè vos rogo Romani fratres, quandoquidem Dei gratia ſacro baptiſmate initiati, & ſanctæ Catholicæqúe fidei vniti ſitis, vt corda & corpora veſtra ita pura & munda conſeruetis, vt ea Deo velut hoſtiam & ſacrificium Domino dignum offeratis: & hoc agetis, modo corporibus, ſcilicet mortalibus, non niſi tolerabiles infligatis pœnas & diſciplinas, ne forte corruant. Hic ſeriò notandum quod Apoſtolus de more quo nos in corpus noſtrum gerere debemus agens dicat, *hoſtiam viuentem*, id eſt, vt Deo corpus noſtrum viuum non mortuum offeramus. Quibus verbis inſinuat, licere nobis hoc miſerabile corpus noſtrum, petitionibus noſtris exequendis inhabile & mandatis noſtris rebelle corrigere; ſed non penitus

de-

delere. Quod autem dicat Apostolus, *rationabile sit obsequium vestrum*, & hostiam nostram debere esse viuētem non mortuā, docet, omnia in debilē carnem nostram mandata debere à ratione, non autem ab opinione regi. Scire enim debet Dei famulus, perfectionem non adeò in virium debilitatione consistere, quam in earū ad Dei debitum officium directione. Tunc Deo hostiam viuentē offert religiosus, dum animæ suæ desideria omnesqúe sui corporis vires chori, ægrorum, domus versionis, culinæ apparatus, obedientiæ mandatorum obsequio impendit, quorum nullum exequi potest, qui inusitatæ alicui abstinentiæ studet.

Monacho Rustico scribens S. Hieronymus, inquit: Si mihi fidem adhibere velles Rustice frater, neque ita tibiipsi, neque tuo Monasterio grauis esses: audiui enim à quodam eremi Thebeicæ Abbate, verū Monachum debere corpus habere viuum, cor autē mortuum: sic enim manum operi admouere valeres, neque vllus ad interitum ruendi foret appetitus. O quot in Palæstina &

Thebaide noui Monachos, qui ob inhumanam virium debilitationem, & insolitas pœnitentias postmodũ in graues incidere morbos, quiq; postea adeò delicatè excipi debuere, vt non solum deuotionis, sed nec professionis ieiunia ieiunare possent. En quid super hæc dicit S. Hieron. Sed Apostoli verba resumentes, dicimus, tunc rationabile esse obsequium vestrum fratres, vosque tunc Deo hostiam viuentem offerre, non verò mortuam, dum ita ieiunia vestra disponitis, & adeò sagaciter disciplinas sumitis, vt omnes vos videntes iudicent rationem simul & complexionem vos sequi. S. Bonauentura in libro doctrinæ nouitiorum dicit, probum religiosum primo omnes suas vires ieiunijs, quibus per suã regulam astringitur impendere debere, deinde ieiunijs deuotionis, eumque non exigua abstinentia vti, qui suæ regulæ ieiunijs satisfacit. Insuper addit, diabolum (lethalem inimicum nostrum) non audere homines perfectos ad non ieiunandum incitare, in modo ieiunandi

tamen

tamen eos decipere: ſcilicet, vt pluris multo faciant, vel minimum deuotionis ieiunium, quam cætera ieiunia omnia quæ religionis voto ieiunare tenentur. Dic quæſo, nunquid diaboli impoſtura & deceptione fit, quod audeat ſuo ieiunare modo religioſus, & tamē ſuæ profeſſionis ieiunia transgredi? Audēſne quæſo, vel à ſolo piro ieiunij deuotionis die in collatione abſtinere, & ieiunij profeſſionis more Romano collationem ſumere? Religioſus cui plus ad laborem virium, & ad orationem animi contulit Deus, debet cæteris magis oratorio immorari, matutini tempus anticipare, & cæteris prior ad primam properare, nec debet ad ſatietatem dormire, neque ad ructū edere: talem namque Monachum virtuti ſine ſanitatis iactura ſtudere dicere poſſumus, ſuamque conſeruare ſanitatem ſine virtuis præiudicio.

Appoſitè Hugo à S. Victore, Monachus inquit, qui æger decūbere, nudus veſtiri, debilis edere, fratri correſpōdere renuit, in conuētu nullis adeſſe vult,

talem corpus suum rationabile sacrificium offerre dicere non auderem, sed potius bestiale sacrificium : id enim quod suæ placet voluntati exequitur, non autem quod necessitas exigit. S. Augustinus in regula inquit : Probātur Monachi, si quandoque à vino, à carne, à frequenti Monasterij egressu, à corporis voluptate abstineant, sed hoc moderate fieri debet, vt corpus corrigatur, non verò enecetur. In Isaiam S. Hieronymus inquit : Non magnifacio quod te consumas, vel citius aut serius eneces : scias enim à me frater in Christo, omnem hominem se nimia abstinentia & inconsiderata pœnitentia cõsumentem sui esse iugulatorem, talemq́ue Deo singulare quoddã sacrificiũ, quod alijs surreptum offerre. Hæc gloriosi Hieronymi verba magni sunt põderis: qui docet, quod sicuti æquum non est, nos hanc miseram nostram carnem delicate excipere, ita iustum non esse eam penitus delere. religiosus enim qui corpori necessaria subtrahit, offert quod suum non est. Sed propter hæc verba, nostræ intentionis nõ est, Monachos in

Mo-

Monasterijs honeste conclusos, pios & rebus pijs occupatos redarguere & cõtristare: nam vt in gloria cœlesti sunt aliæ alijs futuræ altiores sedes, ita in Ecclesia debent esse alij alijs perfectiores. Quos tangimus ij sunt qui in religionis statu gulosi, & in cibo & potu intemperantes sunt, qui in ieiunijs inconsiderati sunt, & in vestibus singulares: quasi nullius sit quem imitari queant, quiq́ue ipsis satisfacere possit. Non obstantibus his, non ideò iuuenes se in ieiunijs desides exhibere, & in sancta intentione refrigescere debent: non enim de ijs qui prudenter pœnitentiam agunt agimus, sed de his qui stultè abstinentia vtũtur. Si in Monasterio quispiam nimium gulæ & voluptatibus addictus foret, & alter econtra inordinatè nimis & extraordinariè macerationi; sic vt hic vix coctas herbas edere vellet: ille verò nihil nisi delicatos & benè cõditos cibos, hoc in casu tolerabilior foret in virtute excessus, quam in vitio. Sicuti animal celeriter incedens breui fatigatur, quod autem nimis quiescit, obstupescit: ita Monachus qui multum

edit, vitio vicinus est, qui verò nimis parum, debilitatur. Ideoque Dei famulus nulla in re extremitates sequi debet, neque suo acquiescere iudicio: quo plus à medio recedit virtus, eo magis vitio proxima est.

Quomodo Dei famulus in mensa se gerere debeat ad abstinentiam & nutritionem conseruandam.

CAPVT XXXV.

VBi mensæ assederis, ne statim mantile sumas, ne repentè cultrum euagines, ne confestim panem scindas, nedum comedas, expecta donec paululum legerit lector, & tempus edendi esse annuerit Prælatus: debet enim prius Dei famulus animam doctrina sancta recreare, quam corpus cibis. Sanctus Basilius in sua regula hæc dicit: Diebus festis simul edentibus Monachis videant, vt edentes animum lectioni applicent: Dei enim famuli simul edere, simulque mereri debent.

Ante-

Antequam comedas, manicas complica, panem tibi appositum detege, ſuper menſam tuum extende mantile, cultro panem ſeca, omnia tractim adinſtar probi religioſi, non autem famelici peragens: ad altare enim cum prudentia accedet Dei famulus, ad menſam verò cum grauitate. Memineris vino tuo multum aquæ apponere, vt illud bibiturus temperatum, nec ita fumoſum reperias: ſecus enim prius fortaſſe cerebrum, quam ſtomachum tangeret. Vt verò & tuæ ſanitati congruenter loquar, ſuaderem potius, vt vinum aquæ apponeres, quam aquam vino: intemperantia enim & exceſſus, qui in potu & cibo patratur, neque ſanitati prodeſt, neque vllas generat in anima virtutes.

Honeſtati monaſticæ incongruum eſt menſæ cubito incumbere, duabus maxillis edere, groſſis panem edere bolis, magnos haurire hauſtus, digitos ſorbitione delibutos lambere; ſi enim hæc in pueris non tolerantur, quãto minus in religioſis perfectionem

profitentibus? Ad rem hæc ſequentia profert verba Hugo à ſancto Victore: E noſtris Monachis & religioſis multos ita cibos vorantes, ſicuti animalia fœnũ vidimus, ſuis digitis velut cochlearibus vtuntes, ſimiarum more magno ore comedentes, panem non ſciſſum groſſis bolis in ſtomachum mittentes: & quod grauius eſt, hoc agendo, hinc inde ſine grauitate oculos circũferebant, ſic vt omnibus ſuis membris viderẽtur edere, velleq́ue aliorum deuorare portionem. Paulo inferius proſequitur idẽ Doctor dicẽs: Hæc ſileremus ſi iſtarum rerum puderet Monachos; ſed quoniam diſciplinam & honeſtatem ita agentes neglexerunt, pudeat eos nunc iſta audire. In conuentus menſa ne præſumas, vel vnum verbum proferre, neque hinc inde per refectorium oculos flectere. Secundum enim quod in vitæ ſolitariæ libro habetur, decet nouitium clauſtralem oculis eſſe cum Domino occupatis, in terram demiſſis, auribus lectioni, manibus cibo intentis: ſic vt ipſi comedenti nihil de honeſtate, pietate & religione pereat. Moſin Monachus,

chus, vt legitur in Patrum vita, ab Abbate Serapione vocatus, vt in refectorio specilla ipsius oculari, quæ in loco in quo sedebat finita oratione reliquerat, quæreret, respondit: Equidem Pater sancte iam à triginta & amplius annis in refectorio comedo, locum tamē tuum in quo sedes penitus ignoro: scis siquidem licere nobis in refectorio edere & bibere, sed nō huc illuc oculos circumducere. O quot reperientur, qui hunc sanctum religiosum, ob hoc admirandū responsum collaudabunt! sed quàm pauci qui hunc hac in parte imitabuntur? hac enim nostra ætate, vel vt melius loquar hoc nostro tempestuoso sæculo, satis & abunde nobis est, dum aliquod heroicum facinus enarrari audimus, si illud laudemus, sed imitari planè renuimus. Quod ad hanc frequentem oculorū diuagationem, profectò plures religiosi culpa quam laude digni sunt, qui curiose quid in refectorium deferatur, quidq́ in eo diuidatur considerant, quiqúe magis dolere de portione quæ fratribus datur videntur, quā gaudere de cibo quē illi ipsi comedunt.

Visum ergo collige, neque hinc inde per refectorium spargas: astutus enim & peruersus est diabolus, qui vt tibi incommodam paret refectionem, animique inquietudinem, persuadet lõge tuis lautiores esse aliorum cibos. Si tuum benè dirigas visum, neque aliorum portionibus inuidebis, neque facile illorum edendi modum iudicabis. Si secus agas, non benè tibi continget: si respicias respicieris: si conqueraris, punieris.

De pane tibi apposito, siue nigro, siue albo, siue integro, siue dimidiato, siue duro aut tenero, siue magno vel paruo, seu cocto seu incocto, ne conqueraris: si enim sine orexi comedas panem, etiamsi bonus foret, nauseam tamen patieris: si autem cum orexi, nullus non tibi bonus videbitur panis. Papæ Eugenio quondam eius religioso scribens sanctus Bernardus inquit: Ita sancte Pater Eugeni mihi inuidere debes, sicuti tui misereor, eo quod secundarius panis quem diebus festis comedo, nigræque quæ mihi quandoque dantur micæ longè magis pane tuo primario,

mario, & offa quam Romæ edis meo faueant stomacho. Huius mundi Domini potentesqúe viri, non semper candidum cribratumqúe comedunt panem, tu verò Monache quouis die niueo, tenero & delicato vis vti pane? O quot in mundo sunt qui Deo gratias agerent, si quod tibi superest, haberent, & verò de pane tibi apposito murmuras? Si mundanorum more delicatos, & sapidos quæras cibos, cogita Babylonem Susamqúe, vt cum Balthasaro & Assuero regibus eos manduces. Cæterùm si vt Dei minister Domini conuiuio interesse cupis, vel solo hordeaceo pane, cum quinque millibus hominum quos in deserto satiauit Dominus, siue subcinericio cum Helia in eremo disce contentus esse. Meminisse debet Dei alumnus, quod in primo suæ religionis ingressus, suæque professionis tempore, non se ad quoslibet quos exoptaret cibos, deuinxerit ordo & religio, immò econtra quod se religioni deuinxerit ipse. Ideoque toties voti apud DEVM facti transgressor

habetur religioſus, quoties ſe in victu onerosum prębet. Sic ergo te gere: ſi tibi panis in refectorio appoſitus non placeat, in granum madidum, ſiue in molarem lapidem obtuſiorē, vel furnum nimis frigidū culpam cōijce, nō autem in religioſum, cui commiſſus erat. ſcias enim certo certius tibi alium licet aureum ab ipſo dandum, ſi per ipſum liceret. Jn libro ſolitariæ vitæ ita legitur: Cauete fratres ne panem perdatis, aut in micas redigatis, aut decruſtetis ſiue corrumpatis, vel impinguetis, quandoquidem S. Baſilius Pater noſter nobis ſua in regula præceperit, ne menſæ integer apponeretur panis, priuſquam reliqua pars quæ de præcedenti die ſuperſuit, abſumpta eſſet. Religioſus qui manum operi non admouet, ſed ſingulis menſam quærit diebus, qui nihilominus de pane & cibo oblato obmurmurat, nihil niſi ſe pudore & recta conſcientia carere declarat. Si fortaſſe in refectorio aliquid amplius aut melius conditum alteri quam tibi dari videris, licet hæc cernendo tangaris, ne murmurare tamen præſumas, tecum perpendens

pendens hoc à Prælato concedi ob religiosi ægritudinem, debilitatem vel indigentiam, siue ob antiquam illius in ordine mansionem. Dic quæso mihi, si cæteris fratrib⁹ tuis religiosis debilior, & ægrior vel longioribus lassus laboribus fores, nunquid quæso cuperes tolerari, & nonnihil recreari? Exopta ergo frater alteri, quod tibi exoptas: gaude ei dari tanquam si tibi daretur, amicitia enim & fraternitas religiosorum & Domini famulorū, non in sola Monasterij cohabitatione consistit; sed in mutua charitate & misericordia vnius in alterum. Si à diabolo forsan tenteris, obijciente neque senem, neque debilem, neq; ægrum melius alijs debere excipi, & maiori affici lætitia: Respondeo, neque te, neque alios digne hanc causam iudicare posse; sed solum Prælatum, Iesu Christi vices gerentem: secus enim grauius longe murmurando, quã alter edendo peccares. Est quod Deo gratias agas, quod tibi plus quã alteri religioso contulerit, quidlibet edendi scilicet vires sufficientes, & sanitatem, religionisque rigorem & asperitatem gerendi.

certo æstimans, quod peioris illo fuisses conditionis, si eiusdem cum illo fuisses complexionis.

Dicit S. Augustinus scribens Eremitis: Ante omnia cauete fratres, ne Monachus ieiunans non ieiunantem iudicet, ne sanus ægrum, ne robustus debilem, ne animosus & constans inconstantem & timidum. Sicuti enim Deus eandem ijs qui sarcinam conseruabant, dedit mercedem quam ipsis bellatoribus dederat; (3. Reg. 30.) ita quandoque tantum merentur in sua patientia ægri & debiles, quantum in suis abstinentijs sani & robusti. Fieri poterit, quod Deo sit cibis delicatos æger comedens futurus gratior, quam quispiam alter sanus, rudes & inconditos comedens cibos. Quod vulgò fit, dum tenerior vt se sustentet duntaxat comedit; fortis autem & benè sanus, non vt se sustentet, verum vt frontem exhilaret, & suis fruatur voluptatibus. Credite mihi fratres, & nullatenus dubitetis ieiunij meritum, aut demeritum non in magna aut exigua manducatio-

ne consistere, sed in temperantia aut intemperantia qua vtimur. Audebisne quæso Esau insipidam lenticulam comedentem, IESV Christo pisces assatos comedente abstinentiorem esse dicere? Suntne animalia campestria, solam auenam, & per prata fœnum edentia, homine in pane & vino ieiunanti laude digniora? Hæc dico, vt si Eremitarum quempiam glandes siccas & crudas radices edere non posse videris, sed coctis lactucis siue glandibus tostis vti, non hoc inhibitum esse dicas, & condemnatum: credendum enim est illum potius pura infirmitate, quam gula victũ hoc agere. Hactenus S. Augustinus.

Ne ante alios refectorium ingredi assuescas, neve alijs egressis illic manduces: hoc enim dispensatori graue admodum totique conuentui malo exemplo foret. Si Prælati licentia certa tibi hora edere, vel vltimo in mensa remanere liceat, vide ne hoc singulis diebus feceris: etsi enim quid ob tuam infirmitatem vel

sene-

senectutẽ dissimuletur, ne ideo minus time. Cuidam sui ordinis Monacho scribens S. Anselmus inquit: Scias frater religionem dici ordinem, quod in ea benè omnia ordinatã sint: quod patet, dum simul omnes conuiuunt religiosi, simul edunt, deambulant, dormiunt. sic vt ille religiosi nominis iacturam faciat, qui cæteris mensæ simul non assidet, & à mensa coniunctim cum fratribus non recedit. Addit insuper idem Doctor, Adeò inquit bona res est ordo, vt illi ipsi mundani fugiãt quod malum & inordinatum est, quod apertè in dominorum œconomis & dispensatoribus videre est, qui vni sine altero cibũ conferre nolunt, sed omnibus simul congregatis. Gulosis tempus præuenientibus & pigris serò venientibus cibum denegant. Si ergò super potu & cibo in palatio & magnatum domibus disponere possit œconomus, nunquid iustius est Prælatum in suo Monasterio quidlibet disponere? Debili & seni conceditur, vt maturè & serò comedat: sed nunquid satius esset eum qui hospites inuisurus, vel per hortos deambulatu-

rus à mensa surgit, cum cæteris fratribus lectionem audire? Sume cibos tibi appositos, sume necessaria, omitte superflua, quę tuæ sanitati obesse possunt: si enim nimis parum edas, labori inutilis eris: si nimium, statim dormire voles. Mundani vt suis voluptatibus satisfaciant comedunt; sed Dei famuli non nisi ad vitæ sustentaculũ edere debent. in religionibus enim, in quibus ordo viget, conceditur religioso vt corpus enutriat & foueat, non autem vt suo satisfaciat appetitui. Ne manduces, ne ve tibi appositam palpes carnem, ne omne quod tibi offertur ebibas vinum. Fac vt aliquid vini in poculo semper supersit, & aliquid in lance cibi, ne indulgeas appetitui, sed bonæ educationis & ciuilitatis esto memor. Scias frater oportet, stultorum esse, festinanter edere, voracium lances euacuare, gulosorum digitos lambere, ebriosorum pocula euacuare, inciuilium vnũquemque intueri, præsumptuosorũ multum in mensa loqui, impudentium aliquid rogare. Nil vnquam in mensa præter panem aut aquam petas. Si tibi vinum

aut

aut fructus porrigatur, porrigenti reuerentiam exhibe: si non, patientiam habe: magis enim multo meretur patientiam obseruans Dei famulus, quam abstinentiam. De doctrina Monachorum loquens S. Bernardus inquit: Si fortasse tibi piscis sale conditus, vel ius sine oleo, vel panis non tener, aut vinum acidum offeratur, ne apud alios conqueraris, neve inter alios murmures: alias enim, acidius adhuc dabunt Abbates: insuper, sæpius aliud non habet Monasterium. Idem Doctor eodem in loco amplius infert: Religiosus inquit qui suo palato & gustui studet, precibus profectò vacare non potest: nullum equidem vnquam religiosum vidi culinæ amatorem, oratorio non inimicum. Sub refectionis finem, pateram tuam argenteam recõnde, complica mantile, micas purga, manicas tuas extende, brachia denique tua honestę compone: vt qui te videant, dicant te quasi è missa è mensa redire.

De diuino officio: & quod Dei laudes canere Angelorum sit officium.

CAPVT XXXVI.

CAntate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit, inquiebat Rex Dauid, (*Psal.95.*) quasi diceret: O Israelitæ, ô progenies Abraham, ob studium in vos meum obligationemque vos moneo & hortor, vt magni Dei beneficij immemores nũquam sitis, quod scilicet vos ex Aegypto eduxerit, & per mare rubrum deduxerit. In istius beneficij mercedem Domino canticum nouum, nunquam auditum decantare debetis. Notandum hic quod Hebræi tunc canere possent, dum hunc Psalmum composuit Rex Dauid, imò illorum aliqui cantica composuerant, vt apertè videre est in cãticis quæ Moyses, Delbora, proba illa Anna, & Rex Ezechias composuere, & postmodum in canticis Cantic. quę composuit Salomon, quorum nullũ nunc cantari petit Dominꝰ, sed noua sibi exoptat decãtari cantica.

cantica. Verum hoc nobis magnum facessit negotium quod nos canere velit Propheta, eo tamen nullam nobis assignante cantionem: monet duntaxat, vt nouæ sint cantiones nostræ, non verò antiquæ, cum noua sint quæ nobis singulis diebus confert beneficia, magnaqúe sint eius mirabilia. O quanta cum ratione noua à nobis exigit cantica Dominus Deus, quandoquidem nobis adeò multa contulerit noua, videlicet creatorem pro creatura, filium pro seruo, iustum pro condemnato, innocentem pro nocente, redemptorem pro peccatore. Nunquid quæso apertè cernis vix vllam esse linguam, quæ eius mirabilia & adeò illustria beneficia enarrare possit? Multo minus ijs ergo satisfaciemus.

Non sine mysterio, vt se laudemus præcipit Dominus Deus, nec tamen verba, quibus laudemus assignat: quoniam beneficia quibus in nos in creatione, & creatione quidem ex nihilo, in redemptione, in prouidentia qua nos regit, & misericordia quæ alit vsus est, adeò sublimia & heroica sunt opera,

vt omne humanum ingenium omnemque naturam angelicam ſuperent. O quam nouum & inauditum fuit opus, Deum fieri hominem! virginem, virginem eſſe & matrem, filium eſſe ſine patre. Synagogam conuerti in Eccleſiam, circumciſionem in Baptiſmũ, Apoſtolos Prophetis ſucceſſiſſe, ſacrificia in Sacramenta conuerſa fuiſſe, figuras in veritatem! Ideoque hæc nouis canticis decantanda ſunt, adeò excellentia myſteria. Quod autem noſtro arbitrio cantiones cantandas, cantandique tempus relinquat, innuit (quandoquidem ad decantandas eius laudes debitumque ei impendendum obſequium inſufficientes ſimus) debere nos quod in nobis eſt exequi: ita enim bonus eſt, & tantæ facilitatis, vt æque ei grata intentio, & voluntas noſtra ſit inſeruiendi, atque illud ipſum obſequium. O ſi intelligeremus quàm bonum habeamus Deum, quàm bono inſeruiamus Domino! vel quotidie quæ nobis beneficia, & peccatorum noſtrorum diſſimulatio id arguat: non ſanctam terram adire præcipit, non poſ-

poſſeſſiones noſtras requirit, non noſtrum poſcit honorem, non aufert vitam; petit duntaxat, vt in eum velut boni Chriſtiani toto animo credamus, & lingua vt eius famuli eum laudemus. Difficilè Deo fuit pro nobis mori: & tamen quod à nobis exigit, facile eſt. petit tantum vt ipſi gratos nos exhibeamus: non ſublimia à nobis exoptat opera, petit ſolùm vt ei laudem continuam deferamus, quod exigui eſt laboris, & magni meriti. Equidem merito dicit Propheta: *Cantate Domino canticum nouum*, vult nos Domino laudes decantare: ob omnia bona ſiquidem, & beneficia nobis ab ipſo collata non mercedem, ſed multiſonam quandam laudem requirit. O quam bona & felix ſit neceſſe eſt illa vita, Deo ſcilicet conuiuere, Deo inſeruire, Deum ſequi! nullis ſiquidem domi eius habitantibus flere conceſſum eſt, ſed potius canere. Vt enim in Apocal. apud Ioannem cap. 7. habetur, abſterget Deus ab oculis Sanctorum hoc è mundo migrantium omnem lachrymam, eosqúe cantica noua cantandi modum docet.

Lau-

Laudate Dominum de terra, Dracones & omnes abyssi: ignis, grando, nix, glacies, & spiritus procellarum, inquiebat rex Dauid (*Psal. 48.*) quasi diceret: Eia agedum, omnes cęlestes Hierarchias omnesqúe mortales creaturas cōuoco, vt mecum iunctæ creatorem collaudent. Vos feri voco dracones, vos profundæ abyssi, te ignis vrens, te grando comminuens, te nix condensa, te frigida glacies, te quoque ô terrisonum mare, vos rugientes bestiæ, sibilantesqúe serpentes, vos denique volatilia cœli. Quod ad me, credo certè Prophetam omnia animalia bruta ad laudes Deo decantandas vocare, vt nos bestiales homines, nos inquam rationis limites transgredientes, rideat. In rei veritate siquidem & sinceritate, si homini boni & mali notitiam adimamus, nullus erit qui non eum brutū animal iudicet. O quantum nostræ humanitati dedecus est, & quā grande libertati arbitrij nostri præiudiciū, dracones, leones, grādinem & gelu creatorē laudare, Deum verò conqueri de homine, nō solū suas laudes non decantante, sed iniuria & blasphemia afficiente pa-

patet. Vix enim vllum coram Deo exercet opus homo, quo iniuria non afficiatur, vix vllum profert verbum quo non blaſphemetur. Ideò in confeſſionum libro dicit S. Auguſtinus: Inter omnes alias creaturas quas Deus in terra creauit, & inter omnes quas in mūdo formauit, nulla eſt quæ magis à blaſphemia cauere debeat, laudibusqúe decantandis vacare teneatur quam homo: cæteræ enim omnes creaturę Deo creationem & conſeruationem debent, homo autē creationem, conſeruationem ſimul & redemptionem. O bone Ieſu, ô animæ meę amor, quid mihi eſt quod à te non accęperim? quid ſcio quod me non docueris? Quid poſſum ſi à dextris mihi non aſſederis? Quid ero, ſi quod tuum eſt mihi adimas? Quid mereor nî tibi gratus ſim? Illumina me Domine in tenebris iacentem, mihi deuio rectum oſtende iter. Per te in tuam redeam gratiam, ſi ab ea receſſerim. Mihi peccata quę in te commiſi condona, cum me, te non rogantem crearis, meque non merentem redemeris. Magnum mihi contuliſti beneficium dum

me

me creasti, dum me redemisti, sed non minus præstiteris, si mihi ignoueris. Crudelem illam mortem, & magnam illam sanguinis effusionem non es passus pro Angelis qui te laudant, sed pro me & ceteris peccatoribus qui te offendunt. Sed quia te abnegaui, concede vt te recognoscam, quandoquidem te perdiderim, patere vt te quæram, cum te offenderim: permitte vt tibi obsequium præstem, cum te blasphemia affecerim: fac vt te laudem, cum vita tuo obsequi non impensa potius mors sit dicenda quam vita. Hæc ex S. Augustino.

Lauda anima mea Dominum; laudabo Dominum in vita mea inquiebat Dauid Rex (*Psal.* 45.) quasi diceret: Te ô anima mea, te ô corpus meum adiuro, ne à Domini laude, ne à Dei obsequio cessetis, sed illum quouis die, quauis hora, & omni momento laudetis, cum esse meum ab eius potentia dependeat, & posse meũ ab eius volũtate. Serio notãdũ & memoriẹ infigendum, quod Dauid à Dei laudibus decãtãdis non se excuset, quamuis Propheta & duodecim

Tribuum Rex foret, quamuis magni populi dominus & caput, multorumque exercituum Imperator, ac magnis negotijs occupatus. Hinc concludo omnes Christianos debere sine fine Deo laudes decantare. Quicquid edit aranea in virus conuertitur, quicquid gustat apis in mel abit: hoc est, malus Christianus & peruersus Deum suis operibus blasphemat, bonus è contra in omnibus suis actionibus laudat: sic vt quicquid in gratia existentes agimus, Deo gratum sit & acceptum, quicquid econtra extra gratiam, ingratum & molestum. Casiodorus in Psalmos scribens, dixit nos omnibus nostris cogitationibus, verbis & actionibus in charitate fundatis, & humilitate oblatis Dominum Deum laudare & canere, sed malis & peccato obnoxijs, eundem blasphemare & abnegare. Si .n. linguæ blasphemia mala est, longe peior est blasphemia quæ operibus fit. Sanctus Hieronimus in epistolam 1. ad Corinthios *cap. 10.* scribens inquit, Non incassum nec sine magno mysterio dixit S. Paulus Corinthijs scribens: *Siue ergo man-*

manducatis, siue bibitis, vel quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite: non dixit vt vos ipsos recretis. claret proinde eũ nunquam à diuinis laudibus cessare, qui nunquam benè operari cessat. *Dicite iusto quoniam benè* dicebat Deus per Isaiã, (*Cap. 3.*) ac si diceret, Mone ex me iustũ ne tristetur, neue turbetur: quicquid enim cogitat mihi gratum & acceptum est; quicquid eligit, mihi placet; quicquid vult, volo. quem enim meorum amicorum cathalago asscripsi, hunc foueo ne deterior fiat. O quam bonis sũt hæc consolatoria verba, & quam malis formidabilia: Si enim iustus sit homo, nunquam à vero aberrabit scopo, si iniustus, incassum operatur: Multi profectò sunt qui ad hanc iustificationem & perfectionem adspirant, sed pauci illam consequuntur. Valde Notabile.

Quod attinet ad cantum & Dei laudes persoluendas, sunt qui semper tacent, alij semper blasphemant, alij semper flent: quidam omni tempore ridẽt, quidam antiquas concinunt cantilenas, alij nouas & noua cantica: quidam animo canunt, alij lingua: alij denique

lingua & animo. Si de horũ vnoquoq; aliquid differere velimus, videre erit quanta sit harum diuersitas conditionum, eo quod hominum inclinationes ita diuersæ & contrariæ sint, vt nullus studeat agere quod proximum agentem videt, imò neque agere velit quod alius agit. Eos qui semper tacent & nũquam loquuntur, paganos & gentiles dicimus esse, de quibus loquitur Psalmista, *os habent & non loquuntur*, id est os habent & loqui nesciunt, pedes & ambulare nõ possunt, aures & non audire vt testatur Propheta. Illum enim loqui dicere non possumus qui Deum laudare nescit, neque ambulare qui eum non quærit, neque audire qui in eum non credit, neque videre qui eum non cognoscit. Aliud est hominum genus, qui nihil nisi blasphemare norunt. Hos hæreticos vocat Ecclesia, quorum est peruersa & mala opera agere, scandalosasque inducere doctrinas, vt sibi nomen comparent, antiquorumque sanctam euellant doctrinam, Deus in Leuitico (*cap. 24.*) de hoc blasphemorum genere agens dicit: *Educ blasphemum extra*

castra, & lapidet eum populus vniuersus, id est, Volo publicum hæreticum repentè Ecclesia mea eijci, & à populo lapidibus obrui. prestat namque scabiosam ouem perire, quam totum gregem. Qui semper plorant, & nunquam rident, hi sunt quibus nunquam vlla Dei beneficia satisfaciunt, qui semper obmurmurant & oblatrant: sic vt Dominum Deum propriæ eorum vtilitati & causæ semper studere vellent, & nunquam secus. Qui semper rident & nunquam flent, hi sunt quos vanos dicimus, & profanos reputamus, quod frontem exhilarandi ignorent modum, ideò nihil nisi ridere nolunt & suis frui delitijs, quos bestiales homines potius quam rationales dixerimus, quandoquidem nō secundum rationem, sed sensualitatem viuant. Qui nihil nisi antiqua concinunt cantica, hi sunt qui à longo temporis interuallo suis vitijs inueterati & obstinati sunt, qui quod grauius est suorum peccatorum pœnitentiæ immemores, loco pœnitentiæ vitia elapsa enarrant tanquam facinora digna memoria. Qui veterum canticorum immemores nihil

hil nisi noua concinunt cantica, hi sunt qui iuuentutis tempore multis vitijs & dissolutionibus addicti ad senilem ætatem vbi peruenerint, peccatorum pœnitentiam agentes probè & correctè viuunt: ita vt in mundo decocta & derelicta farina, quod superest furfuris Deo offerant. Qui exterius lingua non canunt, sed interius corde, hi sunt qui creatorem super omnia redamant, eique omnibus viribus & voluntate inseruientes, seipsos non magni pendunt. Qui lingua & non animo canunt, peruersi & maledicti hypocritæ sunt, qui secundum loquelam sancti apparent, sed eorum opera dæmones ipsos exhibent, quos catapotijs siue pilulis auro obductis comparare possumus, quæ aspectu pulchræ sunt, gustu verò amaræ. Aliud denique reperitur hominum genus qui corde simul & ore Deum laudant: hi sunt boni & sancti religiosi suis Monasterijs conclusi & sanctis officijs occupati: quorum præcipuum officium est per loca secreta contemplando deambulare, & choro ad cantandum interesse. O felix officium!

um! O gloriosum officium! O officium non humanum sed angelicum, choro scilicet ad cantandum interesse, & cubiculo ad contemplandum immorari! si profunde enim cogitare velimus, certum est quod psalmos in Ecclesia canere, & in cubiculo contemplationi vacare, sit sanctos in gloria cœlesti referre & imitari. *Sanctus* Ioannes in sua Apocalypsi *capit.* 14. damnatorum pœnas beatorumque gloriam vidit: vbi nullum laborem, nullam sementem, nullam texturam, nullum regimen, nullum mandatum vidit, sed solum cantum solamque Dei laudem. Vnde liquet omnia officia & exercitia nostra, finem in illa finali beatitudine habitura, excepto cantus & contemplationis officio, quod in æternum durabit. Dicebat summus ille Rex Dauid: *Psal.* 83. *Elegi abiectus esse in domo Dei mei*, quasi diceret, O bone Deus Israel, licet natura hominem, conditione liberum, progenie illustrem, officio Prophetam, dignitate Regem me feceris,

ris, malo tamen me minimũ esse in tuo sancto templo te laudantium quam totius mundi Dominum. Dum dicit Propheta quod elegerit abiectus esse in domo Dei, innuit maximum Christiano hac in vita beneficium esse, collocari vbi Deo debitum pręstatur obsequiũ, & dignæ persoluũtur laudes: sic vt quicunque hoc fungitur officio licet carneus & sanguineus sit, dicaturque homo, nihilominus ob officium quod Deum laudando exercet, dicitur Angelus. Damnatorum & beatorum differentia hęc est, quod damnati nihil nisi Deum & iustitiam eius blasphement, beati autem nihil nisi immensam ipsius misericordiam laudent. Ideoque secundum vniuscuiusque hoc in mundo officium, videre est, num in alia vita saluandus sit aut damnandus.

Quod felices sint religiosi: quia nullis nisi diuinis officiis occupantur.

CAPVT XXXVII.

BEati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te, inquiebat *Psal.* 83. Dauid Rex, quasi diceret: Quam felices sunt illi Domine, qui tecum habitant, qui die noctuque tua præsentia fruuntur, te enim sine fine collaudabunt, & tecum quam diu Deus eris permanebunt. Hic notandum, quod sancti cœlos incolentes non tam sint felices ob locum quem occupant, quam ob officium quod exercet, quod est diuina essentia frui, & æternis laudibus persoluendis vacare. Accedit, quod Deo frui, eũq; laudare, adeo vsitatũ inter eos & continuũ sit, vt nullũ sit illud consummaturum tempus, nulla id fatigatura senectus, nulla illud tenebris obfuscatura nox, neque vlla illud delectura tristitia. Qua gloria & felicitate in

cœlis fruuntur sancti; eadem tristitia & infelicitate vexantur mundani: hic enim nihil nisi ingemiscimus, illic autem assiduos persoluunt cantus. Veram & certam protulit Sanctus Paulus sententiam *ad Rom. cap.* 8. dicens: *Omnis creatura ingemiscit*, quasi diceret, Omnis creaturæ officium est ingemiscere, & suas aduersitates plangere: maxima enim vitæ nostræ pars transigitur in hoc quod de aliorum copiosis conqueramur & doleamus possessionibus, & quod iisdem careamus, ingemiscamus. Profectò secundum Sanctum Gregorium vita nostra nihil nisi longa est mors, iugiter nos absumens, cum nascentes iam mori incipiamus.

Anaxagoras rogatus quid ageret, respondit se ad mortem properare. Quam vere! si enim ad rem & verè loqui velimus, dum quot annorum simus interrogabimur, magis appositè respondebimus nos à quadraginta annis iam incepisse mori, quam à quadraginta annis, natos. Si de quibusdam

dam dici posſit, quod in hac triſti & miſera vita viuant, de perfectis religioſis hoc potiſsimum dici poteſt, & de ijs qui ſolum cum Domino rem habent: & de religioſis ſuis Monaſterijs incluſis, qui ſub Prælati diſciplinis viuentes, nihil niſi diuinis laudibus diuinoque officio cantantes in choro vacant. Dicebat Regina Saba Salomonis miniſtros admodum felices eſſe, quod ei in menſa & cubiculo miniſtrarent; ſed nos longe feliciores dicemus religioſos, Deique famulos qui Deo non potum & cibum miniſtrant, ſed diu noctuque ſancti ipſius nominis inuocationi inuigilant. Religioſorum in choro officium adeò ſublimis & excellentis eſt meriti, vt illo functuri de cœlo deſcenderent Angeli, ſi per mandatum eis liceret, mortui aſcenderent de ſepulchris, ſi hoc eis concederetur. Debet ergo ſemper choro intereſſe DEI famulus, & debitè diuinum peragere officium; Via enim quam ingredi, & iter quod quam optimè callere debet religioſus, erit ex

choro in oratorium, & oratorio in chorum.

Dic quæſo mihi, dũ te ordinis fatigãt labores inimicique tentationes moleſtant, nunquid non ijs facilius meliuſque liberaberis in choro cantans, quam per Monaſterium errans & fabulans? Religioſus qui chori frequentationi aſſueſcit, cuique diuinum officium eſt cordi, ſciat certo ſe non vincendum, etiamſi eum tentari patiatur Dominus.

Montis Dei Monachis ſcribens S. Bernardus, inquit: Videte fratres quid agatis, cuiq; rei occupemini. Religioſus enim qui chorum adire renuit, quique frequenter oratorium non intrat, ſe à Domino mundo eductum dicere non audebit, ſed manu diaboli in Monaſterium adductum. Paulò inferius ita proſequitur: Dic quęſo mihi, nunquid eum qui cũ fratribus pſalmos cantaturus Eccleſiam adire non vult, eum inquã qui hinc inde per monaſterium in proximum murmurans curſitat, manu non ducit diabolus? Sanctus Baſilius in

ſua

ſua regula ſuper hac re loquēs ait, Omnes ſimul Pſalmis in Eccleſia decantandis noctu interſint Monachi, laudes mane concinant, meridie preces Horarias, veſperi Completorium: quandoquidem enim eos corpore & anima Dominus foueat, die ac nocte eum laudant. Et in quodam alio eiuſdem regulæ capitulo amplius infert, Soli Monachi ægris inſeruientes, peregrinos & hoſpites ſuſcipientes, corbes ad miſeros pauperes fouendos conficientes, à choro excipientur: quos etiam monemus & rogamus vt quoniam choro intereſſe continuè non poſſunt, ſaltem ſe illic aliquando præſentent. Scriptum quoque eſt in vitæ ſolitariæ libro, quod Monachus pigritia motus, quotidie chorum & oratorium non ingrediens, debeat ſtatim à Prælato corrigi, & diſciplina affici: qui enim hac in parte ſui officij immemor eſt: vel à diabolo tentatur, vel Domini non meminit, vel in mundum vult reuerti. In libro Patrum quidam religioſus Abbati Panucio dixit, Dic reuerende Pater, quid de me fiet qui vagus per Monaſteri-

sterium discurro animo frigido? Cui senex: Scias ex me velim, quod dum religiosus frigidi mœstique est in Monasterio animi hoc oriatur, quod primus refectorium ingredi assueuerit, & vltimus chorum: ordinaria siquidem diaboli in religiosum est tentatio, quod eos edentes lætos efficiat, & orantes pigros reddat. In collationibus Patrum quidam Monachus Abbati Arsenio dixit, Cuperem sancte Pater ob iuuentutem meam & recentem meum è mundo egressum mihi à te correctorium & admonitorium dici verbum: respondit sanctus Abbas dicens: Iam à quadraginta & duobus annis hac in eremo resideo, in qua nullum vnquam vllo die ne vel bolum quidem edere ausum vidi Monachum, qui ab officio diuino abfuisset: religiosus enim qui edit priusquam Deum laudauerit, similis est furi non labores suos comedenti, sed furta sua. Prosequens idem Arsenius eidem dixit: Fili mi diuinum officium redama, mul-

multumque in choro impendas temporis: scias enim ex me velim, me nunquam minus à diabolo tentatum fuisse quam diuino officio præsentem, nunquam autem quietum ab illo absentem. His verbis docet ille sanctus senex, quàm necessariò choro interesse teneantur boni religiosi simulque diuino officio: secus enim falso religiosi nomen vsurpamus, & iusta æquaque cum ratione semper mœrore conficimur.

Religiosus qui chorum non amat, non sine tristitia & tentatione viuere potest: si enim hoc adeò sancto exercitio, adeoque sublimi officio corpus & animam suam non recreet, certò sciat se magno cum labore religionis iugum laturum, totique Monasterio molestum futurum. Insuper quandoquidem dicat (2. *Thess.* 3.) Apostolus: *Si quis non vult operari, nec manducet*, qua conscientia, quoue pudore vel solum bolum edere audes, cum illo die à choro abfueris? Nunquid ille conscientia, immo pudore carere tibi videtur,

tur, qui cæteris labori manum admo-
uentibus quiescit? qui cæteris sudanti-
bus & operantibus comedit? Qua
fronte quoue vultu refectorium ingre-
di audet ille, qui ad ingrediendum
chorum pedibus caret? Non fati-
garis tota die per plateas cursitans, &
sola hora choro præsens fatigaris? Quæ
patientia, quæue religio hoc feret,
quod velut sanus & incolumis in refe-
ctorio edas, & velut æger à choro
excuseris? Neque viribus neque ca-
pite ad psalmos psallendos vales, cum
tamen & lingua & capite valeas in pro-
ximum murmurare. Cum in reli-
gione neque arare, neque fodere,
neque texere, neque operari tibi im-
peretur, quomodo tanti temporis &
siquidem infructuosi iacturæ rationem
reddere poteris? Principes & magni
terræ domini, suos cibos non sine su-
dore & labore comedunt, tu autem
vis otiosus edere, quod facis chorum
non frequentando. Inuigilandum er-
go seriò Prælato vt benè & debitè diui-
num peragatur officium: in Monaste-
rijs enim in quibus non omnes simul
notandissimum.
choro

choro intersunt, non illic ordinem vigere dicemus, sed confusionem; non religionem, sed irreligionem. Vbi negligenter recitantur horæ non est Monasterium, sed mundi & mundanorum domus. Monasterij namq; & religionis perfectio non eos qui potentiores sunt vt simul viuant tangit, sed eos qui simul viuentes vitæ sanctæ se simul deuouent. Videant Abbates siue Priores, ne religiosi sub hoc prætextu quod ad messem eant, vel eam colligi faciant, vel Monasterij negotijs intendant, animo diuagentur, aut à choro & officijs diuinis omnino absint: certo certius enim credendum est Dominum Deum eis qui eum in Monasterijs laudant cibum collaturum: cum & hunc mundi blasphematoribus conferat.

Aliud quoque hac in parte oritur inconueniens, nempe quod Monachus qui hisce temporalibus messibus, huiusmodique mundanis & profanis rebus studet, non solum sit chori inimicus, sed & Monasterij. apertum hoc est: quia sæpius tales de nocte reuertuntur, &

tur, & sæpius ante auroram egrediuntur. *Quærite primum regnum Dei, & omnia adijcientur vobis*, inquiebat Christus (*Luc.* 12.) quasi diceret: Ante cætera tua negotia quære primum regnum cœlorum: debes enim cœlestia primo loco collocare, temporalia secundo. Religioso alternis diebus chorum ingredienti, singulis autem diebus cum distractione mundum, confert diabolus pro cibis ritè conditis vile legumen, & pro re ponderata, inane pondus. Dicebat illustrissimus Rex Dauid, (*Psal* 54) *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet*, quasi diceret, O homo qui è mundo in Monasterium Deo obsequuturus venisti, nihil nisi tuo creatori obsequi cures, & ipse te enutriet & fouebit. Quoniam itaque se tuis necessitatibus subuenturum dixit Deus, cur adeò tibi curæ sunt huius mundi bona? Sanctus Augustinus Eremitis scribens inquit, Licet quibusdam rebus careatis, licet maximam patiamini famem, ne ideò ab officio abstineatis diuino, neque ab oratorij visitatione, ille idem enim Dominus qui Danielis in lacu leo-

cu leonum meminit, Heliæque in deserto, vestrarum necessitatum vestræque humanitatis miserebitur. Roganti cuidam monacho S. Anselmum qua causa sua Prælatura, quoue demerito deponi mereretur Prælatus, respondit: quod omnis religiosus qui in fide Catholica suspectus haberetur, quique in ægros charitate non vteretur, qui chori amans non esset, in Prælaturæ statu tolerari non deberet. Ideoque in regula dicebat Sanctus Basilius, Nullus Monachorum nostrorum præsumat in mundo negotiari, vel Monasterij portam vlli aperire, neque venales conficere corbes, neque ad parandos cibos lumen accendere, nisi absoluto diuino officio omnibusque choro egressis Monachis.

In Patrum vita, iuuenis quidam Monachus sanctum quendã senem rogãs, quomodo in Monasterio tempus diuideret, dixit: Fili ante omnia septẽ horas legendis septem horis canonicis impẽdes, vnam laudibus, vnamque hospitibus & peregrinis excipiendis, vnã ægris visitandis, sex in dormitorio, tres in orato-

ratorio, vnam in refectorio, reliquum tempus laboribus. Finio & dico Abbatem siue Priorem piè diuini officij amantem à multis alijs defectibus & negligentijs excusari posse: si autem remisse chorum & altare frequentet, nihil magni ab ipso est spectandum, nec vnum quidem ipsi ignoscendum est vitium.

Quomodo se ad diuinum officium peragendum præparare debeant Dei famuli, & quomodo in choro sese gerere.

CAPVT XXXVIII.

PRæparate Domino corda vestra dicebat per Prophetam Deus (1. *Reg.* 7.) quasi diceret. Si Dominum in animas vestras venire optetis, vestraque ei accepta esse opera, à conscientia vestra peccata mundate & præparate ei corda vestra, vt munda sint. Sicuti sol cubiculum intrare non potest, nisi prius aperta fenestra quæ solis ingressum impe-

impedit: sic nullus Domini gratiam recipere potest, nisi imprimis ad illam recipiendam animam suam disposuerit; neque enim sui amantem reijcit Deus, nec suum exoptat contemptorem. O felices Christianos! ita benignus & pius est Deus, vt nunquam nos ad se reuertentes reijciat, si qua re caremus, rogatus eam non denegat: sed nos ad illam recipiendam nos non disponimus. Quis quæso Dominum inuocat, qui ab eo responsum non accipiat? Quis eum quærit, & non inuenit? Quis eum quid rogat, & non consequitur? Si roget & repulsam patiatur, loco beneficij illa repulsa habenda est: sæpius enim quidpiam petimus, quod si consequeremur, nobis nocumento esset. Cęli ros, aeris temperantia, solis calor parum admodum terræ desertæ & non herbosæ prosunt: ita nulli ab alto consolatio expectanda, ni prius ab animo peccati eradicata herba. Non sine Mysterio non dicit Propheta præparate pedes vestros ad longam conficiendam peregrinationem, vel manus ad eleemosinam erogandam, vel oculos

oculos ad contemplandam faciem, vel aures ad verba audienda; solum autem *præparate corda vestra* ad Dei benedictionem & gratiam recipiendam: non enim quam parum operemur respicit Deus, sed quantum operaremur si possemus. Tunc igitur Domino præparatum cor habet Christianus, dum æquè lubens aduersitate atque prosperitate vtitur, & è contra. hominis perfecti enim cor tentationem quidem patitur, sed non ideò mutatur. S. Ille Iob Domino cor præparatum habebat, dum scabie plenus, & post suorum camelorum, boum, asinorum, ouium, & liberorum auditam cædem dicebat; *Dominus dedit, Dominus abstulit*, iterumque mihi illud idem refundere potest, *sit nomen eius benedictum*, mihi sufficit sancta voluntas eius. Cor Domino præparatum habebat Propheta, dum diceret, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo & psalmum dicam Domino*, quasi diceret, Paratum cor meum est, non semel tantum sed millies: nec pro re vna, sed pro mille & mille. Paratum cor

meum

meum eſt ad imperandum & obediendum, ad ſanitatem & aduerſitatem, ad diuitias & paupertatem, ad triſtitiam & ad hilaritatem, ad horum vnoquodque, ita proteſtor & iuro, neque lachrimari neque flere, ſed cantare volo & pſallere. Præparatum quoque cor habebat Apoſtolus (*Acto. 9.*) dum cum lachrimis & ſingultibus diceret: *Domine quid vis me facere?* Quaſi diceret, Ah Domine me ex equo deieciſti, & in terram proſtraſti, me viſu & ſenſuum facultate priuaſti: ſed quicquid id ſit, illud mihi placet, dummodo ad tuum obſequium referatur. Præparatum ſimiliter Domino cor habebat S. Auguſtinus dum diceret, *Hic vre, hic ſeca, hic flagella & nil parcas, dummodo in æternum parcas*, quaſi diceret: Hic me flagella, vre, affli ge, reijce, in partes ſeca, hic me pœnis affice, vt innocens & ſine peccato in alio mundo coram te comparere poſſim. O quam vanorum & mundanorum hominum verba & facta ſunt his contraria, qui carnem ad adulterandum

dum impinguant, suauia ad bibendum quærunt vina, bonas ad induendum conficiunt vestes, bonos ad edendum præparant cibos: nunquam tamen ad Dei obsequium corda præparant, non vitam rationalem viuentes, sed brutam. Nunquid ille quæso verè brutus non est homo, qui nihil nisi nomen hominis retinet?

In libro Considerationis dicit Sanctus Bernardus, quod illle qui cor suum mundare & præparare non admodum sollicitus est, suæ solum complexionis qua se enutriat & conditionis qua se regat memor, dicendus sit bestia præ bestijs: naturæ inclinationem enim sequitur bestia, non autem homo, sed solum quicquid suggerit appetitus. Sed vt reuertar ad propositum, cum omnes ad benè viuendum & serio saluti suæ inuigilandum, & ad præparanda sua corda teneantur: præ cęteris tamen religiosi, qui ab huiusmodi tumultibus semoti se Deo obtulerunt, diuinoque officio peragendo dedicarunt. Tunc ergo Deo præparatum habet cor religiosus, cum in Mo-

in Monasterio operatur, in cubiculo legit, in oratorio orat, in claustro silentiū obseruat, in foro cantat: sic vt illi ad voluptates nihil supersit temporis, & illo tamen abundet vt Deo obsequium præstet. Domino præparatum cor habet religiosus, dum primo campanæ vel excitatorij nocturni pulsu, somnum vel opus cui intentus erat, deserit in oratorio oraturus, vel Deum in conuētu collaudaturus. Porrò vt melius cor suum Deo præparet, neve piger euadat, debet statim à cubilis egressu in genua procumbere, & corā imagine sibi oblata effundere preces, Deo gratias agēs, tum quod eum sanum & incolumem excitauit, tum ad decantandum & eius sanctum nomen collaudandum euocarit. Dicit S. Lucas in actibus Apostolorum, cap. 5. quod *ibant Apostoli gaudentes à cōspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*, quasi diceret: Nullus vnquam Princeps tanto cum gaudio coronam accepit, quāto ad martyrium & mortem properabant Apostoli, qui Deo gratias agebāt, quod digni essent pro sancto nomine eius pati

tormenta. Si tanta cum hilaritate ad
tormenta tendebant Apostoli, nunquid
turpe & inhonestum foret, te pigritiam
sectando, & obmurmurando ad cho-
rum præparare? Satius longe foret in
dormitorio remanere, quam remisse,
vel serò chorum adire: summa quippe
Dei bonitas nostræ infirmitatis mise-
retur, sed mirum in modum ei nostra
displicet desidia. Excitatorio noctur-
no mandatoq; chorum adeundi dato,
putes te non vocatum vt fodias, vel vt
labores, vel vt nauiges, siue vt pugnes,
seu vt deambules, quæ forsitan ageres,
si in mundo esses: qui enim non labo-
rat, non manducet, sed vt quietus Deũ
laudes. Quid quod ad adeundum cho-
rum nõ sint tibi publica aut lutosa per-
transeunda loca: non maculanda to-
ga, non facies à sole decoloranda, sed
in vmbra, in loco nitido & valde sicco
consistis, in quo pede sicco poteris, &
Domino obsequi simulqúe cibum po-
tumqúe lucrari. Patroni Monasterio-
rumqúe fundatores ea non erexerunt
neque dotarunt, nisi vt illic residerent
religiosi, qui in choro officia perage-
rent

rent diuina, Deumqúe pro viuis & defunctis orarent: secus enim vel illa poterant ipsemet expendere bona, vel parentibus & amicis suis, qui ijs post mortem fruerentur delegare. Religiosum per obedientiam cuipiam officio non occupatum, chorumqúe non nisi coactè adire volentem in religione detinere non auderem, neque eum de sua salute assecurare, quandoquidem fundatoris mandatis acquiescere nolit, fratrumqúe labores comedat. Dic precor mihi quò libenter ibis, si inuitus ad chorum eas? Præpara te in cella ad decantandas Dei quàm mox laudes, ne exspectes vt secundo voceris, alterumve cãpanæ pulsum auribus tuis excipias: Vt enim Deo inseruias decet te esse diligentem, non pigrum. Religiosus qui ad conuentum siue ad chorum non accedit, nisi vltimo campanæ pulsu, siue qui iterum à cubiculo euocandus est, se potius inuitũ ad Ecclesiã, quam propria voluntate ire demõstrat, cum eũ vocet campana, non aũt obedientia. Cum ad chorũ progrederis, caue ne cellas pręteriẽs loquaris, nedũ murmures: secus.n.
 multo

multo satius foret in dormitorium ad dormiendum regredi, quam ad murmurandum surgere. Cum chorum ingrederis, aquam benedictam sume, sanctam deosculare crucē, & te illa signes dicens: *Introibo in domum tuam, &c, Dignare me laudare te virgo sacrata*, his .n. versibus Dei filium inuocas, & te eius beatissimæ matri commēdas. Vbi chorum ingressus fueris, denudato caput sanctumqúe summa cum reuerentia venerare Sacramentum, in genua procumbens, manibusque iunctis orationem Dominicam salutationemq́ Angelicam recita summa qua poteris attentione & deuotione. Congregātibus se cæteris religiosis duranteq́ pulsu, te tantisper tua in sede collige, faciē tuam tuis manicis operito, & contemplare mysteriū quod tali hora dum hic vixit Dominus noster Iesus Christus operatus est, & quidnam singulis etiam nunc operetur diebus. Porrò hac in exigua collectione, atque oratione Dominum rogabis, vt bona tua acceptet desideria, tuorumq́ vitiorum & negligentiarum immemor fiat, vt si in diuini officij recita-

citatione aliquis attentionis aut deuotionis occurrerit defectus, infirmitati reputetur, non malitiæ. Si religiosos quorum interest psalmos intonare, videris choro nō satis tempestiuè adesse, tu pulpita disponito, & libros imponito, verte pariter & nota psalmos: in obsequio Dei enim non est spectanda obligatio, sed meritum. Dato à Prælato ad horas incipiendas signo, erectus surge, caput detegito, deinde inclinato corpore dic *Pater noster, Aue Maria*: quia enim hæ duæ orationes omnium sublimissimę sunt, ideò per eas omnes suas preces & orationes incipit & finit Ecclesia. Horis inceptis caue sedi tuæ inhæreas, nedum totus innitendo incumbas, caue huc illuc de choro in chorum respiciēs oculos voluas: scias enim oportet te non inter homines mortales, sed inter angelos Deum laudare. Dum leguntur horæ ritè verba pronūcia: dum decantantur, ad eas attende. si decantentur, ne eas velut cantilenas amatorias cōcinas: non enim sibi gratam esse vocem amatoriam dixit Dominus, sed cor contritum & humiliatum. Erectus non

curuatus sta in choro, pedibus iunctis, manibus collectis, oculis demissis, in Deum erecta cogitatione, sic vt omnes Monachi qui officio intersunt, in Deo bonitatem laudent, in te verò grauitatem. Dum quæritur num decantandæ sint horæ aut legendæ, siue num de hoc aut alio celebrandum sit festum sancto, seu num clarè aut submissè cantandum sit, non est quod de hac re cum alijs verba habeas: satius enim longe est ceremoniam quandam ordinarij omitti, quam verbis in congregatione contendere. Dum psallendi tibi psalmi erunt, recitandæ lectiones, vel quid aliud decantandum, aut præfatio, aut Euangelium, vide ne antequã præuideris, hoc publice feceris: grandis siquidem culpa est errorem quasi mendacium in altari vel choro committere, quod sine correctione reparari non potest. Vt verò sub officio diuino non licet tibi huc illuc oculos flectere, ita multo minus loqui: quoniam (præter quod in dormitorio, claustro & choro loqui inhibitũ sit) in Deum summum committens sacrilegium, si ita temerè Dei cultui dicatam

tam domũ fabulatorium efficeres. Nã in choro & oratorio vigiles, summopere à diabolo tentaberis, quo huc illucq́ oculos flectas, vt otiosum aliquod proferas verbũ; naturaliter .n. ea maxime appetũtur quę arctissimè prohibita sũt. Licet sint qui pulpita erigant, psalmos concinant, cereos accendant, libros tollant, ne ideò tibi imperari patiaris, sed te ad illa agenda offeras. Non sufficit si choro corpore cõpòsito intersis, etiam mente in Deum, & in ea quæ canentur oportet esse attenta. Secundum S. Bernardum enim, hoc dedecori religioso vertitur, si corpore choro adsit, animo autem foro. Quia chorus locus est Deo diuinóque obsequio sacratus, nullus temerè illum animo inordinato ingredi debet, neq; illic ventosas & imaginarias ædificare debet arces: min⁹ .n. peccaret, si occupatus in suo cubiculo remaneret religiosus, quam ad ea quæ canit aut recitat non attentus Ecclesiam ingrediẽs. Cum animo nostro contendentes vix illũ attentũ reddimus, quanto magis si illũ infrenatũ & indomitũ dimittamus? si dixeris te id etiã volentem non posse

exequi: respondeo, illum satis superque attentum esse, qui suis cum cogitationibus, vt attentus fiat contendit. In choro ne prior sedeas, neve vltimus surgas: sedens, surgens magnum ne edas strepitum: licet enim hæc exigua sint, in officio diuino tamen maxime ponderanda sunt. In Salomonis templo nunquam mallei ictus auditus est, & tu in Ecclesia Dei magnum audebis edere strepitum? Ne magni aut parui feceris, si tua sublimis aut demissa sit sedes, vel num loco humili aut honorifico sedeas, neque enim vt prius dixi, eò accedis honorem venaturus, & creatorē tuum laudaturus. Fratribus erectis ne sedeas, & pulpito appropinquantibus, ne tuæ immoreris sedi, & ijs cantantibus ne sileas: hoc enim non singulare quid, sed monstruosum appareret. Si quos fratrum tuorum rarius, quàm tu choro interesse forsan videris, non est quod ideo eos iudices aut murmures: certò credens te ad orandum duntaxat idoneum, illos autem non solum ad orandum, sed & operandum. Scias frater à *Deus in adiutorium meum intende*, vsque

ad

ad *Benedicamus Domino*, diabolum tibi ſemper adfuturum, qui te ad egrediendum choro tentet & perſuadeat, vel animum in diuerſa diſtrahat. Ne neſcius ſis, nulli religioſi magis tentantur, quam qui oratorium & chorum frequentant. Et quia bonorum operum meritum non in initio, ſed in bono fine conſiſtit, caue ne ad horas tuas abſoluendum duntaxat, chorum adeas; ſed ad Dei obſequium, animæque tuæ ſalutem: fruſtra enim alioqui laborabis, & ſine merito ac conſolatione abibis. quin, cùm antiqui Patres diuinum officium ad Dei cultum, & piam temporis tranſactionem inſtituerint, qui refugij & cōſolationis locus eſſe debebat, forſan erit luctus & doloris. Si in religionis ordine quietus & tranquillus viuere cupias, diuino aſſueſce quotidie officio: quicunque enim chori inimicus eſt, vel ordini grauis erit, vel tandem Monaſterio emigrabit. Horis abſolutis licet innuat abeundum eſſe Prælatus, ne ideò abeas: nam verus DEI famulus chorum primus ingredi debet, vltimus egredi. Finito completorio, quod eſt

diei finis, & matutino quod media no-cte recitatur, religiosæ perfectæque personæ choro vltimæ immorari quo-dam temporis interuallo solitę sunt, vt particulariter illic pias fundant ora-tiones. De sancto Dominico legitur, quod nunquam à matutino lectum re-peteret, immò quod nunquam choro egrederetur; sed orans & contemplans ab aurora inueniebatur, & inde ad mis-sarum solemnia properabat. Dicit in vitis Patrum Abbas Serapion, loca sæ-pius à probo monacho frequentanda, & ea ad quæ tanquam ad asylum con-fugere debent religiosi, hæc esse: nem-pe cubiculum in quo operatur, orato-rium in quo orat, chorus in quo can-tat, extra quæ non nisi peruigiles, velut peregrini deambulare debent. Dicebat sæpius S. Bernardus, se nullibi libentius moriturum, quam cum fratribus in oratorio orando, vel cum ijsdem psalmos in choro can-tando.

De antiquitate & excellentia orationis, & quod pauci sine bona vita parum proficiant multum orantes.

CAPVT XXXIX.

FAcient mihi sanctuarium, & habitabo in medio eius, dicebat Dominus Deus Moysi loquens, (*Exod. 25.*) quasi diceret: in medio populi mei, in loco honorificentissimo, & maxime publico sanctuarium mihi in modum oratorij constitues, ad quod omnes oraturi, & sacrificia oblaturi confluant. Non sine mysterio Dominus Deus filijs Israel Aegypto egredientibus ante alia præcepta præcepit, vt ei domum orationis construerent: assuefieri enim eos primo volebat orationibus & sacrificijs offerendis: vt ei in orationibus conscientiam offerrent, in sacrificijs verò oues & possessiones. Conquerebantur Israelitæ (*Exod. 15.*) de aquis in Mara, quod potabiles non essent, de serpentibus ignitis: de regib. Moab, & Seō, occidere

eos & seducere volentibus. Vt autem resisteret, aduersusq; eos tantis in periculis cõstituti tuti esse possent, prius eos orare quam pugnare docuit Dominus Deus. Diligenter sacræ euoluantur si scripturæ, videre erit, quod à primo homine iusto Abel, vsque ad Iudam Machabæum penè vltimum legis antiquę iustum, nullus fuerit qui orare non nouerit: econtra verò multos qui pugnandi artem nescirent. Vnde inferri potest, bonum & sanctum nomen, non armorum, sed lachrymarum vi obtineri. Ausim dicere, illum in populi medio extruere ingens sanctuarium, qui Deo maiorem & meliorem sui temporis partem offert: in die iudicij enim æque strictam iacturæ temporis reddemus rationem, atque offensarum commissarum. Ille sui populi in medio sanctuarium construit, qui Dominum Deum in suis visceribus & cordis penetralibus collocauit, ob cuius honorem potius vitam morti commutaret, quam vel vnum in ipsum committeret peccatum. Non sine mysterio Dominus in medio populi, non autem in initio

tio aut fine, sanctuarium fieri præcepit, docens euitandas esse extremitates, vt scilicet non ob magnas nostras occupationes à precibus abstineamus, neque ob continuas nostras preces à bonis operibus cessemus. Ille in medio populi, non autem in extremitatibus sanctuarium ædificat, qui ita tempus diuidit, vt nihil ex ijs quæ cõscientiam tangunt omittat, & eorum quæ ad huius vitæ statum pertinent, non obliuiscatur; quamuis enim in altum quouis die aquila volet & erigatur, debet tamen singulis quoque diebus in terram descendere, vt bibat & comedat. Summa illa Dei bonitas, Dei filius, nihil aliud pœnè, nisi oratorium & orationem commendauit: nam toto vitæ sua tempore, post conciones ægrorumque curationes, nihil nisi orabat & contemplabatur: sic vt benedictus ille IESVS de die ægros sanaret, nocte Patrem suum pro peccatis nostris oraret. Particulariter non solum orare Iesus Christus nos docuit, sed & modum orãdi, & locum & finem, propter quem orationes nostras dirigere deberemus:

hoc agens, vt deuotionis pretium agnoſceremus; & quam faciamus iacturam deſidiam ſectãdo. Porrò modum orandi nos docuit I E S V S Chriſtus dicens: *Petite & dabitur vobis, pulſate & aperietur vobis.* Si enim quid petas, quo eges, non hoc tibi denegat Deus; ſed tu benè rogare non noſti. O quam bonum habemus Deum, ſi modo agnoſcere poſſemus! quam bono inſeruimus Domino, ſi modo eum ſequi velimus. inuitat enim nos ad ſe rogandum, & portas ſuas pulſandi nobis licentiam concedit. Hanc licentiam & authoritatem huius ſeculi filij profectò non habent: credunt enim & non admittuntur, clamant & ijs non reſpondetur, rogant & nihil recipiunt: & quod grauius eſt, inſeruiunt, & nullam accipiunt mercedem. Si diceret tantummodo Chriſtus: *Petite & pulſate.* dubitare equidem poſſemus, num aperiẽda nobis foret porta, numque quod peteremus conſequeremur. ſed ſummam Dei perpende bonitatem: eo enim ipſo tempore quo te ad ſe rogandum inuitat, eodem ſe ad tibi conferendum,

quod

quod petis obligat: sic vt illis sublimibus & excellentibus verbis te inuitet, seque ipsum obliget. Sed esto, Deus petitiones nostras exaudire, portamque nobis aperire se obligarit, an ideò quod non habet rogandus est, & vbi non est quærendus? certo enim certius scimus filium Dei, neque vitia, neque voluptates elargiri, eumque inter peruersos quæri non debere: nam ante Pilatum adductus dixit & asseruit regnum suum non esse de hoc mundo, (*Ioan.* 18.) Dic mihi mundane homo, cur eum mundana rogas? roga quod habet, roga abstinétiam, pœnitentiam, charitatem & humilitatem: quære eum vbi est: quære in monte orantem, quære in zenodochijs ægros sanantem, & in cruce patientem. ita quod rogabis consequeris: & tibi vocanti respondebit. Apud sanctum Matthæum, (*cap.* 4 *&* 14.) legitur, quod consortia deseruerit IESVS Christus, & in montem oraturus secesserit. S. Marcus dicit, quod summo mane oraret, S. Lucas quod prolixè, & quod esset pernoctās in oratione. Iesus Christus mediā imò totam

noctem

noctem auroramque meliorem & iucundiorem partem diei, imò & maiorem melioremqúe vitæ suæ impendit, non in propriæ personæ recreatione, sed in oratione & rerũ cœlestium contemplatione. Decet verum Dei famulum diu orationibus intendere, paululumqúe contemplationi, cum eam ita nobis commendarit Deus, eamque ita ipse exercuerit: pudendum enim esset, discipulum desidiam sectari in opere, in quo adeò diligens fuit eius magister.

Sed cum summum bonum orationem esse dixerimus, dicamus nũc quid orare & Dominum rogare debeamus. Hoc nos docet dicens: *Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius*, quasi diceret: Multa exigit vestra voluntas, multorumqúe quotidie egetis, sed in primis Deum regnum cælorum quod vobis promisit, & super omnia iustitiam originalẽ, in qua vos creauit rogate. Nõ sine mysterio non præcipit Iesus Christus vt regnum cœlorũ duntaxat quæramus, sed & iustitiam eius, insinuans, non sufficere Christiano orare, & cœlum

lum Dominum rogare, sed & bona exercendum opera, quibus illud assequi mereamur. Secundum enim sanctum Bernardum, bonorum operũ plenum est regnum cœlorum; infernus verò bonorum desideriorum. O quam multi in orationibus suis Dei gloriam quærunt, sed non cum eius iustitia! hæc est, qui bona opera ad eam consequendam non exercent, neque ad eam promerendam elaborant, sed bonis Deo tantum verbis volunt inseruire, cum tamen omnibus viribus mundo obsequi velint. Ille Deum regnum suum rogat, & non iustitiam, qui singulis diebus se bonum futurum dicit, emendationemque vitæ, ac correctionem pollicetur, neque tamen vnquam promissis stat. similē ficui hunc dixeris, (*Matt.* 21. *Mar.* 11.) cui maledixit Iesus Christ[9] quod singulis annis magnum foliorum numerum gestaret, nunquam tamen vllum fructum. Dic quæso mihi, per quem stat quod eum non sequaris? Quid est quod ei non inseruias? Significanter dicit sanctus Anselmus: Si tibi à Deo ignosci velis, roga eum: Si velis

ab

ab eo cognosci, quære eum: si ab eo tibi aliquid dari exoptes, inseruias ei. Sol enim operatur in terra, Deus in hominis anima secundum dispositionem, quam in illa inuenit. Dum Iesus Christus nos ad gloriam simul, & iustitiam suam petendam inuitat, monet vt orationes bonis operibus coniungamus: licet enim verus Dei famulus in rigore non teneatur omnino perfectus esse, tenetur tamen conari fieri. S. Augustinus hanc sententiam exponens, nempe *primum quærite regnum Dei & iustitiam eius*, inquit, Ille Deum regnum cœlorum simul & iustitiam rogat, qui nemini vnquam iniustus fuit, quique in suam conscientiam nihil vnquam commisit. licet enim ea quæ nobis erogat Deus, non mereamur, non vult tamen nos illa eadem demereri. Rectè sanctus Hieronymus, Christianus qui in pauperes charitate, in laboribus patientia, in tentationibus resistentia, in disputationibus humilitate non vtitur, Deum ille gloriam rogat, sed ei assidere in iustitia non vult, se æquè gratis saluandum sibi persuadens, atque gratis crea-

tum. Eadem verba exponens ſanctus Ambroſius, ait: Si dixiſſet ſimpliciter IESVS Chriſtus, *quærite regnum Dei*, & non ſubiunxiſſet *iuſtititiam eius*, imaginari potuiſſemus preces ſufficientes eſſe ad ſalutem ſine vllis bonis operibus: ſed cum vtrumque coniunctim dixerit, patet non ſufficere verbis cœleſtem gloriam rogare, ni vna eademq; via bona quædam offeramus opera.

Porrò Dei miniſter, qui conſcientiam ſuam ſine peccati ſcrupulo, vitamque ſuam ſine notabili macula conſeruat, qui in Republica nulli incommodus viuit, qui in omnibus & per omnia ſanctæ matris Eccleſię mandata obſeruat, ille non ſolum Deum gloriam rogat, ſed & iuſtitiam: quippe Dei famulus, qui ſui Domini adimplet præceptum, per iuſtitiam ab eo exigere, quod ei pollicitus eſt poteſt. *Anima cum obtulerit oblationem ſacrificij Domino, ſimila erit eius oblatio: fundetque ſuper eam oleum, & ponet thus*, inquiebat Dominus, (*Leuitic. 2.*) quaſi diceret:

Dum

Dum quis mihi panis vel similæ sacrificium offert, in eo thus apponat, & oleo dulcius reddat. Secundũ Cyrilli glossam per thus intelligitur sancta oratio, per oleum verò opus bonum: sit vt orationis nostræ sacrificiũ tunc demum sit Deo acceptum, cùm illud bonorum operũ oleo miscemus. O quam multi sunt, qui Deo solum thus sine oleo in templo offerunt? hoc est, qui se saluandos sine bona vita putant? Posset quidem hoc Deus, sed necdum eum hoc fecisse legimus: licet enim pura gratia nobis suam gloriam conferat, non vult tamen nos extra gratiam suam esse. Ideoque eum in gratia esse dicere non possumus, qui se nunquam ad opus bonum agendum offert; sed qui summam ipsius duntaxat exaggerat misericordiam, aut quia quotidie fundit aliquam ad placitum orationem, credit certoque confidit se rectà cœlum petiturum, adinstar latronis cum IESV Christo cruci affixi. Et verò latroni Deus offensas non ita temerè ignouit, quin prius in eo quædam magna opera præuidisset: comitatus est enim cum

cæteris fugientibus, defendit cæteris accusantibus, confessus est alijs negantibus, cum eo mortuus, cæteris persequentibus: sic vt paucas fuderit preces, & multa bona exercuerit opera. Decimo actuum Apostolorum capite Angelus Dei Cornelio dixit: *Exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei.* Innuens orationes ipsius simul, & eleemosynas audiuisse Dominum Deum; ideoque ei sua peccata ignouisse, eumque electorum numero asscripsisse. Non sine mysterio in Cornelio neque elemosynam solam, neque solam orationem laudat Angelus, sed eum & pium, & in pauperes liberalem prædicat: sic vt secundum Leuitici legem probus ille Cornelius, Deo thus cum oleo offerret, simulque oleum cum thure.

De Oratione Iesu Christi præceptum, & Apostoli consilium, atque vtriusque explicatio.

CAPVT XL.

Oportet semper orare, & non deficere, dicebat cap. 18. apud sanctũ Lucam IESVS Christus, quasi clarius diceret: Sedulo videte discipuli mei, ne in orationibus quas incipitis deficiatis, neve in expostulationibus vestris, quas Deo offertis timidi sitis: ita enim bonus est Deus, vt sicuti à suis sibi inseruiri vult, ita ab ijsdem importunè, ac instanter etiam rogari cupit. Hoc sanctum profectò IESV Christi verbum magni facere debemus, eique ingentes agere gratias ob summã nobis perpetuò eum orandi, & quasi cum eo importunè agendi, & assiduè rogandi citra vllam ipsius offensionem datam licentiam. Nunquam talis potestas, tale nunquam priuilegium hoc in mundo vlli mortalium concessum est: omnino siquidem in mundo contrarium accidit: post multa obsequia multosq; labores, nulla

mer-

merces prestatur: oratur sine exauditione clamatur sine responsione, toleratur extrema fere egestas, & nullus est qui credat. Dic quæso mihi, cur nobis non præcepit Christus, vt semper eleemosinam erogaremus, semper ieiunaremus, peregrinaremur, disciplinas sumeremus? Cur præcepit vt sine intermissione oraremus? Nunquid ieiunium, eleemosyna, disciplinæ non æquè bonæ sunt virtutes, & à Dei famulis amandæ, atque oratio? Quod autem vnum imperet, & non aliud, hæc est ratio: nam si perpetuo ieiunaremus, debilitatem nobis accerfiremus; si assidue eleemosynas erogaremus, paupertatem; si semper peregrinaremus, fatigationem; si nunquam non abstineremus, ægritudinem: sed vt ab oratione & contemplatione abstineamus, nullam apud Deum possumus excusationem adferre. Vt ores & contẽpleris, non est tibi opus domo, non toga, non calceis, nõ pecunijs, sed sublimibus tãtum & puris cogitationibus, quas omni loco & tẽpore habere poteris, si te huius mundi à tumultibus semouere velis.

Indi-

Indicio magno eſt nos multis abundare inimicis, omnique tempore ab ijs & vitijs tentari & torqueri, quandoquidem perpetuo orare, ſuæque tutelæ nos commendare velit Chriſtus. Dic quæſo mihi frater, quomodo in impoſturas huiuſque mundi deceptiones, in dæmonis malitias, in carnis miſerias, in amicorum importunitates, & inimicorum cauillationes præualere poſſemus, nî nobis orationes & lachrymæ ſubſidio eſſent? Et quia quouis die immò quauis hora cogitatione, delectatione, omiſſione, conſenſu, viſu, auditu, verbo, opere peccemus, nunquid iuſtum eſt, immò iuſtiſſimum quouis die, & quouis hora orare & plorare? Infirmi cùm ſimus, parum poſſimus, parum valeamus: vnde & hoc parum valeamus & poſſimus, nî ad orationem & pietatem recurramus? Non conqueruntur membra tua de multis peccatis quæ committunt; quod vel vnica hora orationibus vacent conqueruntur. Dolendum eſt, videre homines tẽtationibus oppreſſos, quorũ remediũ pręcipuũ eſt conqueri, non autẽ orare:

ſæpius

sæpius enim Dominum magis irritant querelæ, quam placent. *Ad Dominum cum tribularer clamaui & exaudiuit me.* (*Psal.* 19.) aiebat sanctus ille Propheta Dauid, quasi diceret: In bellis quæ in Philistæos suscepi, in inimicorum persecutionibus, quia neque conquestus neque de vllo me vltus sum, nō me solū exaudiuit Dominus, sed & auxilio fuit & consolationi. Regi Ezechiæ tristem nūcium apportans Propheta Isaias, vt disponeret domui suæ, eo quod breui esset moriturus, nihil nisi plorauit & toto animo preces fudit bonus ille Rex: quæ oratio promptissimè adeò à Deo exaudita est, vt necdum domo egressus Propheta, ei vitā prolōgarit. Super hæc Iesu Christi verba nempe *oportet semper orare* scribens S. Hieronimus inquit: Deus nullis nisi fortibus & robustis peregrinationes præcepit, nullis ieiunia nisi bene habentibus: nullis eleemosinas nisi diuitibus: sed omnibus nemine excepto præcepit orare & contemplari. ideoque nullus ab oratione desinere debet, eo quod non possit, sed potius quod nolit, Nullus sine oculis videre

 potest,

potest nullus sine pedib. incedere, nullus sine lingua loqui: sed nullus est qui orationibus & contéplationibus vacare non possit: illegitima & calua quæ prætenditur excusatio est. Nunquid quæso cęcus, claudus, orare & contemplari æquè potest, atque videns & integer? Ionas Propheta in profundo maris baleneque visceribus vbi non loqui vixque spirare poterat vitiorum suorum veniam rogans, nunquid exauditus est? (*Ion.* 2.) Honestus & probus ille Tobias, hirũdinis ex stercore oculis priuatus, nunquid à Deo exauditus est? nunquid & suarum lachrimarum Deus misertus est? (*Tob.* 2. & 11) Magnus ille Moyses balbus & ad loquendum tardus erat, ideone ab orationibus abstinebat, ideone non exaudiebatur? Quamuis mancus & claudus foret ille sanctus Patriarcha Iacob, ideone preces suas Deo non offerebat? nunquid eius orationes Deo acceptę fuerunt? Miser ille homo propę Hiericho, ideone non est exauditus quod cæcus esset? (*Marc.* 10.) Latro qui cum Christo crucifixus erat, nonne auditus est, nonne veniam consequutus est, licet clauis confixus foret? (*Luc.* 23.)

Nun-

Nunquid & Lia sancta illa matrona exaudita à Deo fuit licet ægra & lippa foret? (*Gen.* 29.) Vir ille prope Capharnaũ æger, nunquid sanatus & purgatus est, quanquam scabiosus & leprosus foret? *Matt.* 8. *Mar.* 1. *Lu.* 5. Vides frater Dominũ Deũ ęquè claudos, cæcos, vlcerosos & leprosos, atq; omnibus suis membris bene sanos sanare. Dominũ Deũ pluris nostra desideria quã mẽbra facere. Merito certè nos perpetuo orare, & nunq̃ ab oratiõe desistere vult Dei filius, quãdoquidem .n. ratio sit bonorũ cõsolatio & medium quo suæ vitę medẽtur mali.

Apostolus Paulus Thessalonicensibus scribens *cap.* 5. inquit; *Orate sine intermissione*, quasi diceret: Licet quidem vobis inter ieiunium & ieiunium, inter cõfessionem & confessionem, & inter cõmunionẽ & communionẽ interuallum ponere, sed assidue orationi & cõtẽplationi debetis vacare: facilius etenim fine cibo cõsisteret corpus, quã Dei gratia in anima sine oratione. Hoc verbũ durũ & asperum his qui bonis moribus non sũt imbuti videbitur, sed leue est & dulce bone rectæque cõscientię viris: bona .n. opera magis terrẽt faciẽda q̃ facta. Ne

credas frater orationis perfectionem in pulchra corporis compositione, in Ecclesiæ frequentatione, in genuum flexione, in eleuatione & manuum iunctione, in deuotionibus, & in orationibus pro defunctis consistere. Rectè quidem facit, qui animum suum in ista orandi methodo excolit, non tamen quotidie, sed festis solum diebus hoc agere tenetur. Ille sine intermissione orat qui zenodochia frequentat, qui ægris inseruit, qui proximo est auxilio, qui dies festos colit, & qui nulla transgreditur mandata: vt verè enim loquar, ille sine intermissione orat, qui nunquam benè agere cessat. Dei famulus sine intermissione orat, qui nunquam est otiosus: ille enim pie orat, qui honestè operatur & sanctè. Ille semper orat qui neque pigritia, neq; alio quouis modo vllum omittit opus bonum. Quod euidenter apparet in illo, qui tam multa confert, vt ei nihil supersit, & qui ad fatigationem vsque operatur. Tali in casu credendum est Dominum Deum, bonum opus quod agis & quod acturus es in bonam sumere partem. Ad hęc

Apoſtoli verba dicit S. Anſ. quod ille ſine intermiſſione oret qui quouis die notabile quoddã Deo præſtat obſequium, ille quouis die Domino notabile pręſtat obſequium, qui proximi ſui ſine Euãgelij tranſgreſſione vtilitati ſtudet. ille verò ab oratione non deſiſtit, qui ſemper ſancta appetit, & pariter ille qui nunquam à Dei ſui amore eſt alienus: pluris enim noſtrũ in ſe ſtudium facit Deus, quam noſtra obſequia ipſi pręſtitã. Crede mihi certoque confide, ille ſemper orat, qui ſemper amat: ille nunquam ab amore abſtinet, qui ab oratione non abſtinet. nam parum admodũ proſunt orationes & ſupplicationes ei, qui Deum toto corde non amat. Non ita ſiquidem noſtræ orationis verba reſpicit Dominus, ſicuti amoris viſcera quibus illa offerimus. Ille Deum ſine intermiſſionę orat, qui Deo inſeruire, eique gratias tum ob redemptionem, tum ob quotidianam manu omnipotentiæ ſuæ procedentem ſuſtentationẽ agere non ceſſat. Domino enim magis deuincimur ob correctionẽ & refrænationem qua in nos vtitur, quàm ob

peccatorum nostrorum veniam. Ille sine intermissione orat, qui æquè Deo gratias agit in aduersitate, quā in prosperitate; in sanitate, quam in infirmitate; in tristitia, quam in hilaritate: in paupertate, quam in diuitijs: ille proinde semper orat, qui se diuinæ subdit volūtati. Hactenus S. Anselmus.

Quod Dei famulus probus & pius esse non possit ni prius à malitia sua recedat.

CAPVT XLI.

QVis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus necessarios ad perficiendum illam? Redemptoris nostri apud S. Lucam verba sunt, docentis volentem altam ædificare turrim, vel superbum quoddam propugnaculum, prius bonorū suorū valorē, crumenæque latitudinē metiri, vt sciat nū ab incepto ei desistendum non sit. Causa finisque horū verborū à Christo prolatorū hæc fuit, vt in omniū actionū nostrarū initio, primò illarū finem respiceremus. incōsideratè enim quidpiam agendo oleum perditur & opera, fidesque & honos periculo exponitur. Pugnam-

nãtis finis est victoria, nauigãtis portus. finis negotium quod aggredientis hic debet esse, scilicet virtutis alicuius consecutio: quæcunque enim in malum finem directa sunt, licet bonũ habuerint initium, tandem malum sortiuntur exitum. Hic serio notandum, quod Christus non solum dicat cogitasse & computasse eum qui turrim ædificare volebat, sed sedisse, vt diu secum perpenderet, possetne opus suum in felicem finẽ deducere. Insinuans magna opus esse cautela & examine in ijs quæ conscientiam & honorem tangunt, antequam ijs manus apponatur: in negotijs enim, periculum non in eo quod quis ea ordiri audeat consistit, sed in hoc quod eadem peragere non possit. Porro Christus hominem secum computantem quid possit antequam sua desideria inchoet laudans, à contrario eum qui aliqd incipit non prẹuisa sua potẽtia redarguit. Hinc multi sui capitis homines nonnulla aggrediẽtur nullo prius sumpto consilio; vnde vt post extricentur bono egẽt cõsilio & remedio. Hic pariter tẽporalis & spiritualis ædificij notanda est differentia: Vt enim mihi ipsi domum

conſtruam, primo pecunia eſt congreganda: è contra, vt in anima mea ædificem, illa eadem eſt effundenda. vſque adeò mundana congregatione creſcũt, ſpiritualia autẽ non niſi diſperſione. *Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi*, dicebat regius ille Propheta de homine probo agẽs, quaſi diceret: Ideò iuſtitia eius firma in ſæculũ ſæculi permanebit, quod bona ſua pauperibus & mendicis diſperſerit & erogarit. Quid aliquid mundo elargitur, illud perdit: ſed qui egenis, dat ad vſuram, adeo .n. ſublimis meriti eſt eleemoſina, vt danti vtilior ſit quam accipienti. Non ſine myſterio, nõ ex rebus humilibus, & terrã legentibus, vt pariete, cubiculo vel tugurio cõparationẽ ſuã deſũpſit Chriſtus, ſed ex turri & ꝓpugnaculo ꝙ altũ eſt. Docẽs ſcientiã & prudentiã nobis ab ipſo collatã, nõ debere nos huius mũdi humilibus impendere reb⁹, ſed ſublimib⁹ in cœlũ deducẽtib⁹.

Si S. Auguſtino fidem adhibeamus, turris alta de qua loquitur Chriſtus nihil aliud eſt quam orationis ſublimitas & contẽplationis magnitudo: cuius

vir-

virtutis potentia, esse humanum deserimus, & supra Angelorum sędes conscendimus. Vuas collecturus plantauit vineã paterfamilias, torcular quo venale conficeret vinum construxit, turrimque ædificauit in qua fructus asseruaret. (*Mat. 21.*) Rem acu tetigit S. Ioan. Chrysost. dum vineã Ecclesiam inquã credimus esse dixit, torcular que conscientiam nostram, & turrim orationẽ in qua nos exercemus, intra cuius cardines nos à dęmonis tuemur insidijs, & in cuius confidentia nostrum collocamus thesaurũ. Omnis felicitas finaleq; famuli Dei bonũ in cordis puritate & orationis perseuerantia cõsistit: oratio enim quæ turris est qua in cœlũ conscẽdimus nõ de mortuis erecta est lapidibus, sed lachrimis viuis. Nullus in hoc adeò sublimi ædificio ædificare potest, ni dulcis & benignus in suis actionibus conetur euadere, ni in laboribus patiẽs in lingua tẽperans, in vita modestus, in corpore castus, & in proximos charitate vtens: ita .n. inter se cõnexæ sunt virtutes, vt ab inuicem separari nõ possint. Et hac præeminentia & priuilegio soli

fruũtur boni: in malis id nõ extẽditur. Vt.n quis in virũ vitiosũ euadat, vnico ei opus est vitio, sed in virum probum euadere volenti omnes necessariæ sunt virtutes. *Si vis ad vitam ingredi, serua mãdata*, dicebat Christus adolescẽti (*Matt.* 19.) quasi diceret: Vt bonus euadas Christianus verusque fias discipulus, non sufficit si vũn obserues mandatũ, ni reliquam Decalogi obserues partem: adeò enim magnæ perfectionis est vita Euangelica, vt nullum patiatur peccatũ, neq; vllam maculam. Alio in loco dicitur (*Iacob* 2.) *Qui in vno offenderit, factus est omnium reus*, hoc est, qui vnum mandatorum transgreditur, sciat se omnia transgressum. vnius enim transgressio à domino puniri meretur, & ab hominib. infamia affici. Hisce Iesu Christi duabus rationibus sat superq; ꝓbaui, vel vnicũ solũ vitiũ magno nobis esse nocumẽto, parumq; vnã prodesse virtute. aduersarius enim noster diabolus vnico solo in animam nostrã aditu contẽtus est: Iesus Christus autẽ nõ nisi omnibus aditibus.

Decet quoq; & maxime necessarium est (vt hæc iustum sumat augmentum spiritualis turris) animã nostrã antiquis

ſpoliare veſtimentis, vt alijs honeſtioribus ornetur: ſecus .n. præpoſterè ædificiũ inciperetur, à tecto videlicet, nulla fundaméti habita ratione. Ille à tecto ędificiũ incipit, qui poſt multos annos in peccatis tranſactos, exiguo vult tẽpore pfectus & contẽplatiuus euadere, quod in vita ſpirituali nullo fieri modo accidereq́ poteſt. Sicuti .n. in mundo quod magni ęſtimatur, magni in pretio eſt, ſic in ſpiritualib. nullus perfectionis culmẽ pertingere poteſt, niſi conditionẽ mutet. Quẽadmodũ Chyrurgus putridã prius reſecat carnẽ, vt eius loco noua ſuccreſcat, & hortulan⁹ vrticas euellit, vt nouas plantet plãtas: ita q perfectus fieri cupit, debet ante omnia ſe mũdanis paſſionibus & affectionib⁹ ſpoliare: paſſionibus enim ſiue affectionibus homo plenus, nullo modo valet contẽplatiuus fieri.
Animus cui affectio ſiue paſſio dominatur, licet cogitet & cõtempletur, ſpiritualia tñ cogitare & meditari non põt, ſed hoc tantum, quomodo fuiſſit fruiturus deſiderijs, aut iniuriã vlturus. Et vt verè loquar, malim lõgè te cõficiendis lateribus aut calce inſudantẽ videre, q̃ ſimilibus addictũ leuitatibus. *Perdã nomẽ Ba-*

bylonis & reliquias & germen & progeniem, & ponam eam paludes aquarũ inquiebat Isa. Prophe. *ca.* 14. quasi diceret: Venient dies in quibus è terra Babylonis nomen in æternum non audiendum delebo, eius reliquias destruam; radicesque eius euellam, omnem progeniẽ eius perdam, eam locum aquarum efficiam. In scripturis sacris illud Babylonis nomen semper infame est & in malam sumitur partem: ideoque per illud omnis dissolutus intelligitur homo, prauusque ac pertinax animus, quẽ ad conuersionem inuitat Dominus, alioquin ei nihilminus cogitanti correctionem minatur. Ille Babylonis nomen retinet, qui vitam præteritam corrigere non vult, quique in omnibus suis actionibus propriæ acquiescit voluntati. Per Ieremiam Prophetam *cap.* 51. de huiusmodi viro loquens Dominus dicit: *curauimus Babylonem & non est sanata: derelinquamus eam.* O quam multis idem posset obijci? In quantos hæc posset dirigi sententia, qui sine timore & pudore æquè temerè peccare audent, atq; bibere & edere? Ille Babylonis

lonis ciuis est & accola, qui superbus & indomitus est, qui animum inuidia saucium habet, qui impatiens & iracundus est, qui insatiabiliter auarus est: quotquot enim tales sunt, fronte carent, & conscientiam tanto callo obductam habent, vt fidei inter homines perditæ eos non pudeat, neque infernum ipsis simul cum peruersis spiritibus præparatum expauescant. O bone Iesu, ô animæ meæ amor, ô quam felix forem, si à me hoc infame Babylonis nomen delectes, quandoquidem me iam tuum futurum promiserim & iurarim, tamen neque tuus neque meus sim, sed mundo velut vile mancipium inseruiam. Equidem donec à me omnem deletam superbiam, eradicatam inuidiam, & iracundiam extinctam, auaritiam eiectam, in meque luxuriam refrigescentem non videro, non credam Babylonis illud nomen indeletum. Quamdiu enim isti adeò peruerso populo conciuis sum, à te Domine separabor, & à me ipso alienus ero. Nequeo à Babilone recedere, ni prius à peccatis meis recessero: quoties enim

pecco, toties me Babylonicum reddo ciuem: & hoc habeo inde priuilegij, vt quicquid velim agam, non autẽ quod mei muneris est. Iurat & protestatur pariter Dominus se omnes reliquias, quas Babylonica in vrbe reperiet destructurum, malas videlicet consuetudines, mundanas actiones, inutilia exercitia, leuia verba & cõuersationes sæculares. Quæ omnia reliquiæ sunt, quas à Babylone detulimus, quæ maxime vitæ monasticæ repugnantes sunt & contrariæ.

Tunc Babylonis reliquias retinet religiosus, dum in suis verbis peruersus est, in risu imprudens, in visu leuis, in cibo gulosus, in vestibus curiosus. in conuersatione inquietus. Ille Babylonis reliquias gestat, qui in laboribus impatiens est, Prælatis inobediens, in fratres superbus, in labore piger, leuitatis amans, & quod omnium grauissimũ est, in tentationibus mollis & pusillanimis, in orationibus frigidus. Ille pariter Babylonis reliquias habet, qui in Monasterio nunquam est quietus, vagus deambulabat, diuinorum officiorum est inimicus; qui huius mundi

mundi vacat rebus, verba sancta & honesta non profert. neque lectioni, nec orationi studet. Ille similiter Babylonis reliquias asseruat, qui in ægros charitate non vtitur, pacem cum fratribus non colit, duabus vtitur tunicis & vestimentis; qui sibi conseruat pecunias, nihil nisi suas voluptates cogitat, quique semper in proximum obmurmurat. Quin & Babylonis reliquias referuat religiosus, qui liberè & voluptuosè viuere quærit, qui vult sibi gratiam præ alijs fieri, singulariter supportari, qui cæteris omnib. præferri, & qui pro delicto nullam vult pati correctionem. Babylonis quoque reliquias retinet religiosus, qui benè sua nõ dirigit verba, qui in suis agendi ritibus humilis non est, qui in cibo non est sobrius, in suis actionibus patiens, in dictis castus, in promissis constans: denique qui in se ex vita monastica nihil nisi habitum, & cucullam retinet. En fratres maledictæ Babylonis reliquiæ, quas deleri & ab animo nostro auelli vult Dominus Deus. Nunquid scriptũ est (*Exod.* 16.) Israelitis datum non fuisse manna,

nisi

niſi omni Aegypti conſumpta farina? Miſitne quæſo ex Iudæa Prophetæ Danieli leonibus expoſito cibum Dominus priuſquam Babylonicum conſumpſiſſet panem? (*Dan.*14. Audiuitne viduam illam in Sarepta Sidoniorũ, ei eiuſq; familiæ miſſurus Heliam, priusquam omne ſuum oleum omnemque domus ſuæ farinam conſumpſiſſet? Quinque hominum millibus in deſerto quinque panibus & duobus piſcibus ſaturatis, Dominus cibum præbuit, quando eo carebant & vnde haberent ignorabant. Eijce frater omnes Babylonis reliquias omnemque mundanæ conuerſationis farinam; ita enim delicata eſt conſolatio diuina, vt aliã ſecum non patiatur. Dic quæſo mihi cur quãuis ſæpius horas libroſque tuos legas, & Prælatis obedias, ieiunia obſerues, pacem cum fratribus ſerues, hiſce omnibus tamen in ſanctis exercitijs triſtis & anxius viuas? reſpondeo & dico frater, te nonnullas adhuc Babylonis reliquias retinere, quaſi dentis putridam radicem, ſiue quod tibi horrori ſit habitus, vel quod doleas mundum deſeruiſſe.

ruisse. Crede proinde & nullatenus dubites te semper in religione tristem victurum, donec mundana à te desideria expuleris.

In vitę solitarię libro dicitur, famulũ Dei non solum varia desideria, sed & omnes leues mundi cogitationes deserere debere, vt contemplationis culmen attingat, perfectionisque callem: impossibile enim est animum non expetere ea quæ interdum cum gaudio cogitauit. Dicit Ioannes Climachus Abbas, dum in Thebaidis eremo nouitius essem, suadebat sanctissimus Abbas Macarius mihi ad pietatem in Monasterio fouendam, vt procul à me omnes iocos, lusus, risus, omnesque quibus iuuenes addicti sunt, ijs multum temporis insumentes, expellerem: eo quod (vt inquiebat) ea quæ animam concernunt; iocos non patiantur. In libro de consideratione dicit S. Bernardus, Qui contemplatiuus euadere cupit, debet imprimis ab animo suo omnia mundana euellere: obmurmuratio enim & contẽplatio, grauitas & leuitas, inuidia & charitas, liberalitas & auaritia,

passio

passio & deuotio ita inter se contrariæ sunt, vt etsi ea quis pro tempore dissimulare possit, diu tamē ea nequeat cōseruare. In suis mediationibus dicit S. Anselmus: cum diuina contemplatio, heroica animæ sit exstasis an alienatio, necessarium est religioso supra se conscendere volenti, à se ipso alienum esse. quo plus Dei famulus ab eo quod est se separat, eo magis ad id quod non est, se extollit. Verba sunt delicata & sublimia quę à solis perfectis intelligētur: ego.n. multique mei similes, frigidi & molles, sublimia hęc loqui & tractarē possumus sed gustare ea non meremur.

De quatuor orationum differentijs quas adfert Apostolus: exponitur eius sententia, & multa notabiles adferuntur figuræ.

CAPVT XXXXII.

O*bsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes gratiarū actiones,* dicebat Apostolus Timo-

theo

theo scribẽs, quasi diceret: Te rogo Timothee frater, vt ante omnia quouis die Domino obsecrationes, orationes, supplicationes, & gratiarum actiones offeras. certus sũ enim tuã semper exaudiẽdam orationem, si hanc orando obserues regulam & ordinem. Non sine mysterio hic suadet Apostolus, vt omnia nostra orando, supplicando & contemplando incipiamus, dirigamus & finiamus. Qua ex doctrina sequitur, nihil feliciter finiri posse nisi in nomine Domini inceptum sit. Ideo sancta mater Ecclesia spiritu sancto afflata, suarum horarum initio dicit, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina*, quasi diceret: Mihi auxilio sis Domine, vt exequar quod volo, verba mea attẽde: insuper rogo & obsecro vt ad adiuuandum me festines, quandoquidem persequi festinent me inimici mei: Porrò non soli Ecclesiæ nostræ sãcti, sed & omnes antiquæ Synagogę Patres orabant, & in terram se pestilentiæ bellique tempore prosternebãt: ita vt sublimitas & orationis perfectio, tẽpore Synagogę initiũ sũpserit, & in hũc diẽ

in Ec-

Ecclesia perseuerarit. Dic quæso mihi, nunquid non nauta in periculo, dux in belli procinctu, æger à medicis desertus, latro sub patibuli furca Deum auxilium rogat, antequam vllo alio vtantur remedio? afflictus homo, & cor contribulatum, quid aliud quam lachrimetur? Quid melius quam Deum oret, eiusque se gratiæ commendet? Fertur, Abbatem Arsenium sæpius dixisse, Christianum in prosperitate constitutum Deum non orantem, nec in aduersitate se eidem commendantem, hanc vitam non posse sine labore transigere, neque mortem expectare sine periculo. Sine enim Dei nominis inuocatione, non solum loqui non possumus, sed vix respirare. Sancta illa Judith Deum antequam *Bethulia* egrederetur, Holofernique caput amputaret, orauit: prostrata enim in terram, creatorem orauit antequam gladio manum admoueret. Sanctus ille Rex Dauid nunquam vllum aggressus est bellum quin prius orasset, neque vlla vnquam potitus est victoria, quin Dei gratiæ se commendasset. Propterea autem quod magis

ora-

orationibus quam armis dimicaret, ideò Philistæi in ipsum nihil vnquam potuere, neque Saul. Fama est magnum illum Iudam Machabæum nunquam inimicorum sanguinẽ fudisse, ni magna prius orationum & lachrimarum copia fusa, & verò cum bis idipsum omisisset, semel in Regem Antiochum, alias in Alchimum decertans, in primo certamine superatus est, in alio mortem subiuit. In magnum Barbarorum numerũ præliaturus bonus ille Rex Iosaphat, pluris fecit orationes, & lachrimas, quã scutum & lanceas. Nũquid omnibus est notum, summam illam Dei bonitatem cuius sequimur vestigia, & sub cuius doctrina arma gerimus, ante Apostolorum electionem, in mõte orasse, suamque animam in cruce cum orationibus exhalasse, his verbis: *In manus tuas commendo spiritum meum*? Certo certius nobis credendum est, Apostolum ita serio orationes commendaturum nõ fuisse, nisi si illę adeò necessariæ essent: nec Iesum Christum suã Ecclesiam ab orationibus exorsurum, neque in illis hac vita defunctũ. Porrò cum Dominus noster,

ſter, ne vel vnā vnq̄ omiſerit virtutem, quā & verbis nos nō docuerit, pręcipue tamen orationem coluit, eamque nobis maxime cōmendauit. Dic precor, cur ſuo Timotheo non ſuadet Apoſtolus vt perfectionis iter eleemoſynis, ieiunijs, multis peregrinationibus, magnis corporis diſciplinis ingrediatur? Sed vt ante omnia oret? & nunquam ab orationibus abſtineat? Reſpondeo, multos in viros probos ſine ieiunio, peregrinatione, corporis caſtigatione euadere poſſe, ſed nullo modo ſine oratione mentali aut vocali: perfecta enim oratio, eſt Dei Patris vnici Domini noſtri, & eiuſdem filij dilecti generalis redemptoris confeſſio. Quod dicat Apoſtolus ante omnia orandum & ſupplicandum eſſe, innuit ſigno crucis, frontē & os ſignādo nos Deo commendandos eſſe, in decumbendo, ſurgendo, edendo, ieiunando, dormiendo, vigilando, tacendo, & operando, toties enim oramus, quoties Dei meminimus, & ſuæ nos gratiæ commendamus. Sed cur quatuor orationis genera ponit Apoſtolus, ſcilicet obſecrationes, orationes, expoſtulationes, &

gratia-

gratiarum actiones, quandoquidem de fide sit in sacra scriptura, nec litteram vnam, aut apicem vnū esse superfluum. Respondeo, licet orans vnus solus sit, & ille ad quem orationes dirigit solus, non ideò tamē vna sola est oratio: qualis enim est vniuscuiusque, in quo oramus status, tales sunt quas facimus orationes. Suo modo orat iustus, alio peccator: suo tristis, alio hilaris: suo sanus, alio æger: suo qui in prosperitate est, alio qui in aduersitate. Ideoque diuinus ille Paul. diuersas ponit orationes, quod diuersæ sint hominū conditiones. Sed de quouis verbo aliquid differamus, vnde Apostoli nobis hanc orādi formā præbentis intētio apparebit, quę vt opinor à multis laudatur, & à paucis intelligitur. Deum obsecramus, dū nostrorum veniā rogamus peccatorum: quæ venia nobis ante omnia roganda est, quamque consequi conari debemus: ni enim cum Domino in gratiam redierimus, nunquam exaudiemur. Deum propriè oramus, dum voto & iuramēto quidpiam Domino promittimus, quod votum vt iustè vouemus, ita iniustè voto & promissis non stamus.

Cum enim omnia quæ in hoc mundo possidemus nobis contulerit Deus, si quid ei erogamus, certum est illud ab ipso emanare. Dicit S. Augustinus, Quid habes quod tibi non contulerit? Quid ei contulisti quod prius ab ipso non acceperis? Da, quandoquidem tibi datum sit, offer, quandoquidem dotatus & ditatus sis, ne in eum qui tibi liberalis adeò fuit, illiberalis sis. nam in ijs quę tibi confert quod tibi reserues satis est, & satis quod ei iterum refundas. 3 Propriè postulamus, dum pro amicis & inimicis, parentibus, affinibus, magnis & paruis, viuis & defunctis Deum oramus, vt peccatoribus peccata remittat, & iustos in gratia confirmet. Hac orandi forma vtebatur Apostolus Romanis, Corinthijs, Ephesijs, & Thessalonicensibus scribens, pro quibus frequenter & magno lachrimarum imbre orabat vt eos ad fidei agnitionem & ad salutis portũ perduceret. 4 Actionum gratias agit Dei famulus, dum abunde Deo gratias agit, & ei quædam præstat obsequia ob creationem, redemptionem, & amoris & gratiæ reconciliationem, Quorum be-

neficiorum minimum ita magnum est, vt licet ea lingua extollere valeamus, nobis tamen vires desint quibus ijs dignas valeamus referre gratias. Non sine mysterio quatuor orationis & contemplationis genera assignauit Apostolus, ab obsecratione enim oritur contritio, ab oratione promissum, à postulatione charitas, à gratiarum actione cognitio, qua nos Deo vt sibi deuinctos offerimus, quamuis ijs omnibus quę ei debemus satisfacere nullo modo possimus. Hæc ergo quatuor orationum genera nō solum strictè nobis obseruanda sūt, sed ne quidem in earum stilo & ordine aberrandum, quandoquidem diuinus ille Paulus, diuina in scola edoctus hanc sanctam nobis regulam & ordinem relinquere voluerit.

De notabilibus & excellentibus quibusdam dictis sanctorum de oratione & eius gustu.

CAPVT XLIII.

NArrat Cassianus Abbas Abbatem Antonium tam diu vigilasse, vt no-

ctem sine vlla quiete in orationibus trã-
sigeret; mirificeque sole viso conque-
stum hoc modo fuisse. O sol, sol, cur
mihi adeò grauis es, quod tuum adeò
maturè mihi prębeas lumen? illo enim
tuo exiguo lumine me magno illo lu-
mine & qua fruebar dulcedine pri-
uas. Ignoras ô sol orationis lumen,
intellectum illuminans, longè tuis ra-
dijs solaribus quibus mundum illu-
minas maius esse? Patere ergo ô sol,
patere me orare meque contemplari,
& delicijs meis cum Deo meo frui:
nam multo clarius videt in vmbra con-
templans anima, quam dum tuos cer-
nunt radios oculi mei.

Idem Antonius Abbas à quodam se-
ne & sancto religioso interrogatus,
quid in oratione & contemplatione
perciperet, quod ita diu in oratione
persisteret, & ita serio in solem collu-
ctaretur, respondit. Qui me hæc rogas,
de hisqúe dubitas, mundi adhuc reli-
quias tecum geris, parumque in eremo
profecisti. Scias enim velim si nescieris,
monachum non posse se perfectum su-
amque orationem perfectam dicere, si
in se

in ſe quod orat non percipiat. Neſcis illos ſolos perfectos eſſe, extaſinq́; pati, qui has diuinas delicias hosq́; cœleſtes rores conſequi & guſtare merentur? Nunc ergo ſcito, in perfectione orare, & in contemplatione guſtare, rem adeò exceſſiuam eſſe, adeoq́; ſublime officiũ, vt ſolum animus nil proprium habens, ad illud conſcẽdere valeat. Nunquam frater contemplationem cognoui, niſi dum mei ipſius curam neglexi: meque ipſum à me ipſo expulens, ſtatim in oratione ſuauem concepi guſtum. Dum orare contemplariq́; incipio, naturali valeo iudicio, ſed dũ orationẽ ingredior in contemplationẽ erigor, adeò ſublimia ſunt myſteria, vt naturale iudiciũ ſuperet anima mea: adeò enim magnæ & ineffabiles ſunt conſolationes, vt guſtari quidem poſſint, ſed non enarrari. Diuinis ſecretis & myſterijs mundo incognitis viſis, fatetur (*Actor.9. & 1. Corinth 12.*) Apoſtolus Paulus ſe ignoraſſe, num intra an extra ſe eſſet, numque in ſpiritu ſolum, an in corpore & ſpiritu ſimul raptus eſſet. Solem ergo obiurgo, & cum eo

contendo, quod mane me inopinum præueniat, eremi enim asperitas, luminis priuatio, hominũ quies, profundum noctis silentium, me distrahi non patiuntur, sed ad contemplationem inuitant: ideò mihi diei lumen graue est, quod cõtemplationem deserere, & negotijs cogar intendere. Hactenus S. Antonius.

In vita Patrum Abbati Panucio quidam dixit Monachus: Dic mihi benedicte Pater, quid agam qui meis orationibus attentus esse non possum? Senex respõdit: diabolus fili nobis oratorium ingredientibus omnes nostri cordis cõceptiones & propositiones obiectat, vt capita nõ reperiamus, nec quæsita consequamur: ideoque te talem ante orationem habe, qualis orans haberi vis. Si oraturus cum superbia accedas, nihil nisi honorum fastum ambies: si cum ira, nihil nisi vindictam quæres: si cum gula, cibos; si cum luxuria, voluptates; si cum inuidia, aliorum necem. adeoq; si in oratione negotijs onustus sis, nihil nisi eorum expeditionem procurabis. Parui interest, si de nocte aut de die, si

erectus aut flexis genib', si domi aut foris ores, interest tantũ vt cũ humilitate ores, animoq; sis libero; vanitate enim occupato animo, graue admodum est oratorium ingredi. Dei filius summa illa bonitas se prius suis spoliauit vestimentis, quàm Iordanis aquis baptizatus est, quàm montem oraturus ascendit, & priusquam in diabolum contenderet, (*Matth.* 3.) Quibus innuebat ad perfectionis culmen pertingendum, & contemplationem gustãdum, nos inprimis nostra libertate esse spoliandos, & omni nostra malitia purgandos, S. Augustinus in concione quam ad Eremitas habuit, inquit: Vt Domino accepta sit oratio, debet à mundo, & non peruerso oriri animo, debet esse magna, vt toti prosit mundo; constans, vt in finem perseueret; feruens, vt meritoria sit; discreta, vt quid exigat non ignoret: omne enim quod iniustè petitur, denegatur. Dicit in sanctum Mattheum S. Hieronymus: Licet in oratione fatigeris, vide ne ab ea abstineas, & si statim non exaudiaris ne cõqueraris: nõ est enim exaudita Cananea, nisi post

multam lachrymarum effusioné. Non est etiam exauditus Dauid, nisi viginti & vno die elapsis. non enim nos in orationibus nostris breues esse vult Dominus noster, quandoquidem liberaliter nobis sua dona impetratur.

Super hæc Psalmistæ verba: *Iustus semper misericors est & liberalis*, dicit glossa, quod ille, quod det semper habeat, qui ab orationibus non cessat; nullum enim in mundo sublimius eleemosynę genus, quam oratio pro alicuius salute. Insuper addit, illum longè plus mereri, imò nos ei magis deuinciri, qui nostræ saluationi suis orationib⁹ inuigilat, quã ei qui suo argento nobis victum procurat. Super huius psalmi verba scilicet, *Intret oratio mea in conspectu tuo*, dicit hoc modo S. Gregorius, Ponderandum serio est, quod Dominum non roget Propheta vt sua acceptet ieiunia, sed orationes. ratio est, quod oratio terra firmior sit, aëre leuior, igne feruẽtior, sole lucidior, auro vtilior, cœlo altior. omnem enim humanũ superat intellectum, & angelorũ transcendit choros. In sua regula dicit sanctus Basilius, orationis virtutem

tutem non solum esse quidpiam corpori vtile, sed & honestum: quamuis enim apud plerosque nobiles sit terram arare, & eandem fodere quid inhonestum & pudendum, non tamen idem de oratione & contemplatione censendum est. Rogatus Isaac Abbas quæ esset differentia inter orationem, ieiunium & eleemosynam, dixit: bonum esse eleemosynam erogare, & sanctum ieiunijs vacare: sed orationi, bonum, sanctum & benedictum esse. bonum est orationi inuigilare, propterea quod nos tranquillos reddat oratio. sanctum, quod nos sanctificet. benedictum, quod nos iustificet. Dic precor, nî primo tranquilla sit anima tua, nî lachrymis sanctificetur, ni contemplatione iustificetur, quomodo resipiscere teque gloria fruiturum sperare poteris? Quod ad eleemosynam spectat, illa solos proximos tangit, nempe pauperes: ieiuniũ, corpus dũtaxat, castigat: oratio aũt cum eo qui supra nos est agit, cum summo Deo nimirum, in cuius præsentia omnes nostræ offeruntur orationes & lachrymæ. Hæc Abbas Isaac. In librum Numerorum dicit Origenes.

Nullus miretur Israelitas victoria potitos, Moysis manibus ad preces erectis: illa eadem potitum Amalech, illis demissis. Sanctus enim vir orans pluris est, quam integer exercitus dimicans. Idem Origenes eodẽ in loco amplius refert: Cur quæso miramini iusti orationem tantos superare inimicos, cum tantæ virtutis sit vt cælos penetret? Super hac re dicit S. Ambrosius. Quæ virtus orationem superat? Omni scias tempore illam robustam esse, & vbique locorum prodesse, eamque in omni statu locum reperire, dummodo practicetur. Dic quæso, quid impedit quo minus æque in hieme atque in æstate, tempore sereno atque humido, sanus atque æger, iuuenis atque senex, ambulans atque quiescens oret? Debet insuper Christianus magni hoc sublime officium pendere, quandoquidem nihil illum quo minus in eo se exerceat impediat: & si forsitan in eo nihil proficiat, suam frigidam accuset voluntatem, non autem impotentiam.

DE

De magna obedientiæ excellentia, & quod sit antiquissima virtus, sicuti au thoritatibus & sacræ scripturæ figuris probatur.

CAPVT XLIV.

EX omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas dicebat Dominus Deus patri nostro Adam, quasi diceret: Liberè ô Adam comedere, & vltro omnibus arboribus creatis omnibusque paradisi terrestris fructibus vti poteris, excepto vnius arboris fructu quem mihi reseruaui: quacunque enim hora ex eo comederis, mortem gustabis. Quod adeò Adæ delictum Deo displicuerit, ratio fuit, quod lex mandatumque datum exiguum foret apud Deum enim & homines ille multò magis puniri meretur, qui magnam non habet peccandi ansam. Si vnam arborem vel illius fructus duntaxat edendos ei obtulisset Deus, sicuti omnes omnium arborum fructus excepto vnius arboris fructu ôtulerat, profectò multo tolerabilibus fuisset

Adę peccatum, licet nulla ratione compulsus peccasset: sed quandoquidem ei tanta contulisset, & adeò pauca inhibuisset, minor fuit delicto commisso pœna. Nota hic primum Dei cum homine verbum, primumque mādatum, quod fuit ne ad arborem signatam accederet, neue fructum inhibitum comederet. & conijcere hinc poteris quanti sit pretij obedientiæ mandatum, cum sit Synagogæ antiquissimum. In mundi pro homine creati & hominis propter se ipsum mercedem, nihil ab eo aliud Deus exegit nisi vt sibi obedientiam exhiberet, & vt se velut famulus Dominum agnosceret. imperando an pręcipiendo mundum exorsus est Deus, hominiq; dominando; maius proinde in ipsum non posset cōmitti peccatum quàm se ipsi inobedientem exhibere. Dicit Sanctus Augustinus in Genesim, quod malum quod ex eo fructu emanauit, nō ideò emanasse quod pomum vermibus infectum, aut putridum, aut siluestre, aut marcidū fuerit: erat enim econtra aspectu pulcherrimum gustuque sapidissimum; sed ideò malum erat

quia inhibitum. Tenemur quidem opera & Dei mãdata obseruare, sed non eadẽ examinare nobis licet: nihil enim malum haberi debet, nisi quod condẽnat Deus, & nihil bonũ, nisi quod probat. Omnibus hoc clarum est: vt hominem creauit Deus, statim suam ei impertiuit benedictionem, & vt peccauit, maledictionem. Itaque per benedictionem ei bono beatitudinem præparauit, & per maledictionem malum inferis deuouit. Necessario vnum Deum adorare, vnique Deo seruire, vni denique Deo coniungi debemus: omne enim nostrum bonum in eius benedictione obtinenda cõsistit; malum autem in maledictione. Postquam liberum arbitriũ, quo quidquid luberet ageret, rationemque naturalem, quã inter bonum & malũ discerneret, homini contulisset Deus, eũ statim probare voluit, vt aduerteret an sua libertate, & dono rationis bonũ eligere posset. Sed quam claruit, primum nostrum parentem è limo terræ factũ, eiusq; vxorem fragili & debili natura formatam: statim. n. probatione facta, fracti victiq; succubuere:

imò reprobati & à paradiſo eiecti ſunt, nulla eo regrediendi niſi ſummo cum labore ſpe. Sicuti in itineris initio ab eo deflectere periculoſius eſt, quàm in fine; ſic in initio mundi Deo inobediens eiuſque mandatum tranſgrediens miſer homo, nunquam dein rectum Virtutis ingreſſus eſt iter, ſed ignorantiæ. Non ſine myſterio hominem, non in humilitate, caſtitate, patientia, abſtinentia probare voluit Deus; ſed in ſola obedientia. Quo docemur, nulla in virtute Dei famulum eſſe probandum, quem conſtanter obedire videmus. In Deuteronomio cap. 7. 8. 11. dixit Moyſi Deus: Omnes mandatis meis obedientes benedicam, eorumq; domos, familias, hæreditates, vineas: eruam eos inſuper inimicorum ſuorũ è manibus, neque eos à quoquam affligi patiar. Inſuper poſt datam obedientibus benedictionem, ſtatim inobedientium maledictionem ſubiungit, dicẽs: Illos illorumq; campos, filios, ſemina, greges maledictionem incurſuros, inimicorũq; manibꝰ morte opprimẽdos, felicemq; nunquam in quibuſlibet acti-

onibus

onibus reperturos exitum. In tota sacra scriptura nullibi Deus adeò horrendis iræ, auaritiæ, luxuriæ, gulæ maledixit maledictionibus, sicuti inobedientiæ. magna proinde hic debet vti discretione Dei famulus, ne hãc asperam incurrat maledictionem. In Pentateuchum dicit Origenes: Nos è paradiso non expulit superbia, non ira, non acedia, non gula, sed sola inobedientia, qua tunc morti adiudicati sumus, & in hanc horam puniti & exules. In ignorantiam primum parentum nostrum corruere fecit inobedientia: ignorantia in debilitatem, debilitas in gulam, gula in peccatum, peccatum in pœnam, pœna in malam vitæ normam. Angeli corruere quod Deo similes esse voluerint, homines verò quod obedire noluerint. Quã quęso ex tua inobediẽtia expectas mercedem, cum sola superbia Angelus in diabolum conuersus sit? Homini hominis passiones percipere fecit inobedientia, infirmitates scilicet pati, vt frigus, calorem tristitiam, laborem, famem & mortem. Fructum inhibitum hominem gustare fecit inobedientia,

ideoque paradiso eiectus est, & ad graues pœnas vt malefactor condemnatus est: &, quod sine lachrymis dici non potest, comedit pomum primus parens noster, & in hunc vsque diem filiorum dentes obstupescũt. Quocirca, vt contrarium contrario curatur, ita inobedientia obedientia curanda est. Ego existimo, Christianum obedire nolentem non posse suam operari salutem. Hæc ex Origene. (*Genes. 29.*) *Scalam vidit Iacob, cuius cacumen cœlum tangebat*, inquit Scriptura sacra, quasi diceret: Sanctus ille Iacob dormiens tantę sublimitatis scalam vidit, vt terræ fixa cœlorum altiorem pertingeret partem, qua magnam angelorũ multitudinem, qui eam miro replebant splendore, in altum conscendere vidit: & inter cætera illud illum maxime terrebat, quod eius cacumini inniteretur Dominus, ne huc & illuc volueretur scala. Mirabilis est prophetia, sed mirabiliora mysteria. nullum enim in ea verbum est, quod mysterio & doctrina plenum non sit. Quid enim aliud est scala pede terræ adfixa cœlum tangens, quam sancta &
bene-

benedicta obedientia? cuius opera (quę vt homines exercemus) supra angelos nos erigunt. Nulla inter virtutes virtus tutius eligitur, nullum consilium, nullum iter tutius peragitur obediẽtiæ itinere: nulla scala rectius nos ad vitam beatam perducit, quam obediẽtiæ meritum, quę hoc vtitur priuilegio, vt nobis quietis cum Deo de nostris agat negotijs. Dic quæso mihi, qua in re non meretur qui semper obediens est? Si nostram abnegemus voluntatem, & obedientiæ vacemus, siue soli aut in consortio, siue soli vel tristes aut iucundi, loquentes aut silentes, sani aut ægri, in prosperitate aut aduersitate, obedientia cum Deo negotiatur. Et si quis in nobis sit defectus illa eum supplet, quęcunque enim per obedientiã fiunt, semper meritoria sunt. O quam sancta est obedientiæ virtus? quam benedicta & gloriosa, quandoquidẽ & minimum in eius fide fundatũ opus sit scalę gradus, quo in gloriã cõscendimus. certè quot bona exercem⁹ opera, tot ad cõscẽdendũ conficimus gradus. O bone Iesu, ô animę meę amor, quid agã dũ vitę meę ratio-

rationem redditurus, & formidandam sententiam accepturus coram te comparebo? Me hoc vnum maxime torquet Domine, quod si mœstæ meæ mortis die scala, qua in cœlum ascendam caream, sciam id vitio meo & culpa accidisse, quod renuerim scilicet, scalam qua in gloriam tuam conscenderem conficere, & accepta tamē à te Domine licentia & potestate. In libro quem de paradisi scala conscripsit S. Bernardus, inquit: Si obediens es, nolo te tristem esse, sed lætum viuere, comedas, dormias, vigiles, loquaris, taceas, opereris, quiescas, per me licet, dūmodo omnia in obedientia opereris, nunquam mereri desines, si obedire non desinas. Nota porrò, vt nec dici scala potest, in qua vnicus tantùm gradus est; ita illa non est dicenda obedientia, quæ non nisi ad vnam rem extenditur: non enim in omnibus mereri potest Dei famulus, qui se in omnibus obedientem non exhibet. Non sine mysterio in ista scala homines conscendentes non vidit sanctus ille Iacob, sed solos Angelos. Hinc collige Dei famulum sua omnia abnegantem

gantem suæque voluntati nullimode acquiescentem, & suis superioribus in omnibus obedientem, & in mortis vsque horam sic perseuerantem, improprie hominẽ terrestrem dici: Angelus enim cœlestis dicendus est. Nunquid tuo iudicio angeli nomen imò angeli Seraphici non meretur ille, qui quauis occasione suam propriam abnegat voluntatem, sanctæque semper subijcitur obedientiæ? In quibusdam imò & in multis obedire rebus hominum est, sed omnibus in omnibus obedire, angelorum est. Tunc se angelicum dicere potest homo, dum eum sua hac gratia & benedictione muniuit Dominus. Angelus fies, si in cœlum scalâ Iacob conscendere studeas, tuis obedientiã præstãdo superioribus. Indicat & prædicta figura, fuisse magno illustratam splendore scalã, licet obscura admodum foret nox. Docemur hinc Christianum suam propriã abnegantem voluntatem sanctæque mandatis obedientiæ acquiescentem, à via cæli deflectere nõ posse, neque in inhonestam proruere actionẽ: omnes siquidem in obedientiæ scalam
con-

conscendere conantes sua gratia illustrat Dominus Deus. Quid aliud innuit, descendentes æquè illustratos fuisse atque ascendentes, nisi Dominum æque tristibus atque lætis, sanis atque ægris, æquè humilibus atque in honore constitutis suam gratiam impertiri. Conare ergo frater per hanc obedientiæ scalam incedere, ne turberis si ascendere aut descendere iubearis, hoc est si Prælatus fias aut subditus maneas, si ad honores eueharis, aut non, si iusta tibi imperentur, aut dura. vbicumque à sancta collocaberis obedientia scias te Dei gratia illuminandū. Tibi hoc solatio esse debet frater, quod omnia loca scalæ vicina obscura fuerint, solus autem scalæ Iacob locus clarus & lucidus. è quibus cognoscimus Dominum solis ascendentibus per obedientiæ scalam vel ex ea descendentibus suam communicare gratiam. In illo somnio & visione vidit Sanctus Iacob Dominum scalæ innixum, eamq; scalam non moueri: & magnum hic mysterium est, & nobis relictum exemplum. O quanta cum

fi-

fiducia viuit ille, qui sub obedientiæ iugo vitam agit! omni enim passu omnique momento Deum, qui ei in scalæ ascensu eiusdemque descensu auxilio sit, reperiat? O bone Jesu, ô animæ meæ amor, cur per tuam scalam ascendere verear & renuam, cum me à te in ascensu adiuuandum certò sciam, & in lapsu sustinendum? O bone Deus, quia scalæ inniteris, ascendam, sit licet furca vel patibulum. pro me enim longè infamiorem pertulisti in cruce moriens mortem, quam ego in furca & patibulo moriens ferre possem.

De mirabili obedientiæ exemplo quod nobis reliquit Iesus Christus: & quod nullus ei vnquam in obedientiæ virtute æqualis fuerit.

CAPVT XLV.

C*Hristus factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis* inquiebat Apostolus ad Philippenses scribens, quasi

diceret: Non viuens ſolummodò obedientiæ virtutem coluit Dei filius, ſed vſque ad mortem, mortē inquam non ordinariam, ſed infamia & pudore plenam: ideoque Pater ei *nomen quod eſt ſuper omne nomen* dedit: nempe vt purè & plenè vitiorum noſtrorum redemptor, & animarum noſtrarum remunerator diceretur. Non ſine myſterio terminū obedientiæ Chriſti aſſignat Apoſtolus, nullam autem temporis in quo obedientiam præſtare incepit mentionē facit. ratio eſt, quod nos ante natiuitatem noſtram obedire non incipiamus, Dei filius autem ante natiuitatem imo ante incarnationem obedire cœpit. Ante carnis humanæ aſſumptionem Patri obediuit: veniens in mundum & ante natiuitatem Auguſto Imperatori obediuit: natus ſtatim nutritio Ioſepho ſubditus fuit. In ætate prouecta collectoribus tributum dedi: ſub finem dierum pręcepit Pilatus vt crucifigeretur: ita ante vitam in Ieſu Chriſto initium ſumpſit obedientia. Super hæc verba dicit S. Anſelmus: Dic mihi precor quid Ieſum Chriſtum in mundum venire com-

compulit nisi obedientia? Quis eum
per mundum incedens comitatus est,
nisi obedientia? Quis eum morti adiu-
dicari voluit, nisi obedientia? Dum
ô bone Iesu Patri orans dixisti *Fiat vo-*
luntas tua non mea nunq̃d innuisti malle
te mori q̃ vel in re minima tuã cõmacu
lare obedientiã? Quid aliud nos in arbo
re crucis capite inclinato animam Patri
tuo reddens, docere voluisti, nisi te vel-
le obedientia vitã finire sicut obediẽtia
humanam assumpseras carnem? Imo
bone Iesu te nullam ob aliam causam
è cœlo descendisse asserebas, quam vt
omnia Patris mandata per obedientiam
exequereris? Audebitne ergo quispiam
tanta temeritate vti, vt suam exerceat
voluntatem? Et in alio Euangelij loco
dicis nullum tibi gratiorem cibum es-
se, nisi vt facias voluntatem Patris qui
te misit, vt cum obedientia absoluas
opus eius. Qui ergo, in ea quæ nobis
interdixit, obloqui audemus aut ob-
strepere? Perpende bone Iesu quod
meam abnegare voluntatem, tuæque
sublimis obedientiæ vestigia sequi fa-
cile adoriar; sed persistere nisi tua ful-
tus

tus gratia non potero: ideò te rogo & obsecro, vt des quod iubes, deinde iubeas quod vis. Hæc ex S. Anselmo. Secundum ergo Apostoli intentionem notandum quod non dicat filium à Patre ob humilitatem aut patientiam, aut abstinentiam eleuatum, sed ob solam obedientiam quam tanti faciebat. Vnde colligere possumus quod obedientia inter alias virtutes Deo sit gratissima, omniumque optimè satisfaciens Quadraginta diebus ieiunarat Christus, quatuor mortuos suscitarat, multos sanarat ægros, imo dęmonio obsessos: non ideò tamen ei nomen super omne nomen datum est, sed ob solam obedientiam præstitam. Ex hoc ergo sublimi mysterio colligere licet, Dominum nullam tanti facturum in alia vita virtutem, quam charitatem & obedientiam hac in vita obseruatam. Tu ergo religiose qui sub Jesu Christi iugo arma geris, obediens viue, obedientiam cole, & obediens morere: ego enim nullo modo eum perire posse credo, qui ab obedientia debita non deflectit. Hac in parte notandum Apostolum

ftolum non dicere Iesum Christum solummodo obedientem fuisse, ideoque à Patre tantis honoribus affectum, sed dicit illum obedientiam simul cum morte in cruce iunxisse. Quibus insinuat obedientiam sine charitate nullo modo meritoriam esse posse. Sola Iesu Christi obedientia omnium sanctorum obedientia maior & melior fuit: Si enim mortem acceptarint sancti, acceptarunt quod mori tenerentur: Dei filius autem mori non tenebatur, qui vita erat. Ideò admodum magni meriti fuit eius mors, quòd tanta charitate plena fuerit eius obedientia. Non potuisset IESV Christi obedientiam magis extollere Apostolus, quàm ad implendam obediẽtiam probare mortis eius consensum. Cùm nos hoc in speculo speculari, istaque mensura metiri poterimus, videbimus equidẽ nos obedientiam non obseruare, sed nostrę voluntatis inclinationem sequi. In tribus Dei filium laudat Apostolus: In obedientia videlicet: dicit .n. obedientem fuisse. in perseuerantia: dicit .n. ad mortẽ. in charitate: eo ꝙ dicat in cruce,
chari-

chari as proinde obedientia & perseuerantia virtutes sunt quibuscum mortẽ passus est Dominus: & nobis cũ iisdem hanc vitam agendum. Non sine mysterio de Iesu Christo agens Apostolus, prius dicit *quod se exinaniuit formã serui accipiens*, quam *factus est obediens vsque ad mortem*: hoc est quod se humiliarit, priusquam obedire. Quibus docemur addiscendam esse primo humilitatem, si obedientiam præstare velimus superbus enim homo nunquam bonus fiet subditus. S. Augustinus Eremitis scribens, inquit: Nullus dicat se Prælati mãdatis acquiescere nullo modo posse: sola superbia, quo minus hoc agat, illum impedit. præsumptio enim & superbia domo obedientiam extrudunt. Magni me faciens inobediens fio: alios parui pendens, superbus euado. In primo Regum libro de Rege Saule arante & regnante simul, dictum fuit per ironiam: *Num saluare nos poterit iste?* quasi dixissent, cum vt nos arator sit Saul, fodiatque suorum ciuium more terram, non ei profecto obedientiam præstabimus, neque vllum ei persoluemus tributum aut

aut vectigal: iustum enim non est nos ei contribuere nummos, qui nos ab inimicorum manibus eruere non potest. Numerorũ libro scriptum est magnum Sacerdotem Aaron & Mariam sororem eius, Moysen fratrem irridentes, & in eundem obmurmurantes dixisse: *Num per solum Moysen loquutus est Dominus? Nonne & nobis similiter est loquutus?* quasi dixisset, Putat Moyses nobis hic impare, suosq; efficere subditos, dicens Dominum sibi & non nobis loqui. equidem ei obedientiã non exhibebimus, & eius mandata non obseruabimus, Aethiopissam in vxorem duxit, & balbus est tarde admodum loquens: nullo modo ei subditi sumus: ille enim & nos eadẽ sumus oriundi familia ijsdemq; parentibus. Hisce & multis alijs similibus exemplis colligi potest, nullum posse sanctæ obedientiæ perfectionem assequi, ni prius à se maledictam expulerit superbiam: superbum enim & indomitum cor non solum suis superioribus obedire renuit, sed ne vnum quidem redargutionis vult audire verbum. Filij verè obedientis signa sunt hæc, vt

ea quæ ei dicuntur auribus benignè excipiat: ea quæ ei præcipiuntur agat: ea de quibus redarguitur corrigat: ea quæ petuntur det, ſcientiamque edoctam retineat, correctiones patienter ferat, & mandata diligenter obſeruet. S. Auguſtinus in quadam concione, quam ad Eremitas habuit, inquit: magno te exponis periculo non obediendo: ſi te ſacco veſtias, ſub dio dormias, tota ieiunes die, & tota vigiles nocte, diſciplinia affligas corpus, & nudis incedas pedibus, hæc omnia nihil tibi proſunt, ni tuis obedientiam præſtes ſuperioribus: pluris enim fit ſola obedientia, quam omnes quos in hac vita poteris ferre labores. Nõ male dixit Apoſtolus filium Dei obedientem fuiſſe vſque ad mortẽ: ſi enim patri obedire renuiſſet, nõ eum morti tradidiſſent Hebræi. Sed bonus ille Dominus, & ſummus ille redemptor pluris obedientiam fecit quam vitam: crucifigi enim maluit quam non obedire.

Bore

Bore

De conditionibus quas habere debet obediēs: & quod inprimis debeat obedire voluntate. hoc quarundam figurarum sacræ Scripturæ expositionibus probatur.

CAPVT XLVI.

AD imperium Domini erigebant tentoria & deponebant: ad imperium quoque Domini proficiscebantur & manebant, dicit Scriptura sacra Numerorum libro, capite nono, quasi diceret: Dum Israelitæ in deserto essent, non incedebant nisi ad Domini mandatum, neque ab incessu desistebāt nisi inhibitione ab eodem facta, neque pariter tentoria erigebant, nisi ad locum ab eo assignatum, neque eadem deponebant, nisi eodem præcipiente. Amplius quam sexcenta hominum millia Aegypto egressa sunt, quæ omnia in deserto postmodum fuêre. Quod autem dicat scriptura, Israelitas sine licentia non incessisse, vel ab incessu non destitisse, vel mansiones non fecisse, vel iisdem sine venia

egressos non fuisse, profectò hoc graue admodum erat, vel vni soli homini, quanto magis vni integro exercitui? Sed quia Deum pro Domino habebant Hebræi, Moysen pro Prælato, & desertum pro domicilio, & nulla cum peruersa natione negotiarentur, eos regere, ijsdemque imperare facilè erat. Vnde liquet talem esse nostrum viuendi modum, quale est nostrum conortium. Hoc tamen me mirum in modum terret, quod neque incedere, neque quiescere, neque hospitio excipi, neque eodem egredi sine venia auderent. Docemur enim eos bene viuere qui à voluntate Domini reguntur, & diriguntur. Apud Esdram legitur, (1. *Esdr.* 3.) Israelitas per ciuitates dispersos, *fuisse congregatos quasi virum vnum.* Multum interest profectò inter mundi directiones, & Dei ordinationes: vbicunque enim mundana est congregatio, illic de more magna est confusio; sed in domo Dei vnus pro mille est, & mille pro centum millibus. Porrò notandum quod omni tempore, quo verè Dominũ Deum adorauere Israelitæ,

Moysi-

Moysique obedientiam prçstitere, nunquam legem diuinam transgressi, neque in idololatriam collapsi sint: sed vbi ad hortos Aegypti oleráque suspirauêre, linguasqúe suas acuêre, & in Moysen Prælatum obmurmurauêre, statim in grauia incidêre peccata, & inimicorum manibus dati fuêre. Hoc Hebræorum triste infortunium sæpius speculari debent boni religiosi. Hinc bonum quod ijs Deo obedientibus accidit perpendentes: illinc malum quod ijs in Prælatum insurgentibus, obuenit: secundum enim antiquum prouerbiũ, ille felix quem faciunt aliena pericula cautum. Quamuis bona in Synagogam exhibita foret Iudæorum obedientia, Christianorum tamen in sanctam matrem Ecclesiam longe melior est. Moysen pro Prælato illi habebant, nos Dei filium: vt ergo in obedientiæ excellentia Moysen superauit Iesus Christus, ita & nos obedientes longè quoque Iudæos superare debemus. Dic quæso mihi, potestne Moysis doctrina IESV Christi doctrinæ & operationi comparari? Iterum dico, Moysen & Synago-

gam Jeſu Chriſto eiusq; Eccleſiæ comparari & aſſimilari non poſſe: Moyſes quippe Rector labilis fuit, imò re ipſa lapſus eſt; Ieſus Chriſtus autem noſter Dominus & Prælatus, neque peccare potuit, neque vnquam peccauit. Quoniam itaque vſqueadeo dexter Dux eſt Ieſus Chriſtus, adeò tutus conductor, ita benignus gubernator, & adeò pius Prælatus, iniuſtè ei non ſubijceris, cum nihil ad credendum difficilè, & ad agendum graue imperet. Ruſtico Monacho ſcribens ſanctus Hieronymus: *Iuſtum* eſt Ruſtice frater inquit, vt tu & ego Ieſu Chriſto omnibusq; noſtris Prælatis obedientiam præſtemus in ijs quibus nos onerant: ita bonus enim eſt redemptor noſter JESVS Chriſtus, adeoque benignus Dominus, vt æque ei nobis Prælati data præcepta accepta ſint, acſi ſua propria forent. Montis Dei fratribus ſcribens S. Bernardus dicit, Dei famuli obediētia debet eſſe prompta, non coacta; ſimplex, non malitioſa; alacris, non triſtis; parata, non tarda; animoſa, non debilis; dulcis, non ſuperba; perpetua, non interrupta & caduca.

caduca. Si hæ veræ obedientiæ septem conditiones ita facilè exercerentur atq; scribuntur, multis molestijs liberarētur Prælati, subditiq; plurimum leuarētur laboribus. Sed proh dolor, bona opera laudabilia quidem sunt, pauci tamen ea obseruant. Adeò sublimis qualitatis est obedientiæ virtus, vt si vna septem conditionum à sancto Bernardo allatarum careat, dici non possit obedientia. tolerantur quidē bona opera nonnihil pigra & remissa, sed non ea in quibus quispiam est defectus. Dicit igitur S. Bernardus obedientiam integram & perfectam debere esse promptam, hoc est debere bona & alacri fieri volūtate: nam apud Dominum Deum nostrum nullum potest esse meritorium opus, nisi bona volūtate & perfecta charitate fiat. Solent mundani sibi inuicē dicere; Velit, nolit, debet mandata exequi: & licet ille cui hoc dicitur acquiescat mādatis, pauca tamen ideò ei conferuntur, siue bono siue malo agat animo: sed non sic in domo Dei, vbi parui actiones nostræ fiūt, sed magni fit volūtas, qua illas agim' ideoq; omne nostrū bonū siue

malum in hoc consistit, vt omnia cum timore operemur. *Multitudo filiorum Israel obtulit mente promptissima atque deuota primitias Domino* inquit scriptura sacra, quasi diceret clarius: Dum tabernaculum in quo sancta erant offerenda sacrificia, vel in quo magnæ & pretiosæ asseruandæ reliquiæ erexit Moyses, omnis eò Israeliticus populus appulit, Dominoq; fructuum primitias melioresque & ditiores possessiones suas obtulit, hoc prompta voluntate & integra perfectaque deuotione agens. Non sufficit scripturæ, summatim dicere omnes obtulisse, sed quid particulariter obtulerint notat, velut aurum, argentum, coccinum, thus, lapides, ligna, ouium caprarumque pelles. Hic inprimis notandum, quod bonus nobis sit Deus, bonoque obsequium præstemus Domino: quod vt nobis quæ petimus concedat peccataque nostra condonet, æque caprarum pelles bono animo acceptet, ac si omne aurum totiusque Indiæ diuitias offerremus. O bone Iesu, ô animæ meæ amor, si mihi aurum sit, aurum cupis; si argentum, argentum; si

la-

lapides, lapides; si solæ mihi sint caprarum pelles, ijs contentus es: sicuti enim mundus nihil sibi nisi bona exoptat, mihi autem animam reseruat: sic pro te animam reseruas, & mihi bona relinquis. Dicit sacra scriptura primo omnium primitias suas obtulisse Israelitas, vt eos hac in parte imitemur, immo ijs meliores offeramus primitias. Tunc verè Dei famulum primitias suas Deo obtulisse dicere possumus, dum propria abnegata voluntate, nihil nisi quod dictat obedientia agit. Nullus mirari debet quod propriam nostram voluntatem primitias dicere ausi simus: illa enim est quam maxime diligimus & quam præ cæteris mundi rebus magni facimus. Quod clarum est: quoniam singuli nostræ voluntatis inclinationem sequi studemus, parum cœtera curantes quocunque modo accidant. Hortulanus qui in arboris trũco aliud arboris genus pretiosius & recentius inserere vult, prius omnem incommodiorem abscindit corticem: in ramo enim vel trunco putrido nihil noui potest inoculari. His te admonitum volo,

tui esse muneris propriam ab animo expellere voluntatem, si obedientiæ ves is polliceri votum: inter verum subditum siquidem & honestum Prælatũ, nulla debet in charitate esse contrarietas, nullaque in voluntate diuisio. In vitæ solitariæ libro hæc adfertur similitudo: Sicuti dens putredine infectus semper homini infestus est, donec euellatur; sic nullus alterius obedientiæ subijci potest, ni prius eradicarit propriam voluntatem, ac abnegarit: hominis enim animo gratius nihil: quin & vitam impenderet suam, vt libertatem conseruaret: qui fieri enim potest vt quis in horto bonas colligat plantas in quo nihil nisi pungentes sunt vrticæ? Quomodo in cicatrice noua succrescet caro, ni prius putrida abscindatur: nunquam ergo benè Prælato tuo obedies, ni prius tibi ipsi inobediens sis, teque ipsum abneges: religionis enim labor non in Prælati præceptis consistit, sed in hoc quod nullus quidquam ferre, & in propriam voluntatem agere velit. Cupisne quæso cognoscere religionis laborem in resistentia quã in obediẽtia cõsistere? Aduerte Prælatum posse duntaxat tibi

impe-

imperare vt chorũ adeas, oratoriũ frequentes, sabbatho verras, aduentum ie iunes, silentium obserues, tempore & loco in cubiculum secedas & pacifice viuas, quæ omnia sine sudore & pedum læsione agere vales Conquerere igitur frater de tua ambitione quà indomitus es: conquerere de mala tua passione ac cõditione quà nullũ tolerare amas: cõquerere inquam de propria tua voluntate, quam nulla in re cogere vis: illa enim te torquent & affligunt, non verò Prælati præcepta. Licet multa Deo suas primitias offerentes obtulerint Hebrei, plura tamẽ lõge cõferũt propriã volũtatem offerẽtes religiosi. ille.n.qui Deo propriam suã voluntatem offert, longe pluria offert quã qui sua bona. In mundo ne excellentiores possunt reperiri primitiæ obedientiæ voto quo Prælato omne nostrum velle resignamus & damus, vt ex eo omne nostrum non velle agat. Tunc meũ non velle agit Prelatus, hoc est, cõtra meam voluntatem agit, dum se meis opponit appetitibus, & meæ contradicit sensualitati: & si tunc ei quidlibet patienter ferens non resistam, me sanctam adimplesse

obedientiam , meaſque Deo obtuliſſe primitias verè poſſum dicere. Cordis mei primitiæ cor meum ipſum eſt, quod prælati mei manibus tradidi, die quo me religioſum futurum mandatiſque me obſequuturum iurãs pollicitus ſum. Ideoque dum eius mandatis non acquieſco, cor datum aufero & furor. Vagus Monachus & latro eſt, fidemque fallit; qui in Monaſterio ſuæ acquieſcit voluntati, non autem Prelati mandatis: quod enim ſuum non eſt, tollit, & corde iam dato rebellis eſt. Si tui eſſes iuris, tuo proprio te poſſes regere iudicio, ſed quandoquidem Ieſu Chriſti amore Prælato obedientiam promiſeris; quid quæſo eſt quod in te videas? Tibi cibũ & potum confert religio, hac conditione vt te regi imo puniri patiaris: peruerſè enim tibi tuam reſeruares voluntatem, cœteris Monaſterij rebus omnibus communibus. Pulchri cubiculi vel Breuiarij vſus, citra Prælati conſenſum tuam tibi conſcientiam remordet; non verò tua in Prælatum impudentia, qua ei quauis occaſione obedientiam debitam denegas? Dicit S. Bernardus, Malũ

eſt

est in religione proprietate an singularitate aliqua vti; sed peius longè sua voluntate. Conceduntur quidem de more in religione quædam in communi, sed ad propriam voluntatem peragendam cum nullo dispensandum: nunquam enim ita dissoluta sunt Monasteria, quam dum suos appetitus sequi permittuntur religiosi.

Quod non debeat religiosus vnquam in sanctæ obedientiæ puncto se excusare, magnis hoc sacræ scripturæ authoritatibus probatur.

CAPVT XLVII.

FAcies quodcunque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, sequerisque sententiam eorum, inquit Dominus Deus in Deuteronomio, quasi diceret: Docebis Moyses populum meum, paruisque & magnis præcipies vt Prælatis in omnibus obedientiam præstent, eorumq́ verbis fidem adhibeant. certo enim scire debent quod mihi obedientiam exhibeant, si eis exhibeāt, sin minus, quod mihi sese opponant & contradicant.

 Porrò

Porrò hoc antiqui testamenti decretũ, postmodum in noua lege confirmauit Iesus Christus dicens: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæ dixerint vobis facite:* quasi diceret, suadeo vt Pharisęorum auditis concionibus Scribarúmque doctrina accepta, quæcunque vobis dixerint agatis: sed videte ne quod agunt agatis. quamuis enim eorũ opera sint hominũ opera, tamẽ eorũ verba verba Dei sunt. Non sine quodam mysterio Moysis in Deuteronomio mandatum, in suo Euangelio cõfirmat Iesus Christus, monẽs vt Prælatos reuereamur, & eis semper nobis sanam doctrinam docentibus obedientiam præstemus, licet mala sit eorũm vita. non enim quid agant videre debemus, sed quid representent. Si hoc consiliũ nobis non suasisset Iesus Christus, vix vllus credere, vel illud vellet admittere voluisset, pati absolutè se regi scilicet à magistris & Prælatis, eisque etiã dissolutis, scribarũ & Pharisæorum more, qui populo sanam concionabantur doctrinã, magis nihilominus & peruersis existentibus hipocritis. O quanti

facit

facit obedientiã Deus, quandoquidem ita strictè nos obedire velit: parentibus scilicet nostris, nedum resistere, sed ne solo verbo quidẽ cõtradicere nobis cõcedens, licet ille in regendi viuendique norma asperi & difficiles sint. nostrum enim est eorũ recipere doctrinam; Dei solius eorum iudicare vitam. vt summi meriti est obedientiæ mandatum, ita etiam asperum & arctum est; neque enim Deuteronomium, neque in suo Euangelio Iesus Christus exprimit vt hac aut illa tantum in re obedientiam præstemus, sed solum *facite omnia quæ præcipient vobis*, hoc est in omnibus obedite, nullam in animo tristitiam fouentes, neque in actionibus vllam indignationem. Non sine mysterio lex sedentibus tantum & in loco sancto præsidentibus obediri præcipiebat, & Iesus Christus ijs tantum qui in Moysis cathedra sedebant fidem adhiberi. illis enim innuit nos doctrinæ illorum fidem adhibere, vitamque eorum qui male de Catholica fide sentiunt imitari, quique verã doctrinam Christianã nõ docent, non debere. Nihil quod examinet

habet

habet verus ſubditus, niſi nũ eius Prælatus in loco ſancto præſideat, numque templi ſancti cathedrę aſſideat, hoc eſt, num fidelis ſit Chriſtianus, & num veram Ieſu Chriſti doctrinam doceat. Si hæc agat, ei obedire tenetur, ſine vitę ipſius examine. Differentia boni & mali ſubditi hæc eſt, quod bonus doctrinã conſeruet, ſine doctoris vitæ præuio examine, malus verò doctoris doctrinam ridet, doctorem condemnans & reprobans. In deſerto Cades, Dathan & Abiron, Moyſis doctrinam ſanctam & benedictam eſſe ſcientes inurere ei infamiæ maculam attentarunt, dicentes eum Aethiopiſſam in vxorem duxiſſe, ideoq; indignum qui in Synagoga prę-ſideret: ſed quod ſe iudices eorum quę ad eos nõ ſpectabãt feciſſent, eos viuos deuorauit terra. More Dathan & Abiron in alio mundo plectentur iſti, qui de Prælatis iudicare & inquirere audent: æquum enim maximè eſt eos eſſe pœnæ participes, qui in culpa ſocij fuêre. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*, inquit Apoſtolus ad Romanos ſcribens, quaſi diceret: Omnis ſubditus qui

se sui Prælati voluntati opponit, DEI ordinationi resistit: Si enim nec folium ab arbore sine illius consensu decidat, credendum non est quempiam ad Prælaturæ statum admissum sine eius permissione. Terribilis & formidanda hęc est sententia, scilicet quod quicunque Prælati voluntati resistit, diuinæ ordinationi resistet: eo enim instanti quo suum Prælatum malum esse dicit, Deo maledicit qui eum in illum statum admisit. Hic notandum quod non dicat Apostolus, quicunque obedientiæ resistit, Dei voluntati resistit, sed ordinationi Dei. Licet enim sanctus, siue malus sit Prælatus, tamen permissione & ordinatione diuina in Prælaturã assumptus est. Hinc infero, quicunq; de Prælati actionibus obmurmurat, de Dei sanctionibus & ordinationibus cõqueritur. Quicunque inquam, in Prelatum obmurmurat, in Deum insurgit. quod si malus sit Prælatus, ipse suæ malitiæ solus pœnam feret, nõ tu: quo enim suę vitæ infamia eiusque doctrinæ rigor ad suam damnationem plus conferent, eò magis ad tuam saluationem etiam proderunt,

derunt. Cuidam fratri perdito, quem in ministrum generalem elegerat, hæc signāda & notabilia dixit verba sanctus Franciscus: A Domino accepi Helia frater, te magnum lapsum magnamque ordini meo causaturum ruinam, nihilominus tibi obedientiam exhiberi volo, omnemque ordinem à te regi, vnde tibi manus deosculor, tuasque in manus sigillum resigno. Secundum ergo huius gloriosi sancti Apostoli Pauli dictum, nullus Prælati vitæ inquisitor esse debet, nullusque secreta Dei iudicia scrutari: Si enim probus sit Rector, eum constituit Dominus: si malus, cur eum talem sustineat causam nouit. Nullus ita mundo scandalo est Prælatus, sicuti Iudæorum tempore maledicti illi Pharisæi, nihilominus eis fidem adhiberi obedientiamque præstari publice præcepit Jesus Christus: quomodo ergo in Prælatos ad minimū Christianos insurgere audebimus? IESVS Christus voluit Pharisæis fidem adhiberi & obediri, qui tamen eius doctrinæ detrahebant, idemque Scribis præstari voluit, qui eius nomen extinguere cona-

conabantur: & tu Prælato tuo obedientiam præstare renuis, qui te in religione instruit, teque ad salutis iter rectà dirigit? In libro Collationum Patrum dicit Serapion Abbas, non licere Dei famulum de sui Prælati vita, vel de eius officio benè vel malè peracto disputare: magis enim peccat subditus eius vitam dijudicans, quam mereatur obedientiam obseruans. Sanctus Augustinus Eremitis scribens inquit: Qui Synagogæ Pharisæis obediri præcipiebat, multo magis Ecclesiæ Prælatis obedientiam præstari præcepit: ideoque ne in Prælatum linguas vestras acuatis, vel eorum vitæ inquisitores fiatis, cauendum vobis est: cùm enim eis obedientiam præstare teneamur, eos iudicare nullo modo licet.

In quadam epistola dicit sanctus Bernardus: Tunc facilè omnia Prælati mei mandata adimplebo, cùm meminiceum nihil nisi IESV Christi effigiem esse; sed dum istorum non memini, & eum hominem vt meipsum considero, tunc ei neque obedire, neque

neque honorem exhibere scio. In sua regula dicit S. Basilius: Caueant mei monachi examinare, num mandata Prelati exequuturi sint nec ne, num bona aut mala sint: magis enim in patientia qua obedimus meremur, quam in Monasterij laboribus quos patimur. Quod dicat Dominus: *Omnia quæcunque vobis dixerint facite*, miram profectò Prælatis confert licētiam, subditorum manus ligans, ne vllum scilicet mandatum ad peragendum facile aut difficile omittant. Sic vt illic obedientiam non esse asserere possimus, vbi aliqua est resistentia, (*Psal.* 17.) *In auditu auris obediuit mihi*, inquit Regius Propheta, quasi diceret: Non ignoras summe Deus Israel, quantus sim obedientiæ filius, & quomodo tuis obediam verbis: vix auribus tuum mandatum excepi, & ad litteram illud iam adimpleui. Ideo & *Populus quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.* O quam futurus est ille beatus, qui hunc versiculum verè suo Prælato dicere poterit! sed vę mihi & tibi, quibus à Prælato vocari, mandari & rogari nō sufficit: sed quos blandis

blandis decet conuinci verbis, aut vi cogi: sic vt si quidpiam agamus, illud potius iustitiæ timore quam obediẽtiæ merito agamus. Quid quæso mereris, si cum timore obedias? Ignoras Christum à seruis coactis inseruiri nolle, sed à candidis & liberis filij? In considerationum libro dicit S. Bernardus: Subditus qui cum Prælato disputat & contendit, dicens quis tu qui mihi imperas, vel cur mihi imperas? hunc religiosum non habeo, multo minus Christianum cum iusiurandum obedientiæ soluat, dissensionesque in Monasterio disseminet. Frequenter currum oneratum reperimus nullum strepitum edentem; sed id facere vacuũ & exoneratum: sic in Monasterijs Monachorum aliqui, operi manum admouent & silent: aliqui vacant, nec tamen à murmure desistũt. Scias frater, quod mundum deserere, Monasterium ingredi, habitum sumere, profiteri, bonum & sanctum sit, si simul bono obedias animo Prælato, hilarique voluntate: mortis enim tuæ die, nihil nisi tua prompta volũtas candidusq; vultus Deo gratus futurus est.

Quid

Quid agas, quidve recites, quid cogites, quid opereris admodum non curet Dominus, sed quid ames duntaxat. ad quid animum intendas tuum. pluris enim amorem nostrum, quam nostros sudores facit Iesus Christus. Dicit in sua regula sanctus Bernard. quod æquè bono animo Dei minister ieiunare atque edere, vigilare atque dormire, operari atque quiescere, tacere ac loqui debeat: si enim vnum contemnat, aliudque diligat, non eum Iesu Christi famulum dicemus, sed Antichristi discipulum. Cuidam Monacho scribens sanctus Hieronymus inquit: Scias oportet Rogeri frater, quod ita ad Prælati verba excipienda, ijsque fidem adhibenda promptis auribus, manibusque ad exequenda paratus esse debeas, vt mandatum non expectes, si beneplacitum eius nosse possis: Sicuti enim quo citius maturũ est pomum, eo maioris est pretij, ita quo promptior est obedientia, eo magis meritoria est. In vitæ solitariæ libro scriptum est: Quod dicere volumus, non sine molestia dicimus, nempe præstitisse monachum

chum in mundo mansisse, quam in Monasterium venisse, cui sine precibus imperare non audet Prælatus, nec sine admonitione redarguere: quem non audet pœna sed lætitia afficere: quem à malo nequit diuertere, sed potius quidlibet agẽdi licẽtiã debet concedere: si enim in mundo non profuisset, saltem non obfuisset, sed in Monasterio alijs nocet seque ipsum condemnat.

Quod obedientia ouis debeat habere conditiones, illustratur pluribus exemplis, & antiquorum Patrum dictis.

CAPVT XLVIII.

QVI *regis Israel intende, qui deducis velut ouẽ Ioseph*, inquiebat Rex Dauid cum Deo loquens, quasi diceret: Tu qui Israeliticum in pace regis populũ, quiq; domũ Iacob in iustitia foues, Domine qui efficis vt æquè facilè quicqd sancta dictat obediẽtia adimpleat Ioseph, atq; facile

facile quolibet ducitur ouis, quæ dico exaudi & quæ peto concede. Non sine mysterio imo magno mysterio obedientiæ virtutem simplicis ouis conditioni comparat sacra scriptura, quæ hoc habet à natura vt quocunque ducitur pergat, & nullo resistat mandato. Ouis & obedientia, obedientia, & ouis vnum & idem sunt, parique in dignitate in sacra scriptura, & semper pro vna eademque re collocantur. Ideoque qui ouis conditione carebit, & obedientiæ carebit: sicuti enim in ouis conditione quod amplius requiratur nihil est; ita in vero obediente quod redarguatur nihil est. Non in turi modum cornu ferit ouis, non instar colubri veneno coinquinat, non vt canis mordet, vt equus calce ferit, vt felis lacerat, non vrsi more enecat: & quod in ea laudabilius est, cum armis quibus offendat careat, viribus quibus obediat non caret. Vide ergo quomodo simplicem ouem sequatur obedientia: In veri siquidem obedientis domo, nulli sunt qui dedignẽtur oculi, nulli qui fugiant pedes, nullæ quæ resistant manus, nulla

quæ

quæ respondeat lingua, nullum quod non amet cor. Ducitur more ouis quolibet, sine vllo in vultu tristitiæ signo. Ex ouis carne bonus conficitur cibus, ex lacte caseus, ex corio operimenta, ex lana pannus: insuper ipsa ouis agnos generat: sic vt simplicissima ouis nullis noceat rebus, in omnibus econtra omnibus prosit. Vera obedientia, simplicis ouis adinstar, solis oculis placatur, de substantia eleemosynam erogat, suis manibus operatur, suis pedibus incedit, sua lingua solatur, & suo diligit corde: sic vt in obedientiæ domo nihil otiosi temporis quod impendatur restet, neq; quidquam quod rescindatur superfluitatis. Quid insuper de oue dicemus? Hoc dicendum restat, quod æquè alacriter ad macellum mactanda pergat, atque ad pratum esura. Vide igitur quomodo in quolibet simplicem ouem sequatur sancta obedientia: Vera enim obedientia etiamsi includẽda sit, non ideò fugit; non vlciscitur, licet iniurijs afficiatur; non sucenset licet corrigatur; non murmurat, licet cõtẽtu & derisione afficiatur: nõ sese opponit,

licet enecetur. quicquid cum oue agit lanio illud idem cum suo obediẽte potest agere Prelatus. In suo pastorali dicit S. Gregor. Ouis nomen tanti in sacra scriptura sit, quia in eo magna obedientiæ virtus repræsentatur: Sicuti .n. ouis animal est quod minus homini nocet, maximè tamen Reipublicæ prodest, ita obedientię virtus, se custodienti summum adfert cõmodum, & summum ea carenti incõmodum, Quam accipies mercedem, si humilis, eleemosynarius, sobrius, abstinens & patiens euaseris, sed tamen Deo rebellis & Prælato inobediens sis? his omnibus in virtutibus ab hominibus laudaberis, sed nullam à Deo accipies mercedem. cum enim sit inobedientia superbiæ coniuncta, nullum potest esse meritorium opus vbicunque inobediẽtia aut superbia est. Oues pauit Abel, Ioseph, Moyses quoq; oui comparatur Iesus Christus. Hinc collige Deum, sanctosq; nobis non præcipere, vt rebelles seruemus capras, sed simplices duntaxat oues. Ille verò simplex est ouicula, qui simpliciter obedientiã præstat. Gaudet tali cõparari Iesus Chri-

Christus, talem pascere, custodire, mercedemque reddere. Hæc ex S. Gregor. *Non sum missus nisi ad oues quæ perierũt domus Israel*, inquit suis discipulis Christ⁹, quasi diceret: Ne importunè quæso mecum pro hac Cananęa, vel eius filia quę dæmonio oppressa est agatis: non enim nisi ad oues quæ perierunt de domo Israel, & Iacob quæ prædestinatæ sunt, missus sum. O quam infelix ille est, qui in domo Dei non est futurus ouis, cum Dei filius affirmet, & asserat se, ideò solum in mundũ venisse, vt oues quæreret easque seruaret, immò vt eas sanaret. Quod autem se ad solas oues missum dicat, superbos excludit leones, inuidas tigres, furiosos renocerotes immundos porcos, gulosos lupos, auaros talpas, pigros gryphas: in sua claustra tutelamque admittens simplicẽ ouẽ, quæ est sancta obedientia, eamque representat. Hic ponderandum est, quod maximum quod cõmittit in Prælatum peccatum ouis, illud sit, nempe quod nonnihil à grege recedat, siue quod in quempiam agrum esura ingrediatur: sic vt non nisi in acedia & gula peccet.

In gula & acedia peccarei, per fragilitatem, & non malitiam peccare est. Dum dicit ergo Iesus Christus: *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel,* intelligitur solum eos curare qui ex fragilitate labuntur: in tremendi enim & stricti iudicij Dei die, exigua aut magna peccādi occasio summopere diminuet aut aggrauabit peccatum. Ille qui extrema necessitate coactus aliquid furatur, vt ouis peccat: & ille pariter qui fame oppressus ieiunium soluit. ille autem qui proximi bono inuidet, & qui eius nomen bonum tollit, ille qui pura malitia Rempublic. perturbat, ille inquam fragilitate non peccat, sed pura malitia. quæ peccatū est, à quo se serius corrigit homo, & ꝙ serius adhuc remittit Dominus Deus. O bone Iesu, ô animę meę amor, me in te errasse fateor: sed scias quæso quod in modum errantis ouis peccarim. ideoq; quandoquidē errantes solum quæras oues, quęre me ouem tuam, imò ouem totius mundi maxime errantem. Quoniam verò vt ouis quæ perijt errarim, quære me bone Iesu, quære me famulū tuum, quādoqidem

David

Dauid adulterum, ſanctum Petrum te negantem, latronem qui te offenderat quæiſiers. Quæ omnia peccata in ipſis diuiſim diſperſa in me ſolo cõiunctim reperiuntur. Videat ergo vnuſquiſque num ouis an hœdus ſit, hoc eſt, num obediens an rebellis ſit: ſi enim rebellis ſit, ad ſiniſtra collocabitur, ſi obediens ad dextrã cum ouibus. in Dei enim domo loca, non vt præſumimus cõferuntur, ſed vt meremur. Quanti igitur obedientiam faciat Deus, quæ per ſimplicem ouem deſignatur licebit videre, ſi arctam plurimorum ſanctorum intueamur obediẽtiam, & quod ipſi eam pluris quam cæteras alias virtutes lõgè fecerint. Nec ſine magna ratione profectò: ita enim heroica eſt obedientiæ virtus, vt ſine ea nullus in hac vita ſanctificari poſſit, immò nullus in alia vita ſaluari. Narrat Caſſianus Ioannem Abbatem cuidam ſeni triginta annis inſeruiiſſe, ſine vllius conſilij aut mandati tranſgreſſione, qui tãdem ſenex vt experiretur num hæc ſimulata aut vera ſanctaque foret obedientia, præcepit ei vt ſiccam arborem irrigaret, & aquam

à dimidio ferè miliari quæſitam humeris ſuis adferret. Hoc ſanctus ille Monachus vnius anni ſpatio, nulla excuſatione aut cauſæ inquiſitione exercuit. Jn vita Patrum dicebat Abbas Paſtor: Dum in Eremo Thebaidis nouitius eſſem, nunquam mihi recti quidpiam imperatũ eſt, ſed omnia obliqua; nunquã quod ratio perſuaderet, ſed quod opinio: nunquam quæ mihi placerent, ſed quæ me contriſtarent: nunquam (quod peius eſt) poſſibilia, ſed impoſſibilia: vſitati enim tunc in Monaſterio moris erat, nullos admittere Monachos niſi qui in rebus arduis & aſperis reperti erant obedientes. Jn Thebaidis Monaſterio, vt eſt apud eundem Caſſianũ, vnicum erat olei poculum, quo omnes veſcebantur, quoque de nocte pro lumine vtebantur: ſancto Monacho Ioanni præcepit Simeon Abbas vt illud effunderet, & deorſũ prçcipitaret, mandatum hoc vix iniunctũ erat, quin quàm mox adimpletum, nulla à probo Monacho quæſtione facta, num aliquid in domo olei ſupereſſet, nullaq; allegatione quod illa effuſio contra cõſcientiam
ſuam

suã fieret. De quodã Monacho qui Mucius dicebatur, refert idẽ Cassian. cuius patientiam & obediẽtiam, sui filij quem in mundo habuerat visitatione probare voluit Abbas: dixit enim ei subridens, quod multorum tumultuũ causa esset eius filius, quibus vt liberaretur Monasterium, pręcepit vt eum in aquas proijceret. mãdatum hoc vt datum est, statim est impletũ: proiecit enim eum in aquas. Nocte præcedente dicti Monasterij Abbati reuelatum est istius monachi Mucij in Monasterio factum, sacrificium æquè Deo gratum fuisse, atque Abrahæ. Probus enim ille religiosus, ita sui filij mortem doluit, atque Abraham suo filio Isaac caput amputaturus doluerat. In Palestinæ eremo vir quidam diues nobili sanguine oriũdus religionis habitum suscepit, cuius patientiam & obedientiam, vt experiretur Abbas, præcepit ei vt decẽ corbes Thebas transferret, quas alternatim & non omnes simul venderet, vt longinqua illa in venditione cunctatio maiorem ei pareret pudorem. Quod statim sine vlla contradictione

exequutus est. Cum multos haberet discipulos Sysois Abbas, vniusque Malchi prę ceteris curam gereret, eorum vnus dixit: Dic benedicte Pater cur prę nobis ita obnixe socium nostrum Malchum diligis? Quibus auditis Sysois silens, ad omnium perrexit cubicula, & vniuscuiusque pulsatis foribus, quidam tacebant, quidam respondebant, quidam cubiculo egrediebantur, quidam non, sed vt Malchi ianuam pulsauit, hic aperta ianua egressus est, qui librum scribens litteram inceptam ad implendã obedientiã omisisse repertus est. Super hac re dicit S. Bernardus: Si te obiurgat Prælatus, sile: si te aliquid roget, eroga: si tē corrigat, patere: si tibi quid præcipiat, adimple præceptum: si te vocet, vocatus veni: tunc enim demum obedientiam adimples, dum vt illam adimpleas opus tuum deseris. Hisce notabilibus exemplis colligi potest quãta sit obedientiæ excellentia, & quod ex obedientia procedat meritũ. cum enim indies prodesse debeat corruit nisi ad voluntatem Prælati ambulet. *Confundantur omnes qui repugnant*

ei

ei, inquiebat Dominus per Prophetam Iſaiam, quaſi diceret clarius, confundẽtur quotquot contradicunt, punientur quicumque reſiſtunt. immo omnes rebelles & capitoſi magno exponuntur periculo: ſine correctione enim viuere non poteſt ſuperbus. Quod dicat Iſaias illum à Deo puniendum, & ab hominibus confundendum, qui Prælato reſiſtet, ſignificat quod ea omnia quæ ad ſuam conſolationem comparabit ſubditus, fore ad ſuam deſolationem & cõfuſionem: indomitis namque & rebellibus conſolationes & recreationes quas obedientibus concedunt ſæpius denegant Prælati. Quomodo frater, inquit S. Bernardus, tibi in mundo negotiandi, in horto ambulandi, cum hoſpitibus frontem exhilarandi, vis licentiam ab Abbate concedi, cum neque eius mandatis neque petitionibus acquieſcere velis? Si murmures quod potius alijs quam tibi ſit conſolationi Pręlatus, ſcias alios te obedientiores eſſe. Aequum eſt ſubditum illum de Prælati licentia vti aliqua recreatione, qui ei omnẽ exhibet obedientiam. Religioſus qui

quod vult, non quod debet agit, certo ſcire debet ſe ab omnibus fratribus notandum, & à Prelatis perſequendum & ſe in deſolatione victurum, confuſionemque paſſurum, ſeque tanti quàm cæteri non faciendum: imo quod grauius eſt, cæteris magis plectendum. Nihil apud mundi Principes ſeuerius quã irreuerentia in eorum iuſtitiam exhibita puniuntur. In religione ſimiliter nihil grauius inobedientiæ delicto puniri debet: nullum enim religionis ruituræ euidentius eſt ſignum, quàm dum publicè inobedientem ſe exhibere audet ſubditus. Dicit in ſua regula S. Baſilius: Licebit noſtri ordinis Abbatibus in quibuſdam fragilitatibus diſpenſare, ſecundum perſonarum qualitatem & ſecundum vniuiuſque vires, præterquam in obedientiæ vel inobedientiæ caſu, in quo nullum Abbatem de ſubdito diſpenſare volumus. In libro intentionis monachorum dicit Caſſianus, Monachorum Thebaidis obediẽtiam ſuis Abbatibus exhibitam adeò magnam fuiſſe, vt ſi quampiam rem bis religioſo imperari opus eſſet, ſtatim eũ cæterorum conſortio expelli ſolitum.

In

In collationibus Patrum dicebat Sysois Abbas, Nullus se ab implenda obedientia excuset, dicens nullum eam perfectè adimplere: si enim præceptum quod tibi datur leue sit, adimplere potes; si magnum nimis, probare. tali enim in casu, æquè bono acceptat & approbat animo Dominus, quod probus religiosus aggreditur atque quod peragit. Quocirca vno verbo hæc supradicta omnia quoad obedientiam concludentes, dicimus, obedientiæ terminum non debere limitari: sed obedientiæ tempus debere ad finem vsque vitæ perseuerare.

Quod temporalia pauci pendere debeat Dei famulus, eo quod periculosa sint & magnum non adferant commodum.

CAPVT XLIX.

OMnis *qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* dixit populo qui eum in concionibus sequebatur Iesus Christus, quasi dixisset: Mihi quidem videtur quod me proborum hominum more sequamini, quod verba mea vestris excipiatis

auribus, & mihi fidem adhibeatis: sed si boni fieri Christiani dicique mei discipuli velitis, imprimis omnib⁹ vestris diuitijs renunciare debetis, postmodũ mea subsequi vestigia. Vt hæc sublimia capiantur verba, notandum est Romanos pro insignibus aquilam, Argiuos bouem, Persas gallum, Medos colubrũ, Pænos manum gestasse, sed Iesu Christi discipulos nihil gestare æquum est, nec armis resistere, nec diuitijs fidere. Mirum est, nullũ in Flandriam lanas non signatas mittere, nullumqúe in forum oues nisi notatas ducere, neminem ad nundinas pannos nisi signatos deferre, neminem seruũ nisi compedibus vinctum acceptare. sed in tribunali & Iesu Christi benedicta lege, nulla maior nota quam nota carere, & nullum maius signum quam signo carere. In IESV Christi domo non est probandum aurum, non notandus grex, non aureus explicandus pannus, non asseruandum frumentum, non commiscendum: qui enim eius sunt discipuli, istorũ omniũ nihil possidẽt, neque possidere possunt: nam inter eos arctissima paupertas est:
sum-

summa opulentia, & qui maxima omnium necessitate oppressus viuit, omnium perfectissimus viuit. Suos discipulos sicuti Iesus Christus habet mundus: sed hæc est differentia, quod mũdi discipuli sint ditiores, comptius vestiti, potentiores, honoratiores, & qui in maximis vitam degunt delitijs; Iesu Christi discipuli verò pauperiores sunt, magis laceri, magis confusi magisq; persequutionem patientes: sic vt mundi domus, officina sit vanitatis plena: Dei autem, zenodochium. Notandũ serio est, quod non dicat Iesus Christus qui renunciabunt, sed qui renunciat omnibus, ille meus futurus est discipulus: quamuis enim multi sacro baptismate initiati sint, paucissimi tamen perfecti euadunt: (*Psal.* 24) *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas doce me*, dicebat Propheta David, quasi diceret: Doce me bone Deus, doce me rectum ad te tendens iter, & semitas quibus ad te iustos deducis: facilius enim à via deflexero, quàm rectum iter tenuero, descensus facilior inferni est, quàm ascensus paradisi, Iustinus nihil vnquam

exigi, nec magis necessaria meliorque posset fieri à Deo expostulatio, quam hęc, vt nos doceat scilicet cœlorũ iter: ita difficilis enim est ad illud accessus, vt viuorum nullus illud calleat, & defunctorum pauci intelligant. Diaboli viæ, malitię sunt carnis voluptates, mũdi vanitates, superbiæ honores, gulæ cibi, iræ vindicta, acediæ odium; Dei autem, paupertas. patet: suorum domesticorum namque nulli concedit vel vnum possidere assem. dũ nudus in prę sepio posit⁹ est Christus, habuitne quęso domum patrimonialem? (*Luc.6. Matt.17.*) Dum discipuli famentes spicas comederent, frumento plena erantne eis granaria? Dum ne staterem quidem ad persoluendum vectigal haberet Dominus, possidebatne pecunias? dum alterius sepulchro conditus fuit, indiciumne erat quæso eum possidere hæreditates? Narrat S. August. ita arctum esse per ꝙ Iesus Christus incessit iter, & ita angustum per quod ingressus est ostium, vt illud vestitus homo ingredi non possit, ideoque debere eum qui perfectè Iesum Christum subsequi vult omni-

omnibus mundanis ſpoliari rebus. (*Cantic.* 8.) *Pone me vt ſignaculum ſupra cor tuum*, dicebat in Canticis Canticorum Jeſus Chriſtus, quaſi diceret: Tu qui mihi obſequuturus & ſubſequuturus in Monaſterium veniſti, pone me ſupra cor tuum, vt illic omnia tuarum cogitationum iacula dirigas. O bone Ieſu, ô animæ meæ deliciæ, facile ex blandis tuis verbis integer in me tuus dignoſcitur amor, quandoquidem me te ſupra cor meum collocare velis, vnde te mei amore ſaucium verè exhibes, cùm ob tuum amorem nihil niſi meum deſideres. Non dicit Ieſus Chriſtus vt eum in lingua qua loqueris, neque in oculis quibus eum reſpicis, nebue in auribus, quibus eius verba excipis colloces: dicit duntaxat vt ad eum amandum & ei obſequēdum, noſtrum ei cor applicemus. ſicuti enim ille ipſe nos corde dilexit, ſanguine redemit, ita nos eum omnibus noſtris viſceribus diligere, eique operibus & ipſo facto obſequi vult. Non dicit etiam Ieſus Chriſtus: Pone me prope cor tuū, neque infra cor tuū, ſicuti enim ita perfectè

fectè te diligit Ieſus Chriſtus, acſi nullũ præter te diligeret, ita etiam à te amore integerrimo amari vult: ſic vt in amore nullum parem habeat. Ille in amore Ieſu Chriſti riualem adhibet, qui cum Ieſu Chriſto quidpiã aliud diligit, quod permittere nullo modo imò, minus ferre vult, in vno corde enim vnum aliud ſolum valet cor ingredi. Ille Ieſum Chriſtum ſupra cor ſuum collocat, qui eum ſupra omnia redamat: ille propè, qui cum eo quid aliud diligit: ille infra, qui quidpiam magis quam Ieſum Chriſtum diligit.

De huiuſmodi S. Auguſtinus dicit: Ille Jeſum Chriſtum minus diligit, qui cum eo aliud quid amat, quam qui illius nullo modo meminit. Notãdum quoque Ieſu Chriſto non ſufficere, ſi eum eminentiori cordis noſtri loco cõſtituamus, ſed & oculis ſe velle opponi, ſicuti ſcopum in quem collimamus. Quibus docet omnes cogitationes & actiones noſtras non tam ad cõmodum noſtrum, quàm ad illius obſequium debere dirigi. Ille Ieſum Chriſtum ſupra cor ſuum ponit, qui ei puro & vero

amore

amore non timore inseruit, & qui millies potius vitam cum morte commutaret, quam vel vnum patraret peccatũ, (*Ioan.2*) Secundum enim diuinam sententiam, *qui offendit in vno, factus est omnium reus*, id est, qui vel in vno mãdato fidelis non est, omnium aliorum mandatorum tanquam infidelis reus erit. Quod dicas ô bone Jesu, *pone me vt signaculum supra cor tuum*, mones vt nudi nudum sequamur: nudipedes, nudis pedibus incedentem: pauperes pauperem, crucifixi crucifixum. omne enim opus huic exemplari nõ correspondẽs, nullã meretur mercedem. Quid aliud nobis Dei filius innuebat dicens: *pone me vt signaculum supra cor tuum*, nisi debere nos (vt Euangelici fiamus homines) hac in parte ita nobis pauperiorib' inuidere, sicuti in mundo nobis ditioribus inuidebamus. Si perfectorum & imperfectorũ aues differẽtiam videre, in Iesu Christi discipulis de præeminentia in cœna contendentibus, & in Dei filio, & S. Petro de minoritate decertantibus videbis. Sed quia viuacius Iesu Christi radicata erat humilitas q̃ S. Petri

ideò

ideò & victoria potitus eſt. Tunc Ieſum Chriſtum vt ſignaculum ſupra cor tuum ponis, dum cum fratre de minoritate contendis. tunc autem diabolum, dum in omnibus omnibus præferri, & honore vis affici: ſic vt talis ſit tui cordis affectus, qualis eſt quem anhelas locum. Sed ſuperiora repeto, *Niſi quis renunciauerit omnibus quæ poßidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. hic imperfectis diuitias contemnere non imperat Chriſtus, monet tantum vt ijs cor non apponat. Et reuera temporales diuitias non ideò confert Dominus, vt amemus eas; ſed vt poſſideamus, & ijs rectè vtamur. Sed hac in claſſe religioſi perfectique homines non continentur, quorum eſt ita à diuitijs eſſe alienos, vt eas omnino contemnere debeant, ſicuti in primitiua Eccleſia Apoſtoli contemnere ſolebant, & ſicuti in lege naturæ fiebat, in qua neque tuum, neque meum in mundo erat, neque futurum erat, ni apud homines regnaſſet peccatum. Ieſus Chriſtus inquit S. Auguſtinus, in ſua Eccleſia permiſit diuitias eſſe vt ijs exerceatur charitas & ad gloriam electi per-

du-

ducantur: alioquin enim ita ſublimitatem paupertatis, & puritatem caſtitatis amat Chriſtus, vt hanc vtramque virtutem diuinorum mandatorum canoni æquè aſſcripſiſſet, atque conſiliorum euangelicorum numero. Dicit venerabilis Beda: Quid aliud dicit Ieſus Chriſtus dicens, *Vende quæ poßides, & ſequere me*, niſi ſis vt ego pauper, deſere vt deſerui mundum, ama me vt te amaui, omnes tuas poſſeſſiones ſancta mea paupertate commuta, mihi in omnibus tuis neceſsitatib. fide: omnibus.n. & volo & valeo mederi. Dicit Origen. quod homini perfecto dicat Chriſtus vt oẽs ſuas diuitias vendat & ſe ſequatur, ſignificat, Ne fugientes & perituras ſequaris diuitias, ſed me te expectantem ſequere: ego & ipſæ admodum ab inuicẽ diſcrepamus, ideò eas ſequi, niſi me perſequaris non potes. debes econtra eas perſequi vt me ſequaris. Quod dicat Ieſus Chriſtus *vende quæ habes & ſequere me* inquit S. Chryſoſtomus, eſt ac ſi diceret, ſequere me qui voluntate & nõ neceſſitate pauper ſum: me inquam, qui non vt ſeruem peto, ſed vt dem. nõ

eſt peccati pœna mea paupertas, ſed eſt iuſti merces. ille enim è familiariſſimis collegij eſt qui magis eſurit, & peioribus indutus eſt veſtibus. In Lucam ſcribens S. Hieronimus, dicit: aurum & argentum non abnegare nos vult Chriſtus, quaſi mala ſint; ſed quod iuſtis quo minus Dominum ſequantur impedimento ſint. ideoque dum ſuis in ſuo teſtamento dixit Ieſus Chriſtus, *Ego diſpono vobis regnum, ſicuti diſpoſuit mihi pater*, eos priuauit auro, & multis aſtrinxit laboribus. Dicit S. Hilarius, Quod perfectis hominibus dicat Ieſus Chriſtus vt quę poſſident vendant & ſe ſequantur, non durum & aſperum eſt conſilium, ſed benignum; non periculoſum, ſed tutum, non inimici, ſed amici, non auari, ſed liberalis. nihil enim in hoc mundo magnum dici poteſt, niſi cor magna contemnentis. In quadam Homilia dicit S. Gregorius: Quod nos omnia noſtra vendere ac ſe ſequi velit Chriſtus, ei ideò potius gratias agere quam de eo conqueri debemus, eo quod multo cum labore comparentur temporales diuitiæ, multa cum ſollicitudi-

tudi-

tudine custodiantur, magno cum periculo defendantur, multa cum molestia diuidantur, & multis cum contradictionibus conseruentur: sic vt eas deserētes paucorum iacturam faciamus denariorum, & à multis nos liberemus angustijs. *Sicut spinæ se inuicem complectuntur: consumentur sicut stipula ariditate plena* dicebat Dominus per Prophetam Naum: quasi diceret, Sicuti in dumis nullus spinis appropinquare audet, imo nec eas ab inuicem separare aut simul constringere: ita euenit apud Damascenos diuites & mercatores Tyrios, qui ita suis mercibus immersi, & ita suis negotiationibus quas simul suscipiunt dediti sunt, vt ab ijs nullo modo dimoueri possint, imo quod peius est illi ipsi seipsos intelligere non possunt. Non sine mysterio spinas diuitias, & diuites dumos spinosos vocat Propheta: Sicuti enim spinæ neque se palpari neque tractari patiuntur, sic diuites neque palpabiles neque tractabiles sunt, neque cum paruulis conueniunt & communicant, proptet mutuam connexionem diuitiarum & superbiæ, Profectò diuitum

tum domus, immè illi ipsi diuites siluæ & dumi spinosi sunt, à quorum astutijs & deceptionibus difficilius semouemur, quàm si spinarum stringamur nexibus: quoniam, quod omnium grauissimum est, ab ijs nullo exemplo, nullis nimis extricari possunt. Nullus è dumis colligitur fructus, nihil in ijs elaboratur, vix vmbram aliquam præstant: commodum quod inde emanare potest, hoc est, quod venenatorum serpentium sint receptacula, quod vestem dilacerent, carnem vulnerent. Porrò auari diuites multo dumis & spinis sunt peiores, in quorum consortio suum collocauit thronum superbia, nidificauit inuidia, hospitata est ira, domicilium posuit luxuria, mansit gula, stationem fixit auaritia. Nũquid quæso spissi admodum dumi, tristesque & pungentes spinæ sunt diuitum domus, cùm multo plura contineant vitia quàm homines? Diuitiæ earumque comites longe frequenter peiores sunt dumis & spinis: spinis namque solent parietes tegi & armari; sed diuites econtra Respublicas direptioni dant, & furan-

furantur: ſpinæ veſtem dilacerant, ſed diuites ſanguinem ſugunt. Spinis peiores ſunt temporales diuitiæ: acquiri enim ſe patiuntur; ſed non concedunt vſum. Si enim ab hæreditate procedant, parui fiunt: ſi ab acquiſitione, caro admodum conſtant: earum acquiſitionis ſine facto, moriendi adeſt tempus. Aſperæ & pungentes ſpinæ ſunt diuitiæ, cum per ſuperbiam retineantur, per concupiſcentiam comparentur, per auaritiam conſeruentur, per abuſum plurima abuſum gignant peccata, ſic vt mundanæ diuitiæ corpus vitijs, & animum moleſtia & ſollicitudine onerent. Diuitiæ, malæ ſunt ſpinæ, quæ nobis tantos per itinera generant ſudores, tāta per mare pericula, tantas in commercijs iacturas, tantos per hoſpitia ſumptus, tantas per nundinas moleſtias, vt malit quandoque homo eas oſtiatim emendicare, quam de nundinis in nundinas procedendo cōparare. Fragiles ſunt ſpinæ diuitiæ, imò ipſi diuites: quoniam etſi prudentia & induſtria comparari valeant, con-

conseruari nō valent. Si .n. hæ diuitiæ, molæ sint, eas deuastat aqua: si domus, eas consumit ignis: si vestes, eas tinea corrumpit; si grana, ea curculio comedit: si greges, immiscet: si æs, id furatur latro. adeò vt & vna hora pereat, quicquid tota vita comparatum. Graues verè sunt spinæ diuitiæ: eo enim tempore quo eas accumulāt diuites soli incedūt, & eo tempore quo ijs fruuntur, multos habēt comites. quidam enim se eorum famulos esse dicunt, quidam parentes, quidā amici, alij affines. sic vt se omnes eis in expensione deditos esse dicant, in acquisitione autem nullus labori manū admouet. Periculosæ sunt spinę diuitię, quandoquidem earum possessores, ita grati esse non possint, quin inuidia, contentione, mala exceptione & infamia, non solum à vicinis, sed & à proprijs parentibus & amicis afficiantur, non propter illatas iniurias, sed propter denegata bona. Dicit ideò Seneca in nimium diuitem debere cōmiseratione vti, quanta in pauperem egenum: nunquam enim amicis rogantibus, neque inimicis persequentibus carebit diues.

Idem

Idem alibi: Si in virum probum euadere cupias, & à nobis magni fieri, parui diuitias pendas: nullus enim magni fieri potest nisi diuitias contemnat.

Periculosum esse secundum S. Pauli doctrinã mundana quærere, imò non solum quærere, sed ea desiderare religiosis inhibitum esse.

CAPVT L.

QVI *volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli* inquit Apostolus Paulus ad Timotheum scribens, quasi diceret, Qui diuites euadere cupiunt exponunt se periculo incidendi in summam tentationem diabolique laqueum, multaque nullius pretij desideria, quæ hominem ad interium, postmodum ad damnationem perducunt. Hic apertè exiguum commodũ, summumque quod ex diuitijs emanat incommodum declarat Apostolus. ijs enim carere possumus: quod vel hinc clarum: non enim natura, cum vrget

sitis, seruos, non mantilia, non aurum vel argentum quærit; sed solum aquæ vitrum. quod superest vanitati & non necessitati subseruit. Mult⁎ vestes vanitati & non necessitati subseruiunt, vnica enim tantum induimur: sic & multi calcei, multi libri, multæ domus, vnica namque ad domicilium sufficit. Ita quę quærimus longè in maiori numero sūt quam quibus vtimur. Dicebat Seneca, Lucili, duorum extremorum in quæ labuntur homines, potius carentiam elige, quam nimiam copiam. quæ enim diuitiæ non seruiunt nobis, ijs inseruimus. & qui eas sibi ipsi non subijcit, ipsis subditus manet. Sicilia Athenas proficiscens Socrates Philosophus in mare magnum auri pondus à Dionisio tyranno acceptum proiecit dicens, Exesto maledictum & infelix aurum: submergere te malo, quam à te submergi. Hic notandum & considerandum, imo mirabile est, Apostolum non diuites contemnere, sed diuitiarum cupidos. ratio est, quod tales nos simus, qualia sunt nostra desideria & ea quæ desideramus. Sicuti recta desideria

no-

noſtrā promouēt ſalutem, ſic mala noſtrum generāt interitum. merces enim quam expectamus & punitio quam patimur, nō reuera in manuum noſtrarū operationibus conſiſtunt, ſed in cordis noſtri cogitationibus. Quod inquiat Apoſtolus culpam eſſe in concupiſcentia, dixit ad ſaluandos & excuſandos diuites, qui ſuis diuitijs multa bona operantur, & vt oſtenderet peccatū eſſe in eo qui eas ad malum cuperet, non autē in eo qui ad bonum ijs vtitur. Tales fuere Abraham & Loth & Iob, qui diuites ſanctiores fuere, quam alij pauperes. Dicit ideò S. Auguſtinus quod animus illius qui diues fieri cupit duobus vexetur deſiderijs, velle ſcilicet, & nolle. valde quidem vult quis diues fieri, at non vult labori manū admouere. *Quia vir deſideriorum es: ego oſtendam tib quæ futura ſunt*, dicebat Danieli Angelus, quaſi diceret: Quia bonis deſiderijs plenus es, & multa ſancta in te feruent propoſita, nunc te tuæ vitæ methodū, & quæ futura ſunt docebo. Non ſine myſterio non laudat Angelus Danielem quod Hebræus eſſet, quod abſtinēs

fciens, Propheta, zelo & contemplatione plenus; fed duntaxat in hoc, quod fanctorum defideriorum plenus effet. vt intelligeremus Dominum Deum longè magis fancta noftra defideria facere, quam opera noftra infirma quibus ei obfequium præftamus. Quod autem diuitias non condemnet Apoftolus, fed earum defideria, quodque Danielis bona opera non laudet Angelus, fed eius bona defideria, infigne documentum eft, verum Dei famulum debere faltem ad obfequium præparatum effe animo, etiamfi ad bona opera agenda vires non habeat. Non dicit Propheta, Domine pedes quibus Ecclefiam adeam præparatos habeo, & manus apertas quibus eleemofinam erogem, aurefque attentas quibus verba tua excipiam, dicit duntaxat, *Paratum cor meũ Deus, paratum cor meum*, hoc eft, meus vt tibi obfequium præftem paratus eft animus Domine, eo quod omnia mea opera nullius fint momenti aut ponderis. Dicit infuper Apoftolus malos homines folo diuitiarũ defiderio pire. Aequũ eft hoc inordinatum defideriũ

refrænare, ne postmodum illa in virum diuitem euadendi concupiscentia virum non probum reddat: si hæc enim inordinata desideria benè non refrænemus, neque manus neque pedes nostri vnquam quieti erunt. Dicit Scriptura, *Dauid proficiscens & semper seipso robustior*, quasi diceret: Inter fortes fortissimus erat Dauid, & ille idem Dauid semper erat seipso fortior. O sublime mysteriũ! ô profundum arcanum! Dauid seipso fortior. verũ hoc fuit, dũ seipsum superans, omnes iniurias Sauli ignouit, nõ hic carnis appetitibus & desiderijs acquiescẽs. Magnã sibi victoriã comparauit Dauid, dum magnũ illum Goliath debellauit; sed maiorẽ multo dum seipsum superauit. seipsum enim deuincens, eum qui tyrannum deuicerat deuicit. Dum magnum illum Pompeium in campo Pharsalico superauit inuincibilis ille Cæsar, & superstitibus exercitus ignouit, dixit ei nonnemo ex Ducibus: Hodie magne Cæsar tua clementia maiorem tibi gloriam comparasti, quam heri ferro & lancea. inimicum namque lanceã debellasti, teipsum

clementia vicisti. Laudabile dictum, sed lōgè laudabilius Cæsaris heroicum facinus: maiori siquidem ad refrenanda vitia, quam ad debellandum inimicum opus est animo. Dum homini perfectionem quærenti dixit Christus, (*Matth.16. Luc.9.*) *Abneget semetipsum*, nō præcepit ei vt Mauros, Iudæos & Paganos deuinceret, sed semetipsum, tanquam potentiorem inimicum. Difficilius .n. sua sibi desideria aufert homo, quam alterius bona. Quod eum qui diues fieri cupit æquè redarguat Apostolus, atque ipsum diuitem, innuit eū qui desiderijs paup. & pecunijs diues sæpius salutis ad portum pertingere, quàm qui pecunijs pauper & desiderijs diues. Ex nūmis & pecunia cōparata multū potest fieri boni; sed ex inordinatis desiderijs nihil nisi mali plurimum. Ideoque nullus secundum rationem viuere potest, nî se rationi prius subdat. Ille animum rationi subdit, qui eum quidpiam mali desiderare nō patitur: ita enim cupidus est animus, & ita difficulter ei satisfit, vt si in suis cogitatis semel delectationem hauserit, potius mortem subire, quam

suis

ſuis non frui deſiderijs paratus ſit. Dicit & Apoſtolus diuitiarum cupidum in tentationẽ ruiturum, dictũ & Chriſto: *Ne nos inducas in tentationem*: ſic vt vna tentatio ſit, quam admodum formidare, & pro qua auertenda ſemper orare tenemur. Non fallitur dicemus, qui hanc tentationem, auaritiæ tentationem dixerit: ea ſiquidem eſt, quæ nos de more tentat, & quæ nos maxime vexat. Benè dicit Chriſtus dicens: *Et ne nos inducas in tentationem*, habendi enim cõcupiſcẽtia inter Principes bella ſuſcitet, latrones montiuagoſque ſecedere facit, mercatores & nautas per maris gurgites ducit, oratores multis exponit laboribus, Iuriſconſultos in curijs cauſas agere compellit, annuorum redituum emptores innumeris exponit periculis, ſæpiuſque appetitores cauſa cadere compellit. Super hæc verba: *Et ne nos inducas in tentationem*, dicit S. Chryſoſt. Ne nos in bonorũ acquirendorum tẽtationem inducas. nimijs nãque pœnis & periculis comparantur, nimia difficultate & inuidia diuidũtur, qui.n.ea à probis exigunt, quique auferũt, imò qui ea nobis ſuffurantur, tanto

funt in numero, vt etsi bona fudore & labore comparentur, tamen cum luctu & fletu diuidantur. Statim vt quis diues euadit, omnes amici fefe etiam diuites habent, feque diuitum more tractant: & fi forfitans ijs nummos, quibus fe laute tractent deneget ille diues, certo fciat fe ab ijs multis iniuriofis verbis afficiendum. Nullus inter diuites eft, qui non & iurato afferuerit fummam furto fibi fublatam longe effe fumma quam in fuis voluptatibus expédit maiorem: fic vt luctu nunquam careat, fæpius verò pecunia. Amico fuo Lucilio dicit Seneca, Dicant mihi huius fæculi diuites, quid facilius fint computaturi, luctufne & moleftias quas ferunt, an nummos quos poffident? Si pecunię multum poffideant, vno non poterunt illam numerare die, cum econtra toto vitę tempore ob moleftias quas patiuntur habeant quod doleant. Quam maiorem vindictam cuperes diuitem pati, quam eum fuis inftitoribus circundatum, multis onuftum minis, litibus vexatum, à pauperibus inuidia, & ab alijs diuitibus inimicitia laborãtem videre,
imò

imò videre eum à mensarijs torqueri, famulorumq; suorum furta pati, apud vicinos suos male audire, & multas potentiorum persequutiones sufferre? Et tamen cogitur sustinere ordinarios rei domesticæ sumptus, eandem famulorum turmam, frequentes visitantium visitationes, negotiorũ multitudinem, licet hoc ægrè, & quandoque ad mortis vsque periculum. Huiusmodi enim est mundanarum rerum hoc tempore status, vt stultorum opinionem, quam veram rationem sequi malint homines. Hactenus Seneca. O quos labores, quas cum suis diuitijs miserias patiuntur diuites? nempe cum vectigalium receptoribus, prætereuntibus negotiatorib⁹, creditoribus. satius frequenter foret honestam quandam paupertatem pati, quã adeò turbulentas molestias Porrò alia in bonis tẽporalibus occurrit pœna: quamuis enim quis h c vno abũdet, tamen plurima eum deficiunt maxima temporis parte: quæ enim necessitati satis sunt, non sufficiunt appetitui. S. Anselmus: Si suos reditus suis, inquit, expensis adæquarent homines, ita vt

reditus non excederent expensæ, viderent profectò omnes pro eorum acquisitione susceptos labores ad suas adimplẽdas vanitates potius tendere, quã ad necessitatẽ. Aliud quoq; in diuitijs oritur periculum: quo plus enim suis negotijs intendũt diuites, eo plus spinis & dumis intricantur inuoluunturque, vt fit computando, mercatores quęrendo, merces periculo exponendo, dãdo, aut ad vsurã accipiendo: adeò vt dum se suis negotijs extricare cogitant, ijs profundius sese immergant. In Matth. dicit S. Hieronym. quod diuitis amicus aut vicinus, si eius salutem procuret, magis bona ipsius diminuat, quam augeat: huiusmodi enim conditionis sunt diuites auari, vt summum eorum bonum ijs exiguum appareat, & exiguum alterius bonum summum. In quadam Homilia dicit sanctus Gregorius: Magno cum labore bona temporalia dum ijs caremus quærimus, sed dum ea possidemus, eorum fruitione non delectamur. magno cum periculo ea comparamus, & sine appetitu ijs fruimur. Quæ cum vera sint, errat qui diuitias dicit

dicit esse bona, quandoquidem omnino malæ sint. quæ enim in mũdo nunc mala sunt, à diuitibus auaris gignuntur, & à miseris pauperibus tolerantur. Quomodo temporales diuitiæ bona dicentur, quandoquidem plures ijs fiant mali quam boni? Mala sunt profectò & quidem magna admodum mala huius mundi bona, cum tanta cum fragilitate conseruentur, & tanto cũ periculo congregentur. Quod patet: si enim diuitias possideat senex, is iam ijs frui non valet. si aũt adolescentulus ille vt eas regat prudentia caret. Dicit ad rem Seneca: Fateor inquit Lucilli, diuitem scire quid relinquat, quando, & quibus, sed non quãdiu: dum enim suis filijs & nepotibus siue vicinis quidpiam relinquere opinatur, illud paruo annorum spatio consumunt hæredes. O quam multi mortui & sepulti sunt, qui si nunc in mundum reuerterentur, dissipatione bonorum suorum per hæredes visa bonis comparatis maledicerẽt, & hæredes suos exhęredarẽt? Quomodo Lucilli diuitias bona esse dicere
 audebis?

audebis?quandoquidẽ corpus nostrum periculo exponant, subuertant iudiciũ, amicis priuent, cor immutent, inimicos comparẽt, litibus immergant? Et illud meo quidem iudicio grauissimum est, quod diuitum lites & pœnæ nõ ad melioris vitæ resipiscentiam, sed ad diuitiarum augmentationem subseruiunt. Quid aliud mundanæ sunt diuitiæ, nisi vanitatis appetitus, malorum incitamentum, bonorum cœnum? Hæc ex Seneca. Concludentes ergo dicimus nullum debere mundum sequi, quod errore plenus sit, neque ei obsequium præstare, quod ingratus, neq; ei fidẽ adhibere, ꝙ fallat, neq; amare, quod periculosus sit: delectat enim vt rapiat, rapit non redditurus. Qui mundi deceptiones non norunt, hi sunt qui ei inseruiunt, & qui in eo pereunt: qui enim eum norunt, solo eius nomine audito se crucis signo muniunt, & se ne eum videant abscondunt.

Periculoſum eſſe in religione quidpiam inſcio Prælato, ſiue quid ſuperfluum in cubiculo retinere.

CAPVT LI.

OMnia arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, inquit D. Paulus, (*Philip.* 3.) quaſi diceret: Quidquid in mundo continetur, velut vile ſtercus, vt Ieſu Chriſto inſeruirem, eiq; gratus eſſem contempſi. Magni admodum Jeſum Chriſtum faciebat Apoſtolus, cùm ſolo ipſius amore omnia deſpiceret. De more ſiquidem multa pro re aliqua vna non dantur, ni illa ſola totius mundi rebus maioris ſit pretij. O nota & memoria verè dignum verbum, adeò videlicet parui temporalia pendere, vt ea ſe deſeruiſſe non tantum dicat, ſed contempſiſſe & horruiſſe. Nec ſe ſibi quandam reſeruaſſe portionem dicit, ſed reipſa omnia contempſiſſe, multo minoris diuitias mundique theſauros faciens, quam ſtabuli ſtercus faciat agricola Super hæc verba dicit S. Anſelmus: Scuti non niſi inutilia, putrida &

fœtida in fimum proijciuntur, ideò infallibili argumento argumentari licet, nihil in mundo esse nisi putridum & fœtidum vel animæ inutile. Dic quæso mihi, quid aliud est mundus & quicquid in eo continetur quam vetus fimus? Ignoras frater omnes quos comedimus cibos, omnes quas induimus vestes, domos quas inhabitamus & diuitias quas possidemus, tandem in fimum esse conuertendas? Quid melius hac Apostoli sententia dici potest, qui quidlibet velut stercus despiciebat, cum tãdem omnia in fimum conuertantur? Si quid fimo vilius reperisset Apostolus, inde suam sumpsisset comparationem. Et quamuis fimus quid vile sit, tamen ad impinguandos agros prodest; aurum & argentum econtra Rempublicam deuastant. Hæc S. Anselmus. Nõ sine mysterio apertè dicit Apostolus, ad Christi subsequenda vestigia debuisse omnia in fimum proijci: in perfectionis enim via illos liberiores & tutiores esse dicimus, qui in illa maiorem fecere progressum. O felix accidens, ô beatum incommodum, ô benè impensa iactu-

ra, dum ad animam nostram saluandam bonorum nostrorum iacturam patimur! Non est profecto iactura, sed lucrum; non est virus, sed antidotum; non est furtum, sed inuentio; non displicentia, sed gratia. O sublime mysterium! O inauditum arcanum! Ad comparandum mundum diuitijs nobis opus est, ad cœlum autem, earum contemptu. O bone Iesu, ô animæ meæ delitiæ, quis te suum diceret, quis per te cœlũ assequeretur, si vt mundi diuitias in fimum proijci imperas, ita ad cõparandum tuum regnum, aurum Indicum postulares? Dicit Seneca: Ne de rebus quibus cares sollicitus sis, ne quicquid vides concupiscas: nullus enim in mundo Princeps est qui simul omnia habere possit: omnium tamen pauperrimus omnia contemnere potest. ideoque satius esset meo iudicio, cum pauperibus omnia contemnere, quam cum diuitibus omnia congregare. In arcta religione huiusque Apostolus erat opinionis dum diceret. (1. Tim. 6) *Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti sumus*, quasi clarius di-

diceret: Nos qui Ieſu Chriſti Monaſte-rio inhabitamus, quique ſanctum Euangelium profeſſi ſumus, ſolo cibo quo vtamur & veſtibus quibus cooperiamur contenti ſumus, imò cõtentiſſimi. O ſapientiæ thronus! ô vas electionis! Si flagellorum à Paganis accepta apparuiſſent verbera, & Iudæorum tibi inflictæ pœnæ, iure profecto & æqua cum ratione tibi inſeruire debebãt Gentiles, teque comitari Seraphin; tu verò vt Apoſtolus ſanctus & religioſus panis duntaxat buccellam ad ſedandam famem, laceramque tunicam qua te cooperires, rogaſti. Quandoquidem ergo panis vel particula lacerisque veſtibus contentus eſſet Apoſtolus, quis ille eſt Monachus, adeò hebes qui nouas in Monaſterio veſtes, delicatoſqúe roget cibos? Dei famulo hic notandum quod Apoſtolus non dicat, habẽtes veſtimenta quibus operiamur, ſed quibus tegamur, hoc eſt quod nihil vnde operiatur roget, ſed vnde tegatur: vt enim veſtiamur multis opus eſt togis, ſed vt tegamur verè detrita ſufficit tunica. Ex hac adeò rara & ſublimi doctrina colligi

poteſt,

poteſt, religioſum duplici cuculla, ſcapulari, toga, habitu non niſi ad neceſsitatem vti poſſe, ad curioſitatem verò minime: ita enim à ſuperfluitate in Monaſterio abhorrere debet religioſus, quemadmodum in mundo à paupertate. Cum ergo à Deo iam ad vitam monaſticam vocati ſimus, æquum eſt vt mundana deſpiciamus, & noſtra contenti ſimus ſorte. Nam cùm ſe veſtire non audeat Apoſtolus, ſed tegere duntaxat, debet Dei famulus à mercatura plane alienus eſſe, velut à venditione & emptione, à donatione & acceptatione, à pecuniæ vſurariæ acceptione vel conceſſione: hæc enim omnia leuitatem ſapiunt, imò proprietatem. Si emptores & venditores tẽplo expulerit Chriſtus, nunquid ęquum eſt monachum receptorem, & ad vſuram pecuniam ſumentem, quamuis à Prælato Monaſterio nõ expellatur, corrigi tamen & domari? In collationibus Patrũ dicit Caſſianus: Quandoquidẽ nobis parentes noſtros, qui nos genuerunt & fouerunt, diuitiaſque noſtras, amicoſq; ſuperſtites reliquerit Dominus Deus, videamus ſerio

ne cu-

ne curiosi aut proprietarij euadamus: ita enim delicatæ & periculosæ sunt religionis res, vt sępius mundi diuitias deserentes non ita mereamur, sicut demereremur ob desideria & appetitus, quos in religionis ordine retinemus. Guilielmo Monacho scribens S. Bernardus inquit, Quod dicat Iesus Christus, *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes & sequere me*, innuit, religiosos nihil in visceribus fouere debere, nihilq; in cubiculis clā abscondere: debet enim certo certius scire monachus, quod furetur quicquid inscio Prælato detinet. Si cupias Guuilielme frater in religione prodesse totaq; tua vita in Monasterio persistere, otium fuge & curiositatem. diabolus enim animū otiosum vanis cogitationibus onerat, monachiq; ue curiosi multis appetitibus cellam replet. Caue Guuilielme, caue ne cellam tuam paruulorum virgulis repleas, neq; puerili quadam supellectile cistas oneres. in hanc enim diem nullū nostri ordinis, curiositate vtentem vidi monachū, qui postea proprietarius non euaserit. Si Iesū Christū te imitari glorieris ô religio-

se,

se, quomodo adeò augustã audes procurare cellam, Iesu Christo ita angusta in cruce tolerante mortem? Quomodo vitro tuas audes ditare & firmare fenestras, Iesu Christi visceribus laceris & vsqueadeo multis pro te apertis plagis? Quomodo tui cubiculi tabulatũ tabulis confectum habere audes, Iesu Christo in cruce clauis affixo quiescente? Quo pudore tuo in cubiculo gulæ officina vteris, Iesu Christo in cruce solo aquæ vitio carente? Qua cõscientia cistis vestium à tinea deuoratarũ plenis vteris, Iesu Christo nudo in cruce pendente? Quomodo Prælato importunus es, vt quouis die monasterio egrediaris, cum à cruce licet rogatus descendere noluerit Iesus Christus? Crede mihi & nullatenus dubites Guilielme frater, quod (vt S. Benedicti monachus fias) nudus nudum sequi debeas, pauperq; pauperem, famelicus famelicum, crucifixus crucifixum, solus solum: si secus enim in ordine viuere præsumas, potes audacter mũdũ reuisere, eiusmodi enim in Monasterio non toleramus bestias. *Fur erat & loculos habebat*, inquit S. Ioannes de infelici Iuda agens, quasi diceret:

Iudæ erat eleemosinas Domino nostro erogatas colligere & pauperib. diuidere sed adeò nequam erat, vt publicos haberet loculos, è quibus ageret expensas, & secretos quibus furta exciperet. Non sine mysterio miser ille Iudas mũdo abnegato ad Iesu Christi imitationem nudis incedebat pedibus, & fame oppressus spicas comedens per campos incedebat. Hunc furem dicebat sacra scriptura, non quod itineribus insidiaretur & quosdam iugularet, sed quod loculos quibus furaretur haberet, & quod eadem conditione qua confratres contentus non esset. Hoc adeò horribile & formidandum exemplum tristeque infortunium suis animis visceribusque impressum habere deberent Dei famuli: siquidem monachus siue religiosus qui suos retinet appetitus, alter est cum suis loculis Iudas. Concedit mundus mundanis vt quid superfluum habeant: sed vero religioso non nisi necessaria conceduntur. Propterea dixit S. Bernardus quod quicquid superflui possideret monachus, illud velut latro furatus esset. In vitæ
so-

solitariæ libro, proprietarij & curiosi legitur differentia, nempe quod curiosus palam conseruet quæ possidet, proprietarius autem clam: sic vt reuera loquendo, vnus in vana gloria peccet, alter in auaritia. Ille profecto cum Iuda loculos habet, qui non solum quod habet cōdit, sed qui fratri mutuum quidpiam rogante dare renuit. vltra enim quod in religione omnia cōmunia esse debeant, sciendum certo certius est religiosi religionem perire eò ipso instanti quo *illud meum, & illud tuum* est audet dicere. cùm enim tuus nō sis qui Prælato professus es, qua conscientia quove pudore audes dicere, *illud tuum est*, & *illud meum*? Religiosus qui sub prætextu cōparandi sibi vestimentum aliquod, aut iuuandi cognatum, denariorum congregationi studet, vel eorum quorum in Monasterio curam gerit quidpiam furatur, cum Iuda loculos & cistas habet. licet enim sit eius intentio bona, opusq; bonum, quia tamē id sine venia exercet, non recta agit conscientia. Dei famulus, qui quicquid in mundo possidet abnegat, & post vilibus vult coin-

quinari

quinari rebus, sciat se potius hoc tentatione motum, quam recreatione agere: ita enim subtilis est diabolus, vt omnimodis compellat nos ea quæ in mundo tuta conscientia reseruare poteramus, in religione repetere & protequi, quod tamen nullo modo attentare nostrum erat.

In Patrum vita dicit Serapion Abbas, nullũ in eremo curare debere, num res qua vtitur vilis sit, aut pretiosa: in vita enim monastica in multa aut exigua nostra possessione non cõsistit malum, sed in amore aut odio quibus illud possidemus. Nihil vilius haberi aut comedi cucumeribus filiorum Israel in Aegypto poterat, dicit scriptura, tamẽ eos iustitia diuina condemnatos & punitos non aliam ob causam, quam quod illos in deserto repeterent & desiderarent. Hac ex punitione suã admodũ strictam esse religionem, valde obligatoriã esse professionẽ scire debet religiosus, quãdoquidem in mundo gallinas & capones edere poterat, hic autẽ in religione fas ei non sit pepones & melones desiderare. *Melior est dies vna in atriys tuis super*

per millia, dicebat rex ille Dauid, quasi diceret: Ita ijs qui te amant amabilis es, tuisq; famulis liberalis summe Deus israel, vt lõge in domo tua melior sit dies vna omnibus vitæ diebus voluptuose transactis. Dicit ad rem S. Bernar. *Vident cruces nostras, & nõ vnctiones nostras*, quasi diceret, qui religionem non norùnt omni carent deuotionis parte, & quod quæ sapimus non sapiant, ideò nostris laboribus compatiuntur. religiosus aũt qui quid sit Deus gustare incipit, longe plus vna die in mundo patitur, quã decem annis in Monasterio. Qui in vita monastica de tentationibus quas ferũt, & claustris quibus includuntur cõqueruntur. si religionis beneficia consequi illiusq; perfectionẽ sapere mererentur, non equidem de tentationibus quæ hic tolerantur conquererentur, sed deflerent duntaxat consolationes quarũ illic iacturam patiuntur. Ideoq; in Patrum vita dixit quidã senex, in mundo inquit multa sunt, quæ nobis incõmodum adferunt & terrent; sed hic in eremo sunt plura quæ nos terrent, quam quę nobis incommodum adferant: si.n. probitati

aſſueſcat monachus, nihil niſi Deum guſtare poterit. Optimus ille Ieſus priuſquam montem Caluariæ aſcenderet, ſudauit & vero timore agonem paſſus eſt, ſed poſtquam crucem expertus fuiſſet, licet eum à morte liberare voluiſſent inimici, non tamen ideò à cruce deſcendere voluit. Propheta Helias (*3. Reg. 19.*) maledictã illã Ieſabel fugiẽs fame oppreſſus, panis ſubcinericij parte, & aquæ torrentis hauſtu ab angelo dato, quadraginta diebus ſine fatigatione inceſſit, omnium præteritorum dolorum immemor. O quantũ intereſt à Deo cibum accipere an à creatura? Videre eſt ſiquidem Heliam ſubcinericio pane non ſolum ſatiatum, ſed & exhilaratum fuiſſe. Vnde colligere poſſumus Domini famulo pluris eſſe Dei cinerem, quam mundi farinã. Euaſit Daniel pinguior pulchriorque duros & male conditos comedens cibos ſuis ſocijs capones comedentibus. Vnde colligimus homines ſanctos & perfectos magis proficere pluriſque Dei gratiam facere debere, quam bonos aut malos quos comedunt cibos. Sicuti

frumenti granum in ſpinas cadens perit, & ſuffocatur, ita peribit & ſuffocabitur monachus qui in religione proprietate & voluptate vti voluerit: in habitu religionis ſiquidem propria vti voluntate non datur, multo minus proprietate. In ſua doctrina dicit S. Bonauentura, quod Dei famulus qui oculos mentemque ſuam ad animæ ſalutem direxit magis, quam ad voluptates, non ſolum culpabilibus & illicitis abſtineat rebus, ſed & licitis & vtilibus. In euangelica parabola ſcriptum eſt prædiorũ aut vineæ emptores ad nuptias noluiſſe venire. Quibus innuitur paucos ad religionis perfectionem peruenturos, licet à Deo multi vt fiant religioſi ſint vocati. Multa Iſraelitarum millia Aegypto eduxit Deus, ſaluaque per Moyſem in deſertum perduxit, è quorum numero duo ſoli Iordanem pertranſire terramque ſanctã ingredi, nempe Ioſue & Caleb meruerunt. Hac ex figura intelligimus fratres, non ſufficere à Deo mũdo educi, religioſique habitum ſuſcipere, cucullam in capite gerere, regulã obſeruare, vouere, ni etiã toto animo

hanc Aegyptum abnegemus, nique monasterij magna aut exigua portione cōtenti simus. Quam maiorem ingratitudinem cōmittere Israelitæ potuissēt, quam aquarū dulcium Marathæ mannæque è cœlo missi, datarum ortygum & nubis quæ eis vmbraculo erat obliuisci, meminisse econtra duntaxat Aegyptiaci oleris, cucumerumq́ꝫ & ceparum illic deuoratarum? Illum ego cœlum cepam facere, auderem dicere qui confratrum consortio in religione non interest, quique in suo cubiculo quietus nullo modo esse potest: hæc enim ei omnia accidunt quod velut peregrinus per Monasterium discurrat, eaque quæ in mundo reliquit suspiret. Religiosus qui esuriens mūdi cibos in memoriam reuocat, frigens, vestes quas in mundo vestiebat repetens, pauper, suas diuitias, solitarius suam potentiam & æstimationem, non solum confusus viuet, sed & toti Monasterio molestus erit. Hanc ob rem in sua regula dicebat S Basil. Certo scitote fratres Dominum æquè Eremitarum atque mundanorum meminisse. Addo tamē te prius debere esurire quā satu-

saturari, & denudari quam vestiri, teque solum esse debere si visitari cupias, desolatumque esse, si consolari desideres, diuina enim consolatio ita est delicata, vt nullam humanam secum patiatur consolationem.

De labore quem Dei famuli ad castitatem obtinendam ferunt: & quod à vitio contrario valde tententur.

CAPVT LII.

QVid tu vides? Ollam succensam ego video, inquit Domino Deo Hieremias Propheta, cap. 1. quasi diceret: Quid videam rogas Domine, ollam bullientem video, quæ à se fæcem auferri non permittit, cum tamen bullire non desinat. Porrò hæc olla quam semper bullientem vidit Propheta, vitiũ & carnis peccatum est, nos semper tentans nec peccare desinens: quo enim magis exercetur, eo magis appetitũ suum acuit & excitat. Verè olla bulliens est luxuriæ peccatum, tot enim habet titiones quibus accẽdatur quot occasiones.

Olla est inquam semper bulliens carnis peccatum: cætera namque vitia cogitatione & opere tantum accenduntur, illud autem infame & sordidum peccatum cogitatione, delectatione, consensu, visu, verbo & exercitio accenditur, sic vt nunquam feruere desinat, donec corporis nostri caro excocta erit. Bulliens semper olla est inquam illud carnis fœtidum peccatum: huius enim ignis lignum ex ventre matris nascitur, infantiæ nostræ tempore scinditur & secatur, in adolescentia autem & iuuentute accenditur, nec excitari & ardere vsque mortem desinit. Nunquid olla feruens tibi videtur illud maledictum peccatum? citius enim oculi terra teguntur, quam animo nostro hęc infamia desideria eradicentur. Olla verè semper bulliens est illud bestiale peccatum: non potuit enim sua scientia ab illo eiusque flammis cauere Dauid, non sua sapientia Salomon, non sua pulchritudine Absolon, non suis diuitijs Cræsus, non suis viribus Hannibal, non sua magnitudine Cæsar: sic vt istius vitij infamia, famam quã suis hero-

icis facinoribus sibi compararant perderent. Narrat Plutarchus tanto in pretio vestales virgines à Romanis ob castitatem habitas, vt eas triumphalibus vestibus erigeret & veherent bona sua eis diuidentes & se earum precibus commendantes. Quasi Deas eas adorabant, quod arbitrarenrur castitatis obseruantiam potius esse diuinum quam humanum opus. Narrat Philostratus Apollonium Thianeum Deos familiariter conuenisse, mortuos suscitasse, ægros sanasse, hominum cogitationes cognouisse, sed illud vnum maximè in eo miratur, quod cœlibem duceret vitam, & fœminarum conuersatione infamis non esset. Multo magis Scipionem illum Africanum extollit Titus Liuius, quod virginem captiuam violare noluerit, quam quòd magna illa Africæ victoria potitus esset: in Carthaginensi enim bello inquit, in inimicos dimicabat, in carnis autem conflictu in seipsum. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* inquit Apostolus ad Romanos. (*Cap. 7.*) quasi diceret, Lex animo meo quid agere

debeat membriſque meis data eſt, ſed inter hanc vtramque legem tantam video contradictionem, vt quæ amant membra, non amet cor, nec econtra. Porrò vnicam legem in monte Synai contulit Moyſes, vnicæ deuinctus erat legi Dauid, dicens: *Legem pone mihi Domine*, & vnico iugo nos onerare voluit Dominus dicens: *Iugum meum ſuaue eſt.* Quomodo ergo duas leges in domo ſua patitur Apoſtolus, vnam humanam ſcilicet, alteram diuinam adeò ſibi contrarias? Quod ad primam, non vt eam approbet adfert, ſed vt condemnet: non vt admittat, ſed vt de ea conqueratur: non vt conſeruet, ſed vt ab ea caueat: Si enim corporis lex non diſſoluatur, nunquam benè Ieſu Chriſti obſeruabitur lex. Dum magnis ſingultibus & ſuſpirijs diceret Apoſtolus: *Infelix ego, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Non eſt dubium quin tantis votis mortem non exoptaſſet, ſi hanc adeò maledictam legem ſuperare potuiſſet. Lex membrorũ noſtrorũ, quæ noſtris bonis deſiderijs repugnat, auaritia eſt quæ humilitati cõtradicit, ira quæ cum patien-

patientia contendit, gula quæ abstinentiam deuorat, inuidia quæ charitati se opponit, auaritia liberalitati, opinio rationi, & impudicitia castitati. Mirabile & horrendũ est rationem & opinioné, veritatem & mendacium, scientiam & stultitiam, vanitatem & grauitatem, luxuriam & castitaté vno eodemq́ tecto, eademq́ porta residere, impossibile tamẽ nobis esse victoria potiri, ni benigna Dei gratia adiuuemur. In quadã epistola dicit Seneca, magna opus esse cautela vt à carnis vitio recedamus, eiq́ præualeamus: ita enim amice Lucilli quotidie ad libidinem prouocamur, vt ad cibum. Benè dicit Apost. *Video aliã legem in membris meis*; in hoc enim conflictu nullus vincere potest, nisi occasiones fugiat, desideria refrænet, carnẽ castiget nutritionem diminuat, disciplinas multiplicet, quotidianis se immergat lachrymis, portasque voluptatibus & delitijs obseret. Hugo Doctor in libro de arra animæ inquit: Vtinam carnis peccatum cephalalgia esset, vt sanguinem elicere possemus: vtinam cordialgia foret, quo ei mederemur;

siue splenis malum, vt vngeremus, siue choleræ vt purgaremus. Sed proh dolor, dolor, sine charitate tentatio est, sine pietate malum: quod neque medicos neque vllam admittit voluptatem.

In considerationis libro S. Bernardus dicit, ô bone Iesu, ô animæ meæ delitiæ scio verè Reipublicę in Rempublicam, coniugatorumque graue esse bellum, sed meum in meipsum omnium grauissimū est: nullos enim meis proprijs desiderijs peiores habeo inimicos. Notabilis & notanda est hæc sancti Bernardi sententia: à suis inimicis enim recedere potest homo, sed ego ipse à meipso recedere non possum: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram*, inquit Apostolus, ca. 3. ad Colos. quasi diceret, Corporis vestri membra mortificate, vt ea spiritui subijciatis. Non sine mysterio non dicit Apostolus, abscindite manus, pedes amputate, oculos euellite, sed tantum mortificate membra vestra: hoc est, vt nos sic pœnitentiam agentes asperitatibus & rigoribus vtētes geramus, vt membra nostra puniamus, & non omnino debilitemus. Porrò tūc

sua

ſua membra mortificat Dei famulus, dum oculos ne videãt vanitatem claudit, pedes ne leuitatem quærãt detinet, dum ſua membra ne immundicia coinquinentur conſeruat, dum os ſuum ne mendacia proferat firmat, corqúe ſuum ne vilibus & infamibus cogitationibus intendat reſtringit. Notandum quoque non ſuffeciſſe Apoſtolo dixiſſe, mortificate membra, ſed addit veſtra, vt doceat vitæ emendationem à propria perſona debere oriri: ridiculũ enim foret, ſi ego ipſe claudus riderem alium recto non incedentem pede. Notandum pariter Apoſtolum abſolutè non dicere, vt omnia noſtra membra mortificemus, ſed reſtringit dicens, vt membra quæ ſunt ſuper terram mortificemus, vt moneat maximam noſtram eſſe debere curã, vt corporis parti quæ maxime à diabolo inuaditur, cuique nos ſibi ſubdere conatur vitio inuigilemus. Dic quæſo mihi à quo vitio ſępius inuaditur noſtra anima, quam à carne & laſciuia? Nunquid vides frater nullum eſſe vitium, quod nos minus quietos ſinat? caro nos nunquã requieſcere,

immò nec reſpirare patitur? In verba *miſſus eſt*, ſcribens S. Bernardus inquit, Si omnibus vitijs reſiſtendis, inuigilare nos deceat, maximè tamen nos in carnem armatos eſſe decet: nullum enim ita peruerſum eſt vitium, & peccãs peccatum, in quod homines dilabãtur magis. In Prophetam Amos dicit S. Hieronymus: Solis diuitibus & potentibus dominatur ſuperbia, ęqualibus inuidia, impatientib⁹ ira, guloſis gula, voluptuoſis acedia, ſed carnis infame peccatum omnibus bellum indicit. Conſtantię & prudentiæ defectu regibus ſua pereunt regna, potentibus ſuus ſtatus, ſua dominibus fidelitas, ſua religioſis integritas: ſic vt maledictũ illud vitium ſit cinnici ſimilis, qui viuus mordet, & mortuus fætet. In ſuis meditationibus dicit S. Auguſt. In ſacrarium licet ſecedat homo, quãuis ad Sacramentũ accedat, quamquam in Monaſteriũ ſe abdat, & vitam mutet, licet toto ieiunet anno, quamuis corpus flagellet, nullus tamen vnquam ab hoc beſtiali vitio liberari poterit: quo benignius in carnem noſtram agimus, eo nobiſcum crudelius agit. S.

Chry-

Chrysostomus dicit, multos sine corona in præsentia Holofernis, Hannibalis, Ptholomei, Pyrrhi, Iulij Cæsaris, Augusti, Marci Antonij, Seueri, Diocletiani & Iuliani vidimus Reges; sed & hos magnos victores, postmodum genibus flexis corā infamibus & impudicis fœminis vidimus. *Amauit autem Rex Salomō mulieres alienigenas, quæ auerterūt cor eius à Domino*, inquit sacra scriptura, (*3.Reg.*11.) quasi diceret: Multas peregrinas, cōditione profanas amauit Salomō Rex mulieres, quæ ipsi (à veri Dei adoratione eum auocātes) sensum abstulerunt. Dolendū profectò, quid de hoc Rege Salomone dicat Scriptura audire est, quomodo scilicet Moabitarū, Ammonitarum, Idumæorū & Sidoniorum fœminas amore prosequutus sit, & tandem in tantam infidelitatē & insaniam inciderit, vt templa dijs alienis construxerit, idolaque Astarthen, Chamos & Moloch adorarit: sic vt tot adoraret Deos quot haberet scorta.

Secundum Gothorum historiam si nos non fallat, qui Regem Athanaricum Italiam subiugantem viderunt, eundem

eundem postmodum à fœmina nomine Pincia victum viderunt: in talẽ enim incidit miseriam, vt ipsa Regis capillos pectente eius calceos exornaret Rex. Plurimi graues authores narrãt Pyrrhũ regem Epirotarum ita inordinate mulierem Capuanam amasse, vt ea propter vehementem quandã febrim purgante purgaret & ipse, & quoties ei vena aperiebatur, toties & ipsi aperiebatur, imò quod cæteris alijs rebus admirabilius est, eius sanguine suam abluebat faciẽ. Dicit Titus Liuius, quod Hannibal à Romanis nunquam fuisset deuictus, nî prius à muliere Capuana superatus fuisset. Et certè crudeles illæ pœnæ quas passus est, longè grauiores istis amatorijs actionibus fuere: accidit enim quod in sua propria terra deuictus sit, postquã septendecim annis Italia dominatus fuisset. Porrò ex his omnibus exemplis colligere possumus Dei famulo periculosum esse cum mulieribus conuersari, earumque familiaritate vti; fœmina quippe similis est gummi quod facilè tangitur, sed difficile est ab eo semoueri.

Suam materiam prosequitur auctor, suadetque lasciuiæ occasiones fugere.

Fornicatio & omnis immunditia nec nominetur in vobis, inquit Apostolus ad Ephesios, capit. 5. quasi diceret: Scitote Ephesij Euangelij puritatem quam annuncio vobis tantam esse, legemque quam vos doceo, adeò excellentem vt non solum fornicationis, siue incœstus, siue adulterij peccatum fugere debeatis, sed ne quidem illud ore proferre. Dicit ideò Iob: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de virgine*, quasi diceret, Cum oculis meis pepigi, immò animo meo decreui me virgines aut fœminas oculis non aspecturum, easque animo non desideraturum, si fortè eas alloquar. *Bonum est homini mulierem non tangere*, inquit (1. *Corinth*. 7.) Apostolus: Si periculosum est mulierem respicere, multo periculosius est eam tangere. Timotheo suo dicit, *Adolescentiores viduas deuita*, quasi diceret: Sicuti palea magno cum periculo igni exponitur, sic conuersantes

cum viduis adolescentioribus magno labendi exponuntur periculo. Ex his sacræ Scripturæ quatuor authoritatibus colligere licet, quanto se periculo exponãt Dei famuli, qui cum mulieribus versari audent: quandoquidem per primam nobis eas conuenire inhibeat Apostolus, per secundam Iob indicet ne eas respiciamus, per tertiam moneat sanctus Paulus, ne eas tangamus, per quartam idem Apostolus suadeat, ne eas frequentemus. Insuper ne colloquutione fœminarum pereat homo, dicit (*Matth. 5.*) Christus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo*, quasi diceret: Qui malitiosè fœminam conspexerit, malis cogitationibus cum gaudio & voluptate, corde inhærens, non minus culpabitur & damnabitur ac si cum ea adulterium commisisset. Mirum in modum ponderandum & considerandum est, quod in tota sacra scriptura nullum sit ita strictè inhibitum vitium, tantisque circumstantijs, sicuti fornicationis & adulterij peccatum.

Hæc eſt (meo iudicio) ratio, quod alia vitia ſolam conſcientiam cõmaculent, ſed hoc & conſcientiam commaculat, & honorem periculo exponit. In iræ peccato non inhibitum eſt in malum iraſci, in peruerſoſque correctione vti, neque in auaritiæ peccato, diuitias concupiſcere, & eas tractare, pariter in gulæ peccato, non ſunt mihi inhibiti cibi; ſed quod ad fœminas ſpectat, omnia mihi inhibita ſunt, nempe eas conuenire, eas reſpicere, eas tangere, eas frequentare, immò de ijs cogitare. Non ſine cauſa Iob ſanctus ille vir dicit ſe cum oculis pepigiſſe, ne vel virginem cerneret: nam aſpectu deſiderat homo, ex deſiderio cogitat, cogitationibus delectatur, delectatione determinatur & reſoluitur, & determinatione peccatum committit, & ſic damnationem incurrit.

Dicit ſanctus Auguſtinus, quod dæmon eundem ordinem & methodum ad nos ad canis peccatum alliciendos ſeruet, quem ad torquem faciendum faber ferrarius: à viſu enim orditur, deinde effectu peragit.

In

In Genesi (*cap.* 34.) scriptum est Sichem Regis Hemor filium, Dinæ filiæ Iacob captum amore fuisse quod solum eam vidisset, postmodum eam vi violasse, ex qua violatione tanta orta sunt mala, vt sui honoris iacturam fecerit filia, adolescens vitæ, pater terræ. In Iudicum libro refertur quosdam adolescentes dissolutos è Tribu Beniamin quandam vidisse fœminam nuptam, admodum formosam eorum terram pertranseuntem, quam rapuerunt, & adeò incredibili furore libidinis eam vexarunt vt mortua sit. Quæ mors ita asperè vindicata est, vt vix vnus è Tribu Beniamin superfuerit. In secundo Reg. libro (*cap.* 11) scriptum est, solo Bethzabee vxoris Vriæ aspectu, quę se pectebat & in quodam horto lauabat, Dauidem eius amore ita captum fuisse, vt statim eam sollicitans & decipiens cum ipsa adulterium commiserit, ex quo adulterio impręgnata illa maritus eius occisus est, Dauid suæ famæ iacturam perpessus, & omnis Respublica scandalum passa. Eodem Regum libro scriptum quoque est adolescentem Amnon

Da-

Dauidis filiū ita excessiuo Thamar sororis arsisse amore, vt languore simulato, & faciente sorbiunculas Thamar, vt cibum caperet de manu eius, statim eam rapuerit, violarit, & dedecore affecerit, vnde tāta acciderunt mala vt imprudens Amnon occisus sit, infelix Thamar nunquam nupserit, & bonus ille senex Dauid quod tristaretur habuerit. Dum Loth Abrahæ cognatus ex Sodomæ & Gomorrhæ destructione euasisset, in quadam spelunca latens, suas duas filias subsequentibus noctibus violauit, ex quo enormi delicto & infami incæstu duæ in fames nationes, Ammonitarum scilicet & Moabitarum ortæ sunt, cum quibus postmodum admodum graui bello congressi sunt Israelitæ. (*Genes.* 9.) Ex his exēplis Dei famulus colligere potest, quam graue sit cum mulieribus conuersari periculum, quādoquidem Loth occasionem nactus ne quidē suis pepercerit filiabus, Sichem Dinæ, nec Betzabee Dauid quę eius vicina erat, nec Beniāitę cognatis hospitibus, nec Amnon proprię sorori. *Deprædatus est oculus meus animam*

mam meam in cunctis filiabus vrbis inquit in suis lamẽtationibus Hieremias, (*cap.3.*) quasi diceret: Circumiens loca angulosque & dominas Hierusalem fenestris prospicientes videns, in quam oculum meum direxi, anima exarsit. Hic in propria persona non agit Hieremias, ille inquam qui vir sanctus erat, sed in imprudentis & negligenter agentis persona loquitur, qui sine conscientia & pudore cum ambulat huc illuc prospicit, obuiam quamque alloquens & obsequium ei quæ magis grata est offerens suum: sic vt totalis eius interitus ex occasionibus oriatur. Non sine mysterio magis de suis oculis, quã de cæteris sensibus conqueritur Propheta: nam ex otiosis circuitionibus oritur vanus prospectus, ex visu concupiscentia, ex concupiscentia communicatio, ex communicatione consensus, ex consensu interitus: sic vt si forsitan oculis careremus, multis quoque luctibus malisque cogitationibus careremus.

In quadam epistola dicit S. Bernardus: Frater mi si innocentiam quam

quæ-

quæris & castitatem quam promittis seruare velis, vide in leuia ne visum dirigas, linguam tuam ne otiosa proferat verba cohibe, manusque ne vlla pretiosa palpent munera contine, animumque ne quid vanum cogitet restringe; secus enim quæcumque videris, quæcumque loqueris, quæcumque huius mundi mulieri contuleris, illa eadem in cubiculo tuo latenti obijciet diabolus. Si hæc quatuor, veluti quatuor pestes penitus ab ijs abhorrentes fugere velimus, certò sciendum est nos coram Deo conscientia liberiori fruituros, & coram hominibus maiori hac in vita decorandos honore. Singulari ergo diligentia debet suum custodire Dei minister visum, nihil enim cor videre, nihil loqui, nihil audire potest, cogitat interius duntaxat, quod exterius visui placet. Si magno generis humani cum periculo interituque ad fructum inhibitum videndum suos aperuerit oculos prima parens nostra Eua, quis quæso frater mi futurus es, qui huc illuc oculos dirigis? Ad rē dicit S. Bernardus:

Sicuti

Sicuti non nisi in ossibus medulla, viuaque rosa non nisi inter spinas, arborque non nisi in corticibus conseruari potest: ita nemo suas cogitationes nitidas & puras conseruare potest, ni casti sint eius oculi. In suis confessionibus dicit S. Augustinus: Priusquam ad Iesu Christi fidem vocarer matrisque meæ lachrymis conuerterer, visum dissolutum, cogitationesque hinc inde diuisas habebam; & eodem modo quo respicere properabant oculi mei, eodem quoque modo concupiscere properabat animus, & quod desiderabat nullo modo propter sordes & infamiam rei fieri poterat, neque propter honestatem nominari. In Patrum collationibus dixit Abbati Arsenio quidam Monachus: Quid Arseni Pater agam, quãdoquidem fornicationem nullo modo superare possim? Cui probus ille senex respondit: Qui fieri posset, quo minus à fornicationis peccato tenteris, singulis diebus mundum frequentans? Si velis fili mi castus fieri, in Monasterio quietus mane, corpus ieiunijs macera, Deo peculiares orationes particulariaq; sacrifi-

sacrificia offer, in primis diligenter visum tuum custodi: nullo modo enim Dei famulo licet, quamuis licita respicere. *Mirabantur discipuli quia cum muliere loquebatur*, inquit S. Ioannes, cap. 4. quasi diceret: Mirum in modum mirabantur Apostoli, dum Iesum Christum Samaritanam aquam putei promentem alloquentem viderent.

Porrò non sine mysterio Christum mortuos resuscitantem, surdis auditũ reddentem, cæcos illuminantem, dæmonia fugientem, ventis imperantem, videntes non mirati sunt Apostoli, tantum autem quod solum solam mulierem alloquentem viderent mirati sunt. E quibus Iesu Christi honestas & prudentia elucet, quandoquidem illum nunquam alias solitariè mulierem alloquentem vidissent Apostoli. Passus est Christus insurgere in se hostes suos, & quasi spurium æstimare, dæmoniacum, seditiosum, ebriosum vocare; sed nunquam impudicus & adulter haberi voluit, vt intelligeremus nullũ esse peccatum quod concionatorẽ maiori afficiat infamia & rubore, quã carnis peccatũ.

Romæ quædam Domicella è quodam Diacono, viro magna ſcientia exculto ſummoque concionatore grauida fuit: rogauit S. Bernardinum Diaconus ille, cur ſuis concionibus nullum faceret fructum, cui dixit Bernardinus, Hæc eſt Diacone frater quod nullum facias fructum ratio, quoniam de maledictionis (abſit benedictionis) fructum feciſſe ſciunt omnes. Addit inſuper ei dicens, crede mihi frater & nullatenus dubites, debent profectò à viro caſto concionatoria proferri verba, nam Ieſu Chriſti caſta ſunt verba. ſciasque concionatorum nullum populo profecturum licet alter ſit in ſuis concionibus Paulus, ſi hoc maledicto ſit coinquinatus vitio. In ſua doctrina dicit S. Bonauentura Dei famulum ſerio debere quo tendat, quem alloquatur, cum quo conuerſetur videre: hoc enim carnis peccatum licet quoad culpam grauiſſimum non ſit, eſt tamen quoad famã periculoſiſſimũ. Nec eſt quod vllus fidat ſe Prælato hominibusque inſcijs hoc peccatum patrare poſſe: eius enim

est hoc maledictū vitiū naturę, vt quãuis inter cortinas tegi possit, malarū tamen linguarum dicterio exponatur. In pleno campi æquore, cum Samaritana prope puteum publice, apud quem itineris labore fatigatus sedebat, loquebatur Christus: mirabantur nihilominus discipuli quod solus solam conueniret, tu verò frater hominibus scandalo non vis esse si solus cum sola fœmina agere reperiaris? In quadam epistola dicit Sanctus Cyprianus: Non ita frequenter malus quis euaderet pigritia siue fragilitate vel alio quouis modo, si tantas peccandi occasiones non nanciscceretur: ideoque tam multi non forent peruersi homines, si tantas occasiones non haberent vitia. In vitæ solitariæ libro scriptum est, quod monachus qui sæpius mundanos inuisit, quique per Monasterium cogitationibus plenus otiose deambulat, qui cum fœminis vtitur familiaritate, nunquam tentationibus aut passionibus carebit: eo quod omnia huius mundi vitia temporis successu vinci aut superari possint, sed carnis vitium nō nisi fuga.

fuga. In quadam epiſtola dicit Seneca: Multos vidi Romæ Senatores perire non ſuperbia aut inuidia, neque nimijs diuitijs, neque proditionibus intẽtatis, ſed ſola mala mulierum conuerſatione quæ ſimiles herinaceo ſunt qui ſpinis ſanguinem noſtrum elicit, cum tamen quid in viſceribus eius lateat ignoremus. In ſuis confeſſionibus dicit S. Auguſtinus, vt tempore quo Manichæorũ hæreſin Chriſtianus factus deſerui, imperaſti Domine vt caſtus & mundus fierem, ideò reſpondi & dixi: *Da Domine quod iubes, & iube quod vis*. Quod Deo dicat S. Auguſtinus, da quod iubes & iube quod vis, dicere eſt, nullum ſine eius gratia caſtitatem & puritatem conſeruare poſſe.

Quod Dei famulus non debeat ex vno Monaſterio in aliud migrare, neque ad inuiſendum mundum egredi.

CAPVT LIII.

Intrate per anguſtam portã, quia lata porta & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem

onem inquit (*Matth.7. & Luc.13.*) suis discipulis Christus, quasi diceret: Porta per quam saluandi ingrediuntur submissa est & angusta, econtra porta per quam ij qui ad interitum ruunt ingrediuntur, alta admodum est & lata, ideoque cauete ô discipuli mei, ne per latiorem intretis, sed potius per angustiorẽ ingrediamini: domus enim Dei, quæ malam habet portam, bonum habet domicilium, infernalis autem domus pessimũ. Nullus ignorantiã prętendens dicat se saluationis semitas ignorare, vel interitus, quandoquidem ita apertè dicat Iesus Christus inferni portam admodum latam esse, & cœlorum angustam. Et quem non terreat, quod dicit iniquorum per latam portam intrantium numerum longè maiorem esse, quam saluandorum per angustam portam? Porrò porta, lata vita vitiosa est, & porta angusta vita arcta & bona: sic vt quodãmodo ex vniũscuiusq; vita possit finis cognosci. Dei famulus, qui solitariam & arctam agit vitã per portam angustam ingreditur; econtra vitiosus, qui voluptuosam & libertinã

agit vitam, per portam latam ingreditur: ita vt effrænati & dissoluti pereant, solitarij & stricti autem ad salutis portum pertingant. Dicit sanctus Bernardus: Malorum omnium origo est, corpori quolibet vagandi, animoque quidlibet cupiendi potestatem darę. vnde sequitur, quod quouis die nouis se vitijs immergere cupiat corpus, nouisque sollicitudinibus nos torqueat animus. Ita arcta est cœli porta, vt nulli præter Christum, & quidam illius famuli per eam ingredi possint: & si eam ingrediantur, curui & nudis pedibus, totoque nudo corpore ingrediuntur. Secus enim ingredi præsumenti non tantum occluderetur porta, sed & nullum acciperet responsum, licet sæpius fores pulsaret. Peccato carens Christus in exigua & arcta natus est domo, angustam vitæ methodum elegit, strictam docuit doctrinam, in arcta mortem oppetijt cruce, tu verò per latam putas ingredi portam? *Estote parati quia nescitis qua hora Dominus venturus sit*, inquiebat suis discipulis Christus, quasi diceret: Nolite domo discedere

dere

dere, parate mihi cœnam, & videte ne dum veniam ianuam pulsurus dordormiatis: veniam enim fortasse vobis nihil nimis cogitantibus, & profundissimo somni vestri silentio fores pulsabo. Horam sui aduentus nobis indicare non vult Christus, vt quauis hora, quouisque momento excubias agamus. Reuera serius venire differt, quia nos paratos exhibere non festinamus: eius enim aduentus, & retardatio ex nostra pigritia & diligentia pendent.

Hugo Doctor in libro de arra animæ inquit, Dum quidpiam furaturus proficiscitur latro, domini & magistri in domo absentiam exoptat, non herum vigilantem, sed somniantem, non eum excubias agentem reperire desiderat, sed potius non agentem, non eundem horam scire, sed magna cum fiducia dormientem inuenire cupit. Porrò euidens est malæ intentionis indicium, dum quis inscijs domesticis alterius domum ingredi vult. O bone Iesu, ô animæ meæ delitiæ, non huiusmodi conditionis & naturæ es, cuius

latro & iugulator, immò verò eiusdem es naturæ cuius mundi amabilissimus est Dominus : quandoquidem domi expectari desideres, domum quoque patere, nullumque vultum à te diuertere, sed vnumquemque vigilem esse peroptes: tu enim Domine Deus, non furaturus sed daturus accedis, non turbaturus, sed pacificaturus ingrederis, non muros scalis ascensurus, sed amicitiam quæsiturus venis. Eia agedum quoniam venire non dubitat Christus, æquum est nos eum expectare domi, domumque non impeditam esse vt exspectetur; Si enim nos foris reperiret, ingratitudinis qua ad eum non recipiendum vsi essemus, & apostasiæ quam nostra absentia commisissemus nobis esset reddenda ratio. Jn Exodo (*cap. 33.*) dicitur: *Puer Iosue non recedebat de tabernaculo*, tanquam diceretur, Sanctus Moyses famulo vtebatur nomine Iosue, tantæ honestatis & modestiæ, vt à tabernaculo nunquam discederet. Quod de tabernaculo non discederet Iosue, religiosis manendū iugiter in suo Monasterio significat: quod autem iuuenis

dice-

diceretur, indicat, quod magis iuuenem deceat benè latere quam senem: quia iuuenilis ætas ita periculis plena est, vt quò virtutibus magis prælucet iuuenis, eo minores ei dandæ sunt peccandi occasiones. Non sine mysterio dicit scriptura, quod à iuuentute reformationi & modestiæ perpetuæq; tabernaculi inhabitationi assueuerit Iosue, vt indicaret probum religiosum debere à iuuentute claustris assuefieri: quo enim arboris radix magis terra tegitur, eo minus gelu & ventorum periculo exponitur. Dicit Sanctus Anselmus: Ab instanti quo me in Monasterium vocauit Dominus, in eo velut in quadam eremo, qua nunquam egrederer nisi à Deo vocatus, manere decreui. abunde siquidem in cella mihi est, quod in carnem & diabolum dimicē, ideoque non est quod mundi pericula quæram. Hisce sanctis verbis sanctus ille vir innuit Dei famulum eodem modo sese in claustri rigore gerere debere, quo captiuus perpetuo adiudicatus carceri, quo ante sepulturæ diē suæque animæ gloriam egredi non cogitat,
 gitat,

gitat, S. Thomę apparere, eumque conſolari noluit Chriſtus, donec Apoſtolorum collegium repetijſſet. Quinq; virgines quarum mentionem in Euãgelio facit Chriſtus, in forum oleum empturę tendentes optati ſpõſi viſu priuatę ſunt. (*Matth.* 25.) Vnde inferre licet omnes inutiles vagationes corporiſque motiones, conſolationibus ſpiritualibus obeſſe. Qui quietus in ſuo Monaſterio manet, facilè profectò Chriſto obſequium præſtat: licet enim eum aggrediatur ſuperbia, turbet inuidia, tentet gula, moleſtet laſciuia, illę tentationes eum quidem alterare poterunt, ſed non deijcere. At qui extra Monaſterium eſt, vix tentatur, & ſtatim in lutum labitur. Dic precor, ignoras ædificium malè tectum perire? medullam, piſcem, arborem, extra oſſa aquam corticem, ſtatim emori & ſiccari? ſic & religioſus extra domum. Si Dina filia Iacob, vt videret & videretur domo egreſſa non fuiſſet, ſui honoris iacturam non feciſſet, neque Princeps Hemor ſuæ vitæ. Si infelix ille Iudas Ieſu Chriſti à conſortio & collegio non diſceſſiſſet, hoc
enor-

enorme non patrasset peccatum neque desperasset. Si Esau (*Genes.* 25. & 27.) domi cum patre venationem omittens mansisset, sua ei non perijssent primogenita, nec suam benedictionem surripuisset ei *Iacob*. Si (sicut sancitum erat) domo sua velut perpetuo carcere vsus fuisset temerarius ille Semei, vita ei eiusque bona adempta non fuissent. Hæc omnia notabilia exempla mirũ in modum nos terrere debent, ne quis è Monasterio ad quod à Deo vocatus est, neque consortio in quod eum asscripsit Dominus Deus, egredi audeat: habet enim hic quæ plurimum prosunt & exempla, & sancta consilia. Religiosus qui frequenter mundum inuisit, semper in Monasterium magis quam dum eo egressus est, inuidus, cupidus, mutatus, cogitabundus, minusque deuotus reuertitur: vsqueadeo vt non paucis opus habeat diebus vt animũ suum quietum reddat, imò vt suã purget cõscientiam. S. Bernar. inquit: Cauete fratres, cauete ab insidijs diaboli, ne vos sub boni operis ꝑtextu è Monasterio educat: si. n. semel vos à bonorũ cõsortio declinare faciat, paulatim vos malorũ ascribet cętui

Nescitis lupum ouem errantem abripere, falconemque columbam ab alijs segregatam dilacerare, furem eum qui solus incedit aggredi? fluuium à suo cursu deflectentem summum gignere incõmodum, & religiosum extra Monasterium perire? *Peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est*, aiebat Dominus Deus per Hieremiam Prophetam iu suis lamentationibus, cap. 1. quasi diceret; Adiecit peccata peccatis Hierusalem, ideò pro pœna Deus eam inquietudine castigat. Tunc peccatis peccata iungit monachus, dũ promissi mũdi Deo facti immemor, iterũ ad huius tumultus redit. Cæterũ huiusmodi apostatæ poena est, vt ab omnibus infamia afficiatur, & à seipso torqueatur. Solitarius monachus peccat, dum obedientiam soluit, dumque suam procurat libertatem, dum proborum consortia fugit, & malorum asscribitur consortio, dum pudorem postponit, & in suam agit conscientiam, dum orationis tempore murmurat. Peccata peccatis accumulat religiosus, qui sibi molestus esse non contentus, etiam alios molestia

afficit,

afficit, qui suis obmurmurationibus nō contentus, etiam alios murmurare compellit, quique suis loquacitatibus etiam alios silentium soluere cogit, & qui quod grauius est nihil bonum esse dicit nisi quod approbat, & nihil malum nisi quod condemnat. Dicit in sua regula sanctus Basilius: Non decet Dei famulum adeò suscepti status, adeoque sublimis professionis, cui se deuinxit immemorem esse: nunquam enim arca suoque consortio egressa est columba Noe, donec in ore oliuæ ramum retulisset, locumque quo pedem tuto figeret reperisset. (*Gen.* 8.) Quantumcunque fragilis & remissus sit in eremo religiosus, multo tamen in Monasterio, quam in mundo tutior est: tanta siquidem offendendi in mundo est libertas, tantæque in peius corruēdi occasiones, vt quamuis Regis sis famulus, non ideò tamen legem soluere desinas. Si Patriarcha Abraham spatiatus, & suo tabernaculo egressus fuisset, angelos hospitio excipere futurique filij nuncios accipere meritus non fuisset, (*Genes.* 18.) Gedeon domi frumentum purgans re-

pertus non fuisset, nunquam suæ liberationis & victoriæ faustos accepisset nuncios. Dum cōcionaretur Christus, & quis foret S. Ioānes Baptista aperiret, non eum quod solus esset, vel quod nudis pedibus incederet, vel locustas comederet, vel inter siluestres habitaret bestias, vel quod in eremum secessisset, laudabat, sed quod nunquam in mundum regressus esset. Hactenus sanctus Basilius.

In quamcunque domum intraueritis, ibi manete & inde non exeatis, inquit suis discipulis Christus, (*Luc. 10.*) quasi diceret: Non vos magis in vno quam in alio compello manere loco, suadeo duntaxat, vt simul ac vnam elegeritis domum, ne illam mutetis: frequens enim mutatio hominem exiguæ prudentiæ arguit. Hic notandum quod dum hæc sublimia verba protulit IESVS Christus, publicè non dixerit, sed sui Collegij discipulis secrete duntaxat, vt indicaret religiosos obligari ad maiora, quam mundanos. Nunquam ita publice, vel populo præcepit Dominus sicut sui Collegij discipulis, ne scilicet

facculũ, siue peram, siue panes, siue denarios, vel duo indusia gestarent: illa enim amicorum & in viros perfectos euadere cupientium consilia erant. Super hæc verba dicit sanctus Bernardus: Homini vano & mundano non inhibet Christus, vt vno anno in vna habitet domo, & anno sequenti aliam conducat, sed religioso & ei qui in virum perfectum euadere cupit, interdicit ne habitum mutet, neve Monasterio cui semel inclusus fuit egrediatur: scias frater, scias te à Christo religioni, vel Monasterij claustris non fuisse obligatum: hoc tamen præcipit, vt electam hanc à te in claustro vitæ methodũ obserues, neque hinc exeas, postea quam te hoc propria sponte acturum pollicitus fueris. magnæ enim perfectionis indicium est Monasterium bonis imbutum moribus quærere, locaq; quæ ad malum patrandum magis procliua sunt fugere. Notandum quoque Christum non dixisse: In quacunque elegeritis manere domo, in illa manete, solummodo dixit ne domo in

qua manebitis egrediamini. Quibus insinuat Dei famulum opulentius quærere Monasterium vel miserius fugere, dulcioremque eligere Prælatum, vel zelo magis plenum subterfugere non debere, sed Deum orare vt eum ad meliorem eligendum statum, in quo ad finem vsque perseueret, illuminet. Dicit Propheta Hieremias, cap. 14. *Dilexit mouere pedes suos, & non quieuit, & Domino non placuit*, quasi diceret: Eo quod quietus nolit esse Israel, suasque cohibere cogitationes, ideò mœstus est Deoque ingratus. Non sine mysterio primo dicit, quod quietis non esset pedibus, postmodumque subiungit, quod cogitationes eius inquietę essent, denique quod ei succenseret Dominus. Quibus declarat Propheta, primum Monachi interitus initium oriri ex nimia mundi visitatione, & nimia in Monasterio inquietudine. Dei famulus qui in religione inquietus est, huc illuc cursitans adinstar famuli cuiusdam domestici, semper tribulationibus onustus erit, Prælatoque admodum grauis: egrediendi enim sibi licentia denegata, assiduè

assiduè per Monasterium obmurmurabit. Non conqueritur per Hieremiã Dominus Deus, quod oculis videret Israel, quod manibus tangeret, quod lingua loqueretur, quod auribus audiret, sed quod pedibus diuagaretur, vt cognosceremus in solo Monasterij egressu monachũ magis peccare, quam toto anno in inclusione. Ideò S. Ansel. Quod dicat, inquit Iesus Christus, *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet*, hoc est, quod Dei famulo non sufficiat, si castus patiens & abstinens sit, ni & domi quietus sit. iudicio enim meo tunc mundis pedibus est religiosus, dum istas cursitationes & profanas motiones neglexit. Religiosus qui singulis diebus mundanos inuisere intendit, indubiè cum odio choro interest, sine pietate horas legit, festinanter celebrat, Nosocomium libenter non inuisit, & imminere noctem displicet, quod annum vnum longa foret dies, etiam tanti tempore in Monasterium non regrediens in mundo maneret. Pedes qui nos à Monasterio educunt, & in mundum perducunt, non solum

abstergendi sunt, sed abscindendi: nullus enim in hunc deambulans cœlum ascendit, sed cōtemplans. A Christo nobis data est potestas pedes abscindendi, immò & oculos euellendi, si nobis scandalo sint. Tunc pedes quibus incedit sibi abscindit Dei famulus, dum à corde viuaciter id quod eum torquet aufert & vellit. nullus enim quietis pedibus esse potest, si eius cogitationes vanæ & inquietæ sint. Fuge ergo frater fratris, amici, cognati, immò tua propria fuge negotia, dilige stare in tuo Monasterio; affatim enim illic hostes sunt, non est quod alios in mundo quæras. Dicit Cassianus Abbas, quod è tribus Monachorum millibus nullus vnquam Monasterio egrediendi licentiam petierit, præter eos qui vimina ad corbes conficiendas & vendendas emebant.

Hugo Doctor in libro de arra animę inquit: Si tibi Monasterium in quo habitas miserum videatur, asperque Prelatus, locus male sanus, & labor quem pateris magnus, amore Christi illum pati debes: in religionem enim non

tuis voluptatibus fruiturus, ſed animam ſaluaturus veniſti. Porrò bonus es vel malus; ſi bonus, quid quæſo tibi faciet Prælatus? Si malus, putas alium Prælatum tuis vitijs ignoturum? Sicuti crudelis & ſanguinolentus Chyrurgus nullus eſt, niſi in eum qui grauiter læſus eſt; ita Prælatus nimio rigore & aſperitate vti non poteſt, niſi cum diſſoluto & perdito ſubdito: & ſi qui tales ſunt, qui obmurmurant & ſe Monaſteria commutare velle dicunt, in ſeipſos culpam reijciant, & non in Rectorem. In Collationibus Patrum, Abraham Abbas inquit, quod ſubtiliſſima tentatio qua Dei famulos tentat diabolus, hæc eſt, dum ſub boni alicuius prætextu Monachum à conuentu educit, vt liberius viuat: nam periturum eum ſcit, ea ipſa libertate quâ vtitur. In antiqua quadem regula dicit ſanctus Baſilius: Non debet curare Dei famulus, num Monaſterium in quo habitat benè ſanum ſit necne, ſed num virtuti ſit cõmodum. Prælatũ qui conſoletur quærere non debet, ſed qui ſuis tentationibus medeatur. Non familiares

miliares quærere amicos, sed sanctos frequentare: non magnum spectare laborem, sed quem laborans faciat fructum. S. Bernardus Ruperto religioso scribens, inquit: Ne Ruperte putes te propter commutationem quam Roma Pariseos, Parisijs in Burgundiam, Burgundia in Normandiam currens facis, pacifice magis & sine tentatione victurum: nam bonum, aut malum quod patimur non ex locis in quibus manemus dependet, sed ex nostri cordis quiete vel inquietudine. Debet ergo, vt concludamus Dei famulus arbori quæ se in omnes ventos tuetur, & basi quæ nunquam flectitur similis esse: Si enim secus se gerat, eum peregrinis & aduenis similem dicemus, qui multa bona norunt hospitia & paucos habent amicos: similemque altarum turrium Ecclesiæ vexillis, quæ vt omni vento mutantur, ita quouis die ille caput mutat.

Magnum esse decus, haberi veracem, magnum verò dedecus mendacem: vbi multæ sacræ scripturæ exponuntur figuræ.

CAPVT LIV.

P*Erdes omnes qui loquuntur mendacium* inquiebat (*Psal.5.*) Dauid, quasi diceret: Scio summe Deus Israel te naturaliter eos qui mala patrant detestari, eosque qui mendacia proferunt destruere. Summum profectò debet esse peccatum mendacium, quandoquidem in illud adeò asperam pronunciet sententiam Dominus Deus dicens, se omnes mendaces deleturum. Notandum quod diluuij tempore Noe ignouerit Deus, à Sodomæ destructione & ruina probum Loth liberarit, à cæde & direptione Hiericho Raab, denique quod in captiuitate Babylonica cum Hieremia dispensarit: Sic vt iustitiæ rigore nunquam tanto vsus fuerit Deus, quin sua clementia temperaret, præterquam in deceptores & mendaces, quibus se nunquam ignoturum protestatur.

tur. In libro de ira dicit Seneca, nullam ita virtutem compenſant, quam veritatem Dij, neque vllum ita ſicuti mendacium puniunt vitium. Ideoque mendaci etiam vera dicenti non creditur, nec vllus mendacem mentientem ferre poteſt. Rogatus Philoſophus Epimenides, quid eſſet veritas, illa eſt inquit, quæ cœlos regit, & terram illuminat, quæ iuſtitiam ſuſtinet, & Rempublicam gubernat, illa eſt quæ quod clarum eſt confirmat, & quæ quod dubium eſt clarificat. Chilon Philoſophus de veritate agens, Veritas inquit tutamentum eſt quod nuuquam corruit, ſcutum quod nunquam transfoditur, mare quod nunquam mutatur, flos qui nunquam marceſcit, portus in quo nullus vnquam periclitatur. Anaxarchus Philoſophus rogatus quid de veritate ſentiret inquit; Veritas tuta eſt ſalus, quæ nunquam ægra eſt, emplaſtrum quod omnes ſanat, ſol qui nunquam occidit, Luna quæ nunquam eclipſim patitur, porta quæ nulli vnquam clauditur, iter quod nullum fatigat. Philoſophus Aeſchines in quadam

dam

dam in Demosthenem inuectiua, dicit veritatem tantæ in se esse virtutis vt ipsa virtus sine ea debilitetur, & prudentia sine ea fiat malitia, temperantia miseria, iustitia sanguinolenta & crudelis, humilitas proditrix, patientia sit ficta, castitas vana, diuitiæ pereant & superflua sit pietas ⁋ In suo Tymeo Atheniensibus loquens Plato, quid sit veritas dicit, Centrum est inquit & sustentaculum in quo omnia quiescunt, cardo est per quem totus vertitur & regitur mundus, antidotum quo omnes sanantur, vmbraculum in quo omnes labore leuantur, scopus in quem omnes collimant, & signum quod pauci attingunt. Magni illi Philosophi veræ profecto veritatis amatores fuere, siquidem tanta cum laude eam extollant, & tantis titulis honorent: vix enim quidquam, vel nihil omnino nisi quod sibi cordi est collaudat lingua. Dei filio, filio ab æterno, primogenito in cōcione dicēte: (*Ioan.* 4.) *Ego sum veritas*, & Pilato, *Ad hoc veni in mundum vt testimonium perhibeā veritati*, tunc magis quā vllus alius veritatem laudauit, eique se magis quam quispiā alter, ad aliquid

ob suam

ob suam in illam studium agẽdum deuinxit, cum à Iudæis propter illius prędicationem persequutionem sit passus, & propter defensionem morti adiudicatus. In Ioannem de hoc Iesu Christi verbo, nempe. *Ego sum veritas*, commentans dixit S. Augustinus, Sublimius quam opineris loquitur Iesus Christus: sententia est mysterijs magis plena, quã assequi valeas. omnes enim de veritate loqui & de eadem tractare, eandem amare, eiusdemque participes esse dicere possumus, sed Dei filium veritatis participem esse dicere, summum est mendacium: nam in omnibus & per omnia dicitur summa veritas. Certum est eum aliquid malitie siue stultitię habere, qui veritatis habet partem tantũ: sed in Christum neque culpa neque ignorantia cadere potest, ideò necessario sequitur quod veritatis Deus sit, summusque bonitatis princeps. Si Præsbiterorũ legis mendacijs, Pharisęorumque hypocrisi fidem adhibere voluisset Christus, nunquam coram Pilato accusatus fuisset, nec ab eodem condemnatus; sed quod summa & vnica esset veritas

ritas æternaque bonitas, mori maluit quam mentiri, & vitam finire, quam mendacium proferre. In Matthæum dicit S. Chrysostomus: In hoc Deum veritatis amatorem cognosces, quod in suum consortium Magdalenam mulierem peccatricem, Samaritanam concubinam, mulieré adulteram, sanctum Matthæum vsurarium, Zachæum diuitem, latronem, sanctum Petrum qui suam fefellerat fidem, & sanctum Paulum blasphematoré admiserit, nullum tamen deceptorem & mendacem, sic vt qui verax non est, non possit IESV Christi esse discipulus.

Ne auferas de ore meo verbum veritatis, inquit Psalmista, (*Psal.* 118.) quasi diceret, ô Domine, quandoquidem me tuo obsequio mancipatum & dedicatum tanti faciam, ne patiare precor cor meũ excogitare malitiam, linguamq; meam aliud quam veritatem dicere. Summopere ponderandum est, quod Deum vt suam vitam & honorem cõseruet, non roget Propheta, siue vt suos liberos ad honoris culmen euehat, siue vt sua bona nomenque augeat; solum autem ne

eum

eum vel vnicum permittat proferre mendacium, certo sciens nullam vnquam in ore futuram veritatem, anima bonitate carente. Profectò singuli hoc modo Deum orare deberent vt scilicet corda nostra in bonitate, veritatisque verbum in ore nostro conseruaret: nullus enim mendax probus fieri potest Christianus. *Nequaquam moriemini, sed eritis sicut Dij scientes bonum & malum* (*Gen.* 3.) Euæ matri nostræ in terrestri paradiso dicebat serpens, quasi diceret: Non, non inquit, non morieris licet arboris interdictæ fructum comedas, sed tuæ mentis oculi aperientur, vt bonum quod agere debes eligere, malumque à quo cauere debes fugere possis.

De mendacio. Cæterum hoc est primum totius mundi mendacium, primus mendax diabolus: prima fuit mulier decepta Eua, inde totius humani generis interitus emanauit: Si enim mendacio fidem non adhibuisset Eua, nunquam mortua fuisset, neque perijsset mundus. S. Augustinus in Genesim scribens inquit: Mentiris diabole mentiris: quãdoquidem enim è cœlo quod Deo æqua-

ſis fieri velles corrueris, ideò quoque ſuam inobedientiam mortem paſſa eſt Eua. O quam graue eſt peccatum mendacium, præſertim pernitioſum: nam ſi è paradiſo fidem mendacio adhibens extruſa ſit Eua, quam ergo merebitur pœnam qui mendacium profert? Cum omnia à ſuis principijs denominationem deſumant, primumque veritatis principium ſit Deus, mendacij autem diabolus; ideò omnes veraces Ieſum Chriſtum pro Domino habere dicimus, & mendaces diabolum. Dicente Dei filio (*Ioan.* 8) Hebræis *vos ex patre diabolo eſtis* non diaboli filios vocat quod eos creaſſet, ſed quod eos docuiſſet, ſed quod eos docuiſſet, quodque veritati quam annunciabat reſiſterent. Cyrillus in Leuiticum inquit, Si mendacij pater eſt diabolus, nunquid & diaboli filius erit mendax? toti mundo quia dominatur Chriſtus, ideò in furti materia diſpenſare poteſt, immo furtũ ipſũ peccatũ nõ efficere ſed de mendatio idẽ fieri nõ poteſt: cũ enim ſũma & ꝑfecta ſit veritas, ideò à veritate auelli nõ poteſt: diuinæ .n. repugnat potentiæ men-

mendacium proferre. Mirum in modum ponderandum est imò formidandum, quod superbum, aut inuidum, aut gulosum, aut auarum, aut luxuriosum, vel furem siue furiosum diaboli filium non vocauit Christus, solum autem mendacem, sic vt mendacem dæmoniacum dicere possimus.

Sanctus Augustinus libro 10. confessionũ inquit: Multos vidi qui alios decipere conarentur, sed nullum vidi decipi velle, multosque vidi mendaces, sed nullum qui sibi mendacia enarrari voluerit: sic vt huiusmodi sit mendacis natura, vt sibi veritatem annunciari velit, ille autem solus mentiri. *Mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate inidipsum*, inquit Psalmista. (*Psal.* 61.) quasi diceret: Licet in ijs quæ proferunt sint mẽdaces filij hominum, nihilominus longè in suis stateris fraudulentiores sunt: nec fidem, nec leges curant. Hisce verbis aliud mendacij genus mendaciumq; designat Propheta, eos nimirum qui simulanter & per hypocrisim quidpiam agunt: quidam ore mentiuntur, hi verò suis operibus.

Porrò quo minoris est corpus quàm anima, eo maius est mendacium quod opere committitur, quam quod ore: ore enim commissum, solùm decipit mendacium; hypocrisi autem plenum opus, non decipit duntaxat, sed & incommodum adfert. Ille falsa vtitur statera, & se falso metitur pondere qui multum præsumit, & pauca meretur; qui se iustum arbitratur, & alios peccatores; qui sua collaudat opera, & aliorũ condemnat, qui aliuseſt quàm se exhibet, qui bono apparet præditus zelo, interea veritatem dissimulat, denique qui ab omnibus probari, & à nemine sibi cõtradici cupit. Jn suo Hexaëmero dicit S. Ambrosius, illum falsum esse pondus, imò summum mendacem, qui Rex tyranni opera exercet, qui Christianus, vt barbarus viuit, qui Prælatus vt Publicanus se gerit, qui religiosus adhuc desideria mundanasq; cupiditates retinet, & qui magnus hypocrita, sanctus vult haberi. Hoc hominum genus, homines turbulenti, seditiosi, fallaces sunt, à quorum consortio diligenter cauere debemus. In ecclesia Dei siquidẽ

hypocritæ & simulatores longè ijs qui mala proferunt verba peiores sunt. Siue ad bonum siue ad malum longe magis loquitur opus agens homo, quam loquens; hominum enim corda longe magis visu acuantur & moueantur quam auditu. Hominis veracis priuilegia hæc sunt, nempe quod vbique tendere possit, & cum omnibus tractare. neminem veretur, nullus eum accusare potest, omnes ei fidere possunt, quocunque lubet capite detecto pergere potest: econtra mendax semper inquietus est. si mendacium proferat debet illud alio tueri mendacio, & quod grauius est per Deum & sanctos sanctumque Euangelium, immo per proximorum parentum vitam & per sæcula prę-terita iurare debet. Rogatus quandoque Demosthenes, quis esset qui amicus eligendus foret, dixit: Vt amicum eligas non est quærendum num doctus, prudens, iustus, fortis aut diligens sit, tantũ nũ virtutis & bonitatis amans sit, nũ in veritate cũ omnibus communicet: veraci enim omnes confidunt.

Dicit Aelius Spartianus Imperatorẽ

Traianum se nunquã in electione amici aberrasse dixisse, & petita ab eo huius rei causa, hæc inquit est, quod nunquã pro amico cupidum vel mendacij signo notatum elegerim, cui enim cupiditas aut mendacium dominatur, nunquam veram potest conseruare amicitiam. In Pastorali dicit S. Gregorius, Debet Dei famulus vera tractare, & si per conscientiam id agere non cogatur, agat saltem ad pudorem vitãdum: nullus enim vnquam maiori posset affici dedecore quam mendax haberi. Conatur mercator verax haberi, ne in negotiorum contractu ei fides pereat. Vtinam omnes qui magni haberi volunt, suisque verbis fidem adhiberi, sic sese gererent! at nunc ipsis mendacium proferre, æquè in promptu est, quam fabam edere. In quadam epistola dicit Seneca, omnia consuetudine roborari: si pauco cibo & somno assuescamus, facile in similibus actionibus perseuerare erit, & si multo mendacio assuescamus, mẽdaces euademus & permanebimus. quidã vt quouis die edũt, ita & singulis horis solent mẽtiri. Certũ est armorum

noſtrorum meliorem partem, ditioreſque noſtrarum thecarū theſauros non eſſe affinitatem aut amicitiam, ſed honorem, quem nunquam potuit, neque poterit vnquam homo mendax conſeruare, cum apud omnes fide careat, nullusque vlla in re ei fidem adhibeat. Magnus ille Carthaginenſium princeps Hannibal animoſus, & in bellis celebris fuit vir, quæ ſumma cum dexteritate proſequutus eſt, & ſumma cum probitate peregit, nihilominus eum infidelitatis, periurij, & mendacij accuſat Titus Liuius, quod apud ſuos amicos promiſſis nunquam ſtaret, & cum inimicis pactum non obſeruaret. Non ita ſe geſſit Cneus Pompeius magni iſtius Pōpei filius: cœnantibus enim quandoq; cum eo in mari, Octauio & Marco Antonio, cùm in aurem diceret nauis Præfectus, ſe vtrumque inimicum in maris profundum proiecturum, dummodo per ipſum liceret. Reſpondit Pompeius: Si Mendorus eſſem iam pridem hoc egiſſem; ſed Cneus quia Pompeius ſum, hoc agere deſiſto. quod ſi hoc agerem, illi cum honore morerentur, ego autem

cum infamia viuerem. Verba profectò tali viro tantique principis Pompei filio digna. Dicit Herodotus Aegyptios amicitiã siue fœdus simul componentes, pollices pollicibus iũgere, & sanguinẽ elicere solitos quem alternatim lambebant, innuentes se potius sanguinem effusuros, quàm socio fidem non seruaturos. Quod ad mendacem, ille per Dominam montis Serrati & S. Vincentij sepulchrum, per Daroçę corporalia, imò per Carauacæ crucem iurat, non aliã ob causam, nisi vt suo magno fides adhibeatur mendacio, cui tamen eo minus fides adhibetur, quo magis iuramentis vtitur. Regula infallibilis est quempiam apertissime mẽtiri eũm qui magno iusiurãdo aliquid asserit. Quod ad me, lõgè meliꝰ agere puto patrẽ filio parcendo, amicumque amico, & dominum famulo, cum eos ex fragilitate delinquere reperiunt, quam dum mentiuntur dissimulando. Omni enim vitio tempus alis amputat, præterquam mendacio, quod vires acquirit eundo. Verùm non sufficit à mendacij vitio purum esse; sed & eorũ qui hoc vitio

corrupti sunt vitanda sunt consortia. Audax enim dicturus quis mendacium, statim amicum in testem vocat. quot verò mendacium audiunt, æquè culpant & damnant amicum qui approbat, quam in ipsum mendacem qui protulit. Mentiar, nisi in palatio amicus quidam meus, se mecum in grandi triremi è cynamomi an cassię corticibus confecta nauigasse, sed dictum eius nullius erat momenti, ni tacendo quasi approbassem: sed quod eum mendacem declarare ausus non essem, pænè mendax credebar. Alio tēpore quoq; cum essem in aula Imperatoris prędicandi gratia, manuq; arundinē cui ob podagrā innitebar gestarem, occurrit ille idem: dixitq; in pręsentia plurimorū, se aliam mihi arundinem vsqueadeo excellentem dedisse, quæ à nodo in nodum duo vini caperet pocula. Pudendum est profectò probo, homine non verace pro amico vti. Ignorabam quidem quomodo me cum isto amico gererem: vnicum erat remedium ab eius consortio cauere & loca in quibus sua enarrabat mendacia fugere. Quæcumque

que publicè per me approbabat, illa statim priuatim negabam. Debet ergo Dei famulus ab hoc mendacij cauere vitio: dum enim sæcularis rem vnam pro alia dicit simplex est mendacium; sed dum religiosus, sacrilegium est.

Infirmitates famulorum Dei, sunt magis meriti occasiones quam punitiones.

CAPVT LV.

Cum infirmor, tunc fortior sum inquit D. Paul. (*2. Cor. 12.*) quasi diceret. Nunquam ita sanus sum quam dum sum æger, nunquam ita robustus quam dū debilis sum, nunquam tantæ virtutis sū quam febri laborans, nunquam ita mihi placeo quam dum lassus & fractus sum. Sublime est hoc Apostoli verbum: inaudita est & noua sententia: nā quod vitare cupimus, admittit, & quod condemnamus approbat: quoniā inquam quod reprobamus tuetur & fouet, & quod despicim⁹ mirū in modū extollit,

& ijs à quibus abhorremus delectatur. Quis nunc non se magis sanum gaudeat quam ægrum? & robustum quam debilem? Quod autem dicat Apostolus se eo magis corroborari magis debilitatur, seq; magis agilitari quo magis infirmatur, videtur contra naturam omniumque opinionem loqui. Non sine mysterio non dicit Apostolus, quod dum concionaretur, incederet aut ieiunaret, tunc magis sanus esset sibique magis placeret, sed tantum quod æger, vel in lecto nouas resumeret vires, tūcque summa quiete frueretur. Sed vt hoc clarius intelligamus, notandum, quod homo inter alia desideria præcipuè vitam & sanitatem conseruare desideret, & in rei veritate hoc cū ratione desiderat: nulla siquidē est persequutio quæ cum sanitate non feratur, nullaque paupertas quæ non toleretur. Quod ita sit, clarum est; si enim cum amico quid coōmunicemus, vel filiū aliqd magni ponderis rogemus, statim per vitæ suæ sanitatisq; amorem precemur eum; vt quod petimus concedat. vsque adeò vt præcipua qua ad aliquem permouēdum

dum vtimur, ſit per vitam eius adiuratio. S. Ioſeph in Aegypto nunquam niſi per Pharaonis ſanitatem iurabat. Rege Cyro Hebręis patriam repetendi licentiam concedente, nihil aliud Regis aulici ijs iniunxere, niſi vt pro Regis ſanitate orarent: ſic vt inter fortunæ bona maximum ſit ſanitas: *Non erat in tribubus eorum infirmus*, inquit Pſalmiſta, (*Pſal.* 104.) de priuilegio filijs Iſrael conceſſo agens, quaſi diceret, Eos Aegypto Deus eduxit, captiuitate liberauit, & libertate donauit, eorum occidit inimicos, eis rubrum aperuit mare, eis cœli manna contulit, ducemque admodum inſignem & bellicoſum, eorumque nullus, quod diſſimulandum & tacendum non eſt, æger fuit, nulliq; medicis opus fuit. Quid ei deeſt cui adeſt ſanitas? quo vtitur beneficio, qui ſanitatem non habet? Nihil non cum ſanitate toleratur, cum infirmitate autem nulla voluptas: impoſſibile ſiquidē cor lætari poſſe exiſtmo, corpore dolente & conquerēte. Quid prodeſt bonū habere lectū & in eo quieſcere non poſſe? quid prodeſt in cella bonū habere vinū

 ſi non

si non conceditur vti? Quã sumet quis in multorum denariorum possessione voluptatem, si maxima eorum pars in medicos, & pharmacopolas impẽdenda sit? Dicit Seneca: Tanta res est sanitas, vt ad eam conseruandam non solum vigilemus, sed nec dormiamus. Sed quantum bonum sit sanitas, non cognoscitur, nisi cum deperdita est. Nihilominus dicit Apostolus: *Cum infirmor tunc fortior sum*, hoc est quod æger fortior sit, & debilis robustior: qua in re elucet veritas: nam in omnibus suis orationibus, quamuis à tentatione liberari Dominum rogauerit, nunquam tamẽ ab infirmitate liberari rogauit: *Virtus in infirmitate perficitur*, inquit ibidem, quasi diceret: Sicuti in periculis animosus homo, in igne aurum, in itinere socius, in mola frumentum probatur, sic in infirmitate probus homo. Super hęc verba dicit sanctus Augustinus: Non solum in ægro probatur virtus, sed & virtutis magnitudo: illic enim per paucum esum locum habet abstinentia, illic per ægrorum obsequium exercetur charitas, illic vt patiatur, est patiẽtia,

illic-

illic Dei amor, vt ad eum reuertamur, illic proximi vt illi indulgeamus: nullus enim tam stultus est æger, quin sanari magis conetur quam vlcisci. Fabato scribens Plinius dicit, Crede mihi Fabate, & nullatenus dubites, quod nullam vnquam in libris legerim, aut legem repererim quæ nos meliorem vitæ methodum docuerit quam æger: ille enim superbia non erigitur, luxuria non debellatur, auaritia non deijcitur, inuidia non fatigatur, ira non alteratur, gula non subiugatur, acedia non torquetur, neq; honore excitatur. Vtinam Fabate amice sensuũ & fortunę fauore ita bonus essem, ac æger me esse iuraui & promisi. Sed proh dolor, quicquid æger promitto, sanus obliuiscor. Quod ad me, dico quod æger neq; affectionis neque passionis, neque amicitię neq; inimicitiæ, neque diuitiarũ, neque paupertatis, neq; honoris neq; dedecoris meminerim: conor duntaxat capitis dolore liberari, quo vt liberarer quicquid domi possideo, cõferrem. Hactenus Plinius. Sanctus Bernardus Donato monacho scribens, ait: Intellexi te hic quartana laborare: si doleam,

solum quod doleas doleo. intellexi enim tuum tibi horrori & contemptui esse morbum, teque neminem conuenire, à nemineque visitari velle. quod ad me, vt virum probum & Catholicum cognoscam, satis est si eum ægrum viderim: non auderem enim eum paradisi iter sequi dicere, qui nullum ex morbo colligit fructum. In quadam epistola ad Atticum dicit Cicero: Magno fruerentur beneficio homines amice Attice, si sine cibo & potu viuere possent; sed longe maiori si sine luctu, eo quod humores duntaxat corrumpant cibi, sed nostra exsiccant ossa luctus: solo enim luctu fit æger homo, & ex ægritudine sæpius mortem oppetit. Crede Attice & ne dubita, quod solo nimio cibo & potu bestiæ bestialesque homines moriantur, docti autem & prudentes nunquam nisi luctu. Nunquid & tu experientia scis, & è duobus carnificibus vitam humanam destruentibus longè crudeliorem esse tristitiã quam gulam? Si veritatem agnoscere cupias, attente perpende quod hebetes, idiotæ, stultique homines semper

sani

ſani & incolumes viuant magis alijs, & ratio eſt, quod huiuſmodi homines neque honore neque pudore moueantur. Sed omnino ſecus ſeſe docti, prudentes & diſcreti gerunt, qui triſtes & ſemimortui euadunt, non ſolum propter dicteria quæ de ipſis circumferuntur, ſed & propter ſuſpiciones quas alij de ipſis concipiunt: generoſus enim & verecundus homo plus turbatur de mala opinione, quam alij de ipſo habent mouetur, quam propter ea quæ ipſi fiunt. Quod ad me, dico & fateor me hoc anno adhuc eodem laborare morbo quo præcedenti anno, qui morbus non ex fructibus quos Capuæ comedi mihi accidit, ſed ex notabili quodam luctu Romę concepto, quem concepi & recepi non ad domus meæ defenſionem, ſed ad Rempublicam tuendam. Hæc ex Cicerone.

Vt ad rem redeamus, debet Dei famulus eum qui morbum miſit conſiderare, num Dominus Deus vt miſericordiæ Pater talem miſerit morbum, quem non miſiſſet ni profuturum

sciuisset: certum enim est Domini nostri in nos studium longè nostro in ipsum studio maius esse. Nullus nunc passionis calici est æquiparandus morbus, de quo S. Petro loquens dicebat Christus: (*Ioan. 18.*) *Calicem quem dedit mihi Pater non bibam illum?* quasi his verbis dicere vellet, amaritudinis, infirmitatis, & tristitiæ calix quem dedit mihi Pater, vt dilectissimo filio suo, cur ô S. Petre me bibere non vis? Ignoras me tanti non facere amaritudinem in eo contentam, quam profectum inde emanantem? Quid aliud ergo sunt omnes quos patimur morbi; veluti febris tertiana, quartana podagra, colica, calculus, renum mala, hepatis oppilatio, splenis calor, nisi quædam rubigines, & vasis quas in passione bibit Christus fęces, nobis earum quasdam relinquens reliquias? Quod Christus esset Dei dilectissimus filius, Deoque maximè cordi, ei calicem ideò istum bibendum præbuit, eum præ cęteris omnibus maximis pœnis & laboribus onerans. Vnde colligere & concludere licet, quod è Dei dilectissimis sit quem maioribus

pœnis

pœnis & morbis hoc in mũdo videmus onuſtum. Cuidam Abbati ægro ſcribẽs S. Bernardus inquit: Mitto tibi fratrem Rogerum, non vt te conſoletur, ſed vt tibi obſequium præſtet: quãdoquidem enim miſericordia motus, Dominus Deus te hoc podagræ voluit afficere morbo, hoc fecit vel vt tibi in quãtum bono merendi oscaſionem daret, vel vt occultum plecteret delictum. Dicit in Leuiticũ Cyrillus: Sicuti nobis odio non eſt medicus, qui amaram ad malos expurgandos humores confert potionem: ſic Domino ſuccenſere nõ debemus, qui ad expurganda noſtra peccata nobis morbos mittit, cum pluris animę purgationem facere debeamus, quam corporis. Debet morbi miſſi ſanitatiſque ablatæ cauſam conſiderare æger, quæ ſæpius procedit non ex cibis quos comedimus, ſed ex peccatis commiſſis. Quemadmodũ Moyſis ſorori accidit, quæ ſcabioſa & leproſa facta quod in Aethiopiſſam Moyſis vxorẽ murmuraſſet. In quadam Homilia dicit ſanctus Ambroſius: Dum te hinc peccatis onuſtum reperis, & inde febri, prius tuum con-

confessarium qui tuam excipiat confessionem voca, quam medicum qui te sanet, vix enim te peccatorem sanare poterit medicus. Super hæc Psalmistæ (*Psal.*138.) verba, nempe, *Si via iniquitatis in me est*, dicit summus doctor Rabanus: Sicuti iumentum non pungit homo nisi à via deflectat, vel itinere defessum sit; sic nullos nobis mittit morbos, infirmitates siue tribulationes Dominus, ni ipsum deliquerimus, vel quod remisse & negligenter ei inseruiamus. In Psalmos dicit S. Gregorius: Dum se ægrum conspiciet Dei famulus, primo prius cum conscientia computare debet, quam lectum adire, & si in anima aliquem reperiat remorsum ac maculam, properanter confessionem sacramque communionem adire debet: si enim cum Deo in gratiam redierit, nō admodum quæ ei accidere poterunt curabit. Debet & considerare æger, quē ex ægritudine sibi comparet profectū; in rigidis enim & vehementibus morbis, quo magis probi & generosi hominis cor corroboratur, eo magis caro lethalis hostis noster debilitatur. Proinde tan-

tum

tum abest, vt in morbo aliquid patiaris, quin econtra potius in ipsum qui te malis afficiebat vlcisceris.

Origenes in Iob scribens inquit: Nunquam adeò sublimia protulit verba Iob, neq; ita heroica exercuit opera, quam dum omnibus bonis suis eum spoliauit corpusque scabie repleuit diabolus. Vnde inferre possumus, quod morbis & tribulationibus mali suam malitiam declarent, boni verò spem quam habent, aperiant, & quam magna sint acturi. Super hac re dicit S. Bernardus: Quid miraris frater, si nunc peccato præualeas, quandoquidem lethalis tuus inimicus æger sit & lecto affixus? Bestiale corpus nostrum hic lethalem inimicum vocat S. Bernardus, quod quo crassius est eo superbius, & quo debilius eo subiectius est. Vnde sequitur nos longè liberaliores esse, dū infirmitatibus onusti sumus. Rogabat quēdam monachum sui fletus causam Abbas Sylois, cui monachus ille: Est profectò quod fleam Pater: iam enim à duobus annis integris morbo me non visitauit Dominus Deus, sed indies melius

lius habeo, ideocꝫ me grauiori oppugnat pugna diabolus, meq; grauius tentat mundus, & longè mihi rebellior est caro mea, quam benè subditam reddere non possum, nisi æger in lecto iacens. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum posteà accelerauerũt*, inquit Psalmista. (*Psal.* 15.) quasi diceret: vt Hebræos infirmitatibus onerasti, statim ad virtutis iter properauere, sic vt nullum vnquam probitatis signum in ijs viderim nisi ijs ægris & afflictis. In hæc verba Cassiodorus: peruersis inquit, non admodũ bona verba monitionesque prosunt, imò nec vllus sermo, neq; bona ijs data consilia, neque ijsdem impositæ pœnitentiæ vnquam profuerunt. Solum ijs prodesse consueuit magnum infortunium, siue magnus & longus morbus: nullus enim hoc in mundo ita peruersus homo est, quin æger meliora polliceatur. Visitati infirmitatibus aut proprijs aut filiorum, mulier Sunamitis, Hieroboam, Ochosias, Benadab, Aza, Ezechias Reges, Deo tunc (& aliqui horum vix aliàs) orationes fuderũt, templo magna & pretiosa offerentes mune-

munera vt Dominum placarent, dignique efficerentur, vt ab istis liberarētur infirmitatibus: sic vt præuio morbo pij euaserint.

Prælatis magna religiosorum ægrorum gerenda cura, eorum præsertim qui in religione senes, debiles & impotentes sunt.

CAPVT LVI.

INfirmum suscipite: Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorū sustinere, inquit Apostolus Paulus, (Rom. 14. & 15.) quasi diceret, In hoc Romani fratres dignoscetis, num vera sitis charitate præditi, sancti aut simulati Christiani, si bona directione imbecilles & infirmos sustineatis, sic vt ijs in infirmitatibus & necessitatibus nihil desit. Nō sine magno mysterio hic parentes nostros, amicos & inimicos nostros sustinere nobis nō imperat Apostolus, sed debiles & ægros duntaxat: secundum enim S. Bernardū nulla in re magis elucet charitas, quam in ægrorum obsequio & auxilio. Inter oēs huius vitæ miserias, vt fames, sitis, calor,

calor, frigus, lassitudo & morbus, omnium maxima est sanitatis priuatio, & morbus. Ideoque, quia est maximis pœnis & laboribus onusta, maxime quoque meritoria est. In Patrum vita dixit quidam cuidam seni monachus: Dic benedicte te Pater, vter merito præstet, monachus qui tota ieiunat septimana, an qui ægrorum necessitatibus in valitudinario inseruit? Cui senex respondit: Scias frater & nullatenus dubites eum qui ægris inseruit magis vno die mereri illo qui integro ieiunat anno: virtutum enim omnium summa & excellentissima virtus est charitas. In hæc verba: *Infirmus fui & non me visitastis*; dicit Haymonis glossa, quod in tremēdo illo iudicij die rationem non sit exacturus Dominus, cur stationes non visitauerimus, cur conciones non audierimus, cur miracula non ediderimus: cur diu non ieiunauerimus, tantum autem cur debiles & egenos non sustentauerimus: quandoquidem æquè gratum ægro opus exhibitum esse asserat Christus, ac si ipsi exhiberetur. Iesu Christi exemplo ad visitādos cum pietate

pietate ęgros moueri deberemus: sanos enim & incolumes eũ paucos visitasse. videmus, & innumeros sanasse ægros. Vnde concludere possumus omnia Christi opera nos monere, nulla sæpius visitanda esse loca quam Zenodochia & Nosocomia.

Super eadem verba: *Infirmus fui & non me visitastis*, scribens S. Hieronymus inquit: Dum se rationem exacturum dicit Christus, quod ægros non visitauerimus, nunquid exactiorem est exacturus quod ijs non inseruierimus? Et si ei reddenda sit ratio quod non inseruierimus, nunquid & strictior reddenda, erit cur ijs non subuenerimus? Teneris eodem modo Christianum visitare, quo visitari velles, ei inseruire, vt inseruiri: subuenire, vt tibi subueniri cupis: in pietatis & charitatis enim materia, neque piger, neque tenax habere debes. Qui fratrem, vicinum aut amicum ægrum non inuisit, quomodo precor sanum visitabit? In quadã epistola dicit Seneca: Amicum sincerum nunquã melius probo, quam dum æger sum: quì enim me sincerè

amat,

amat, ſtatim in propria perſona ſuis mihi ſubueniendo bonis, ſuauibuſque conſolans verbis, me viſitat: ſic vt diuturno morbo vera probetur amicitia. Particulariter ergo cum vnumquẽque ad viſitandos ægros, & ex omni parte conſolandos incitauerimus, religioſorum perfectorum tamen in reformatis Monaſterijs habitantium dicimus eſſe, quod, cum mundum, parenteſque ſuos Ieſu Chriſti amore deſeruerint, in morbis non conſolati, iure in Monaſterijs mœſti eſſent, meritoque de Prælatis conquererẽtur. Nunquam ita iure quis conqueritur de Prælato, quam dum æger non curatur: ſanus enim homo quoſlibet labores neceſſitateſque tolerat. Dicebat in regula S. Baſilius: Hic erit ab Abbatibus in religioſos ſanos & ægros ordo ſeruandus: quicquid facilè reperietur ſanis dabitur, ægris autem quocunque eguerint. ſic vt ægris primo ex texturæ palmarum corbiumq; venditionis reditibus prouideatur, & ſi quid ſuperſit, ſanis erogetur. S. Benedictus in ſua regula quoque dicebat: Imprimis & ſuper omnia

omnia debet ægrorum Abbatibus esse cura, debiliumque obsequium: si enim in refectorijs ciborum exiguitate delectetur abstinẽtia, in Nosocomijs nimietate & abundantia quoque delectatur charitas. Hugo Doctor de Monachorum institutione scribens inquit: Licet quis circulla qua caput tegat, veste qua se vestiat, calceis quibus vtatur, cubiculo cui inhabitet careat, non ideò tamen de Prælato conqueri, aut ei succensere debet: cõqueratur autem dum eum in suis tentationibus non consolatur, dumque in morbis illius cura non habetur. Iure quidem Monasterium illud, in quo nulla ægrorum geritur cura corruptum esse, dicit insignis ille Doctor: cum charitate careat Prælatus, perfectam non potest habere bonitatem. Quid quæso habere potest ille qui charitate caret? Quam rem magni pendere potest, qui in fratrem pius non est? In vitæ solitariæ libro scriptum est quod dum in Aegypto aut Thebaide Monasteriũ construeretur, prius Nosocomiũ ad seruãdos ægros q̃ Ecclesia ad

notandissimum notandissimum quam

quam omnes confluebant erigeretur, huius rei ratio erat, quod S. Basilius prius ægrorum curæ intentos vellet suos esse monachos, quam psalmis decantandis. In Imperatorũ Libro dicit Suetonius Tranquillus, magnum illum Iulium Cæsarem per Alpes deambulantem in niue (vt cuidam suo militi ægro casam, quæ illic sola erat cederet) cæteris etiam montis partibus niue cõtectis decubuisse. Si igitur paganus Princeps & tyrannus tali in suum militem ægrum vsus fuit pietate, cur tu Christiane in fratrem tuum Christianum eadem non vteris pietate? *Qui infirmatur & ego non infirmor?* inquiebat (1. *Corint*. 11.) magnus ille S. Paulus, quasi diceret: Quis vestrum ô Corinthij æger est, & ego non sim? Quis vestrum vel solo sui digiti vngue dolet, quin statim & ego capite doleam? Quis imbecillis & debilis est, quin maiorem vobis patiar debilitatem? Cui vestrum aperitur vena, quin mea prius commoueantur viscera? Quis vno die æger in lecto decumbit, quin quauis hora eius puluinari adsim? Quis æger quidpiam me rogauit,

uit, quin hoc ei dederim, vel quis quapiam re eguit, quin eam statim quæsierim? O quam felix ille Prælatus foret, qui hæc verba cum S. Paulo proferre posset, imò felicior ille qui illa adimpleret. nullum siquidem Deo gratius præstatur obsequium, quam egenis & ægris inseruiendo. Secundum S. Basilij, S. Benedicti, S. Augustini, S. Francisci, & S. Dominici regulas, debent primo necessarijs Nosocomia prouideri rebus, in ijsque diligenter tractari ægri: ille enim iniustè Christiani nomen sibi vsurpat, indigneque se in Prælaturę statu gerit, qui religioso ægro inuidet. Eremitis scribens S. Augustinus inquit: Aegris candelas prouidebitis, necessaria moletis, herbas coquetis, aquam frigidam dabitis, & paleam cui incumbant quæretis, & c vt in ipsis patientia eluceat, in vobis autem clementia. Super hac re in registro dicit S. Gregorius: Deciperis Pater Abbas, dum cogitas & dicis Lombardorum bellum omnia Monasteria deuastaturum: si enim S. Basilij sanctiq; Patris nostri Benedicti corruat religio, nõ ex inimicorum damno, aut

paupertate quam tolerant Monasteria accidit, sed ex Prælatorum nimia ambitione & exigua in ægros charitate. In Patrum vita dixit quidam Abbati Arsenio monachus: Duo sunt in hac Thebaidis eremo quos noui Abbates, vnus castus est, sed charitate caret, alter verò charitate præditus, sed non castus; dic quæso Pater quis horum tolerabilior est, & quis incorrigibilior? Huic petitioni respondit probus Arsenius, Vterque qui sit monachus & Abbas indignus est: meliorem tamen habeo eum qui charitate præditus est & non castus, quam qui castus est & charitate non præditus; dubito enim ego nũ charitate præditus homo damnari possit. Cuidam Abbati scribens Sanctus Bernardus inquit: Quod litteris Monasterium tuum antiquum esse indices, magnaque egere reparatione, tibi illud reparandi ex Monasterij reditibus potestatem concedo, modo reparationem à loco in quo ægri iacent incipias, & non à loco in quo sani dormiunt: præstaret enim dormitorium corruere, quam vel è Nosocomio canalem cadere.

dere. Debet ergo summa & diligens ægros tractandi Prælato esse cura, nulla expensarum habita ratione, certò enim scire debet Prælatus Dominum Deum Monasterio ob charitatem in ægros gestam magis fauturum, quam ob curam quæ benè valentibus exhibetur. Prælatis in suum consortium senes, debiles & ægros admittere nolentibus libere dicere possumus: *Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt* ℞ in Monasterijs enim vbi multi sunt iuuenes & pauci senes, multa oriuntur mala, Prælatisque multi occurrunt luctus. Nesciunt quid faciant Prȩlati profecto, dum apud se religiosos iuuenes detinent, debiles infirmosque à se dimittentes: in Monasterijs enim (vltra quod hoc crudele sit & immanum) in quibus debilium ac senum est inopia nulla potest esse authoritas, imo nulli esse possunt in quos exerceatur charitas. Credite mihi Patres & nullatenus dubitetis, vt de rebus necessarijs Monasterijs vestris prouideatis ascribire consortio vestro monachos ætate & laborib⁹ fractos: nulla siquidē melior prouisio reperitur: tan-

tãta enim in ægros charitate vtitur Dominus, tantaq; in senes & debiles pietate, vt nunquam passus neque passurus sit quempiam ad extremã necessitatem redigi, dummodo charitatem exercere amet.

Herodianus, Eutropius & Valerius magnus, Romanos pro senibus & ægris qui bello ad Reipubl. obsequium interfuerant legem fecisse narrant: eis iuquiunt domus, quibus inhabitarent, conferebantur, & vnde viuerent erogabatur: sic vt iuuentutem probis laboribus impendere delectarentur, sperantes se ideò in senectute fouendos. Si ergo hoc agebant Romani, cur in suis Monasterijs illud idem nõ agerent Prælati? *Vtere modico vino propter frequentes tuas infirmitates*, dicebat suo Timotheo (*1. cap. 5.*) S Paul. quasi dixisset: Quod stomacho doleas, quodque assidue æger sis, poteris imposterum pauxillum vini bibere. Notãdum hic quod hoc verbo, *propter tuas frequentes infirmitates*, S. Paul. motus fuerit, vt cũ suo Timotheo dispensaret, eo quod sua natura valde debilis esset & semper æger. Quibus insinuat

maiorem senũ laboribus confectorum habendam esse curam, quam iuuenum quandoque ægrorum. In quadam epistola dicit Plinius: Seni quod æger sit dicere non debemus, eo quod senectus imperfecta sit sanitas & morbus necdũ omninò formatus. In libro de ira dicit Seneca: Iuuentutis meæ & nunc senectutis hæc est differentia: si iuuenis forsitan in morbum incidissem, vno aut altero duntaxat dolebam mẽbro, nunc autẽ sanus, omnibus meis doleo membris, sic vt tolerabilior cum morbo sit iuuentus quam cum sanitate senectus. Prælati qui religiosos senes, debiles & ægros à suo excludunt consortio, eos inutiles & Monasterio graues esse fingentes, *nesciunt quid faciunt*: malũ enim quod patrant ignorant, & bonum cuius iacturã faciunt non assequuntur, quandoquidem cuilibet ægro exhibitã charitatem, sibi præstitam existimet Christus. Quantumuis fractus & senio confectus sit religiosus, tamen suo Prælato vtilis esse potest, pro benefactoribus orans scilicet, vel in rebus alicuius ponderis consiliũ præstans, quæ duo officia

ordinariè ad senes spectant, & non ad iuuenes, nam quod ad consilium attinet, senum illud dare est, & iunioris recipere. Longe magis sene religioso, qui consilium præstet Prælato opus est, quam iuuene robusto qui ei inseruiat: quilibet enim sagacis & prudentis ingenij vir, pluris amicum qui eum à suis molestiis liberat facit, quam famulum qui loculos nummis replet. Non debet credere Prælatus quod religiosi senes & membris debiles panem gratis comedant: accidere enim potest quod senum consilium vno die maioris sit pretij, quam integro anno iuuenum obsequium: præsertim cum nullus bonus possit esse Prælatus, si consilio vti non amet. Negare nullo modo possumus quin religiosus membris fractus toti Monasterio merendi causam præbeat, eo quod eum retinens mereatur Prælatus, & ei inseruiens, qui Nosocomij obsequio destinatus est, eum visitans religiosus: ille autem in sua patientia meretur: sic vt indulgentia plenaria sit quę quouis die in Monasterio habetur.

Quam necessaria nobis sit perseuerantia; & quod sine illa nulla virtus poßit esse vtilis.

CAPVT LVII.

VIDE *in te bonitatem Dei, si perseueraueris in bonitate*, inquit Apostolus Paulus (*ad Rom* 11) quasi diceret: hinc videbis Christiane, hinc inquã cognosces an Dei bonitas te manu ducat, nempe si in finem in virtutis itinere perseueres. Jesus Christus Redemptor noster dicit, (*Matth.* 10. & 24.) *Qui perseuerauerit vsque ad finem, saluus erit*, quasi clarius diceret, qui in finem probitatem amplecti conabitur, ille & non alius in gloriam meam ingredietur. Dicit S. Augustinus: Mirum in modum terreri debemus fratres, quod non dicat Christus, qui perseuerabunt, tantum autem *qui perseuerauerit vsque ad finem, saluus erit*: pauci enim in eius obsequio vsque in finem perseuerant, licet multi se Euangeliũ obseruaturos promittant. Notandum quoque serio, expreſsè Dominum dixiſſe: *qui non perseuerauerit vsque in finem, hic saluus non erit*, nulla

virtute aut virtutibus in quibus perseuerare deberemus in medium allatis, vt omnes virtutes à nobis magni faciendas, nobisque in ijs ad finem perseuerandum esse intelligeremus. Dicit quoque S. Hieronymus: Aperi oculos tuos & nota, quod Christus salutem in sola innocentia aut abstinentia, aut patientia non collocarit, sed in sola perseuerantia & constantia, cum dixerit: *Qui perseuerauerit in finem saluus erit*. Vnde colligere possumus nullum operum nostrorum cœlo mercedem accepturum ni perseuerãtia circumcinctum sit. Verum vt hæc Christi verba melius intelligantur, præsupponendum est, quod sicuti multa vitia virtutis pallium assumunt, ita multæ virtutes aliarum virtutum pallium assumunt, & se alias quam sint exhibent. Vt autem vniuscuiusque veritas noscatur, notandum quod vnaquæque suam particularem habeat definitionem, & ad suam proprietatem naturamque alias alliciat virtutes: patientia allicit ad se firmitatem, magnanimitas longanimitatem, benignitas mansuetudinem & fortitudinẽ,
& om-

& omnes hæ virtutes quid vnum esse videntur. Et profectò multum interest inter id quod sonant, & id quod sunt. Ne verò sine ratione & temerè loqui videamur, pauca de vniuscuiusque definitione differemus. Patientiæ virtus nihil aliud est, quam corpus doloribus onustum & cor passionis martyrio grauatum, quod eiusdem in aduersitate est faciei, cuius in prosperitate: Sicuti in S. Tobia & Iob patet, qui non solum patientes fuere, sed & exempla patientiæ. Constantię virtus est dum cor à suo bono proposito nullis laboribus aut infortunijs, nullo modo mutatur aut mouetur, sicuti in Aegypto à Ioseph & in deserto à Moyse actum est. Magnanimitatis virtus est, dum cor sublimia aggredi audet, quæ summo cum periculo peraguntur, quæ virtus in Dauide contra Goliath & Helia in Iesabel emicuit. Longanimitatis virtus est dum cor nūquam dolet aut desperat pro quibusuis occurrentibus & crescentibus pœnis, serius licet accedant remedia. Hæc fuere præditi virtute Iudas Machabæus in Synagoga, & S. Paul⁹ in Ecclesia, quibus

bus cum amicorũ iactura indies accrescebant pœnæ. Fortitudinis & perseuerantiæ virtus est, dum cor ita forte & audax & constans est, vt in tentationibus nunquam deficiat, neque ideò à bono declinet. Hæc in S. Antonio & S. Paulo Eremitis locum habuit virtus, quorum vitæ angelorum apparebant vitæ, & eorum opera plus quam humana. Sed cum nostræ intentionis sit de magnis perseuerantiæ excellentijs agere, & quam sit nobis fortitudo necessaria, hic quid de ipsa dixerint Philosophi dicemus, quidve de ipsa censuerint sancti Doctores. S. Augustinus de verbis Apostoli ait: Mihi fortitudinis virtus nihil aliud est quam vehemẽs amor quo se accensum monstrat animus, quoque omnia passurus esset licet grauia & aspera valde, donec petita consequeretur etiam intermixtis crudelissimis tormentis. De hac virtute loquens Cicero inquit se ausum dicere constantiam & firmitatem nihil aliud esse quã heroicam resolutionem ac determinationem, qua robustus & potens homo omnia quæ ei accidunt suffert, & quid-

quid

quid vult dissimulat. Dicebat Lucius Seneca, hominis robusti & animosi excellentiam tantam esse, vt facilius foret munitissimam ciuitatem expugnare, quam firmum & constantem superare animum. Ad rem dicit diuinus Plato constantiæ priuilegia esse téperare iram cum mansuetudine, inuidiam cum amore, tristitiam cum perseuerantia, & timorem cum patientia. Sanctus Gregorius in Ezechielem dicit, iusti fortitudinem in carnis cohibitione & appetituum refrenatione, in resistentia contra diabolum, in fide mundo non adhibenda, in delitiarum contemptu, in rerum asperarum, & periculosarum amore consistere. In Matth. S. Chrysostomus dicit fortitudinis virtutem ita necessariam esse, vt nisi in finem vsque subueniret iustitiæ, temperantiæ, castitati & prudentiæ, ruerét, immò in lutum voluerentur. Vt bonum inchoetur opus, sufficit sagacitas & prudentia: vt agatur, prudentia est necessaria: vt peragatur potentia; sed vt adimpleatur cõstantia opus est: bona enim boni nautæ fortuna non in nauis

regimine consistit, sed in sani & salui portus appulsu. *Nullus coronabitur nisi qui legitimè certauerit*, inquiebat D. Paulus, (2.*Tim*.2.) quasi diceret, Quod ad Domini famulorumque Dei bella, nullus eius manu coronabitur, nisi qui legitime hic certarit. Porrò ille legitime certat, qui in vitæ finem vsque certat. & ille illegitime, qui fugit & medio in itinere tergum vertit. Ille illegitime & vt degener certat, qui medio in æquore pugnam non subit: & ille cum dedecore & infamia certat, qui nullis resistit tentationibus, sic vt initio pugnæ sese dedat. Dominus ijs qui ex matrimonio legitimo nati fuerint coronam nō promittit; sed ijs dūtaxat qui legitime certauerint. Ille legitime certat, qui in virtutibus cum constantia persistit, & qui tentationibus resistens sese opponit: sic vt hæreditas ei vt filio legitimo debeatur. In hæc verba dicit Damascenus, Iesum Christum suum regnum ei qui tantum baptismum suscipit, aut ei qui aliqua bona exercet opera non cōferre; sed qui in eius obsequio ad finem vsque perseuerat. ad bellum enim properanti

trium-

triumphi corona non datur, sed ei qui victoria potitur. Parum equidem aratori prodesset terram seminasse, si postmodum in colligenda messe se pigrum præberet. Reuera aratoris animus suo labore dum per campos grana serit nō leuatur, nisi ea cōgreget & in horreum conducat. Peregrinus dum ab itinere incępto desistit, in domū qua egressus est reuersurus, operā perdit, & nullam ex suo sudore percipit voluptatē. Mercenario non satisfit quod ad vineam se contulerit, sed quod tota operi manum admouerit die. Vxor Loth in salis statuam conuersa est quod Sodomam inspectura, tergū inuerterit, quę tamē ne id ageret priùs monita fuerat. (*Gen.* 19.) Vnde intelligimus mundū quo egressi sumus adeò malum esse, vt nobis eum tangere non tantum prohibeat Dominus, sed ne quidem eum nos respicere velit. Constantes admodū fuere Moyses & Aaron, dum Pharaonis donis minisve qui eos in Aegypto cum omni populo detinere volebat acquiescere noluerunt. (*Exod.* 8.) Vnde colligere licet, quod ad mundum repetendum &

à bono iam incepto desistendum, amici precibus vel inimici tẽtationibus assentiri non debeamus. Ioseph filius Iacob sese admodum constanter gessit dum Dominæ suæ precibus & impudicis illecebris non condescendit viriliter resistens, vt cognosceremus maiori esse ad resistendum vitijs, quæ se offerunt opus animo, quam ad resistendum inimicis qui deteguntur. (*Gen.* 29.) Fratres Dauidi singulare certamẽ dissuadebãt, imò eum increpabant, quod quibus relictis bellum spectaturus venisset: animosus miles arma deserere nolens gigantem Goliath aggredi voluit. (1. *Reg.* 17.) Hinc constat vitæ iacturam potius esse faciendam, quam à bono opere incepto desistendũ. In templi reædificatione sese constanter gesserũt Neemias & Esdras, qui tamen id agentes ab his intentabantur minis, ab alijs vituperabantur, hinc ipsis contradicebatur, vt sciret Dei famulus magnum esse boni operis à nobis futuri indiciũ, si quempiam peruersum contradicentem reperiamus. Mardocheus reginæ Esther cognatus se constantem præbuit, dum

in su-

In ſuperbum Aman idololatram & He-
bræorum inimicũ ſe humilẽ exhibere
& cum eo amicitiam cõtrahere noluit.
Dignoſcimus hinc, nobis eorũ qui nos
ad peccatum incitant, quique ſalutem
noſtram impediunt fugienda eſſe con-
ſortia. Seſe conſtãtem exhibuit inſignis
illa Suſanna, quæ in Babylone iudicibus
ſuum matrimonium violare cum eaq;
adulterium committere volẽtibus re-
ſtitit, indicans neminem timore pœnæ
committere debere peccatũ: noſtram
enim vitam immò & honorem ſe con-
ſeruaturum pollicitus eſt Chriſtus, ſi-
cuti Suſannæ conſeruauit. Has omnes
in medium adferre volui hiſtòrias, vt
boni ad Dei obſequium magis inciten-
tur, mali verò ab eo recedere contre-
miſcant, poſtquã ſuos famulos nunquã
deſerat Deus, neque eorum qui eum
ſequuntur obliuiſcatur. Qui quęſo Da-
nielem in fouea cum leonibꝰ incluſum
conſolari meminit? Nunquid quęſo ſui
famuli Iob meminit, dum eũ à diabolo
tentari cerneret? S. Anſelm. inquit: Scit
Dominus ꝙ parũ ſciamus & quam parũ
poſſimus, ideoque non eſt quod ad eius
obſe-

obsequium animo deficiamus, & ad eum imitandum nos pigros exhibeamus: quandoquidem cum suis fidelibus famulis patientiam habeat, sic vt si modo agant quod possint, ille quod volent & optabunt faciet. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* inquit Apostolus (2. *Cor.* 3.) quasi diceret, Ne quidem nobis cogitare licet, multo minus nos laudare quod propria & sola nostra industria aliquod bonum agere possimus: quin credendum firmiter quod à Dei illuminatione procedat si boni quidpiam peragamus, quodque ab eo deseramur si alicubi aberremus. Nemo bonum opus suis viribus suæque potentię confidens aggrediatur: etsi enim bellum inire homo queat, victoria tamen in manu Dei est. Hugo de arra animæ inquit, Si Domino obsequi velis, neque te nimis timidum esse decet, neque nimis tristem: ita enim ei curæ sunt eius famuli, vt tāetsi eos tentari patiatur, non superari. Passus est Deus diabolum Iob tentare hac conditione, vt corpus torqueret, animam non tangeret:

geret: sic vt suum studium in famulos, eos laboribus suis subleuando non exhibeat Dominus , sed peccatis exonerando. Rogauit quoque Deum diabolus (3.*Reg.*22.) Regem Achab decipiendi potestatem: petitioni acquieuit Deus, vt amicorũ & inimicorum eius differentiam cognosceremus: patitur namque suos tentari & peccatores decipi. O bone Iesu, ô animæ meæ delitiæ, per me licet Domine vt cum S. Iob tenter, affligar & deijciar, dummodo cum Rege Achab non decipiar aut supererg. nullum quippe est nostri interitus maius indicium, quam dum nos Domine à diabolo decipi pateris. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei* aiebat Dominus Deus per Zachariam Prophetam (*ca.* 2. quasi diceret: Qui vnum electorum meorum tetigerit, sciat oculorum meorum se pupillas tangere. Quæ gratiora siue dulciora possent mutui & indissolubiles amici, quam hæc verba? Potior corporis pars caput est: sunt in capite oculi, & in oculis pupillæ: vt excessiuus est Christi amor , ita excessiua & hy-

hyperbolica voluit comparatione vti. Non sine mysterio suos electos non comparauit pedibus, aut manibus Dominus Deus, sed oculorũ pupillis duntaxat: pedes enim & manus puluerem & lutum patiuntur, sed oculorum pupillæ, ne quidem puluisculi atomum, aut arenulam pati possunt. Quamlibet sub noctem, vt regulares filij in completorio rogamus & dicimus: *Custodi nos Domine vt pupillam oculi*, petimus vt nos velut pupillam oculi conseruet, & sub vmbra alarum suarum protegat. Quod agit & adimplet, dum nos in peccatum labi non permittit, & lapsos sua gratia liberat. S. Bernardus: Nullus inquit se Christianum dicere potest, imò minus perfectum religiosum, qui tentationis timore Deo obsequi negligit: ita enim suos electos De⁹ amat, vt semper quid dicturi sint attendat. O quãtas Deo referre debẽt Christiãi gratias, quãdoquidem per hæc verba: *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum*, labores quos patiuntur, & preces quas fundũt se respecturũ polliceatur. *Debilis est hostis & non vincit nisi volentem*, inquit

S. Au-

S. Augustin. quasi diceret: Ita timidus est dæmon, eumque vsqueadeo debilitari permittit Dominus, vt nullum nisi sibi nō resistentem superare possit. cordis nostri ianuam pulsat dæmon; sed pulsat & Deus: licet hunc admittere & illum excludere. Vnde concludimus, diabolum non posse nisi nostro permissu animam nostram possidere, nec Deū nisi reiectū à nobis recedere. O me miserū, quid dicturus sum, dum ô bone Iesu rationem exiges, cur te ducem sequi noluerim, tibi monēti fidem adhibere denegarim, tibi vocanti non responderim, te loquentem non agnouerim, imò te tangētem non senserim? Super hæc psal. 90. verba: *Cum ipso sum in tribulatione*, dicit S. Ambros. Non solum suis dum comedunt & dormiunt, adest Dominus, sed & dum affliguntur, dūmodo eum vocent, & nōnihil expectent, quos non solum afflictione liberabit, sed & honore afficiet. Dicit quoque S. Hieronymus: In hoc Christiane cernes Dominum Deum tuum te multò amplius quam amicorum tuorum te diligere: plus se tibi ad benefaciendū

quàm

quam illi, deuincit: quod clarum est; quoniam amici pecunias nostras quas congregauimus nobiscum cõsumunt, Deus autem laboribus nostris ferendis adest. S. Gregorius in Ezechielem inquit: Dum dixit Christus: *Beati qui lugent, quoniã ipsi consolabuntur*, felicitatem in eo quod homines lugeant non collocauit, sed in consolatione, quã à Deo expectant: tentationem diaboli ergo non videnda Dei famulo, sed pretium quod à Iesu Christo expectat. Si sereno cœlo siccoque tempore in terram siccam granum suum mittere audeat arator, qui fit Christiane quod te Iesu Christi manibus credere non audeas? *Ecce venio cito, tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuam*, (*Apoc.* 3.) dicebat Dominus Deus episcopo Philadelphiæ, quasi diceret: Scias me breui venturũ: propera itaque, & quod tenes, diligenter serua: alioqui enim tuam coronam, tuumque sceptrum alter accipiet, & sic deciperis. Quid aliud suadet IESVS Christus, dum nos quod manibus tenemus asseruare hortatur, nisi vt in bonis operibus inceptis ad finem vsque perse-

perseueremus? Dic quæso, nunquid beneficiū quo te ex nihilo creauit Deus, quo te pretioso suo sanguine redemit, quo te mundo eduxit, & in Monasterium perduxit: nunquid illa beneficia inquam summi fauores sunt conseruatione digni, imo qui nobis grati esse debent, & pro quibus ingentes debemus agere gratias? Terribilis est sententia, minæque grauissimæ quas hic adfert Dominus, nempe quod coronæ gloriæ iacturam simus facturi, ni in bonis operibus perseueremus: vt si amore, boni euadere nō velimus, euadamus saltem timore. Non sine mysterio primo dicit: *Ecce venio cito*, vt sciamus Dominum ad nobis succurrendum venire paratum, si in bonis operibus perseuerare conari velimus. Cum adeò bonus ergo tuo lateri tuoque auxilio adstet Dominus, quid bonum opus aggredi dubitas? *Ego sum* α, *&* ω, inquit in Apocalypsi Dominus, quasi diceret: Sum initium & finis, hoc est, solus sum qui bona opera incipiendi gratiam præbeo, & solus qui vt ea peragantur auxilio sum: mundus & mundani, caro & eius vitia, diabolus

& eius

& eius deceptiones nos laboribus immergunt, & ijsdem nos intricatos deserunt. Nullum ad bonum opus compellit Christus, quin illud peragendi gratiam ei conferat. In Canticis Canticorum dicit S. Bernardus: O quam gloriosa es perseuerantia, quandoquidem sola virtutum dici possis virtutum vallum, virium vigor, amicitię nodus, vanitatis mors, sanctitatis tutela, cõstantiæ insula, pacis amica, pretij mediatrix & laboris corona.

IN.

INDEX CAPITVM quæ hoc libro continentur.

14. Quod

57. Præ

FINIS.



